UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiae. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2226.

G II
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

In Directione Cordis
Iudicium Sapiens
CENTVRIÆ
SELECTORVM
CASVVM
CONSCIEN
TIAE
Auctore
P. Adamo Burg
haber. S. I. The:
I. C. Storer del:
B. Kilian scul:

S

A
E
Io

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CENTVRIÆ SELECTORVM CASVVM CONSCIENTIAE.

I. II. III.tia

AVTHORE

ADAMO BVRGHABER
E SOCIETATE IESV IN CEleberrima Vniversitate Friburgensi Brisgoiæ Ordinario SS. Theologiæ Professore.

Collegii Societatis JESV Paderborna

Anno 1668.

FRIBVRGI BRISGOIÆ
Typis Theodori Meyer.
M.DC.LXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO S.R.I.
PRINCIPI, REVERENDISSIMO
PRÆSVLI, AC DOMINO
DOMINO

ALBERTO SIGISMVNDO

COMITI PALATINO Rheni, Vtriusque Bavariæ, & Superioris Palatinatûs Duci, Landgravio Leüchtenbergico, Episcopo Frisingensium &c.

Domino meo Clementissimo.

Carolus Romanorum Imperator huius nominis Quintus siquam ciuitatem ingressus horologia aduertit inter se sibi, eáque solis ac diei passibus examussim

 respondere,

respondere, boni ex eo Magistratûs, ciuilisq; disciplinæ argumentũ sumpsit haud inane. Horologio non absimile videtur humanum Cor, Conscientiæ sedes, & imago, vt quæ suis quoque circumagitur affectibus, suis libratur rationum ponderibus, suo inquieta temone versat se nunc præceps, nunc tardior timorem inter & fiduciam, quasi momẽta, iam in hanc, iam in illam partem: decem insuper diuinis, vt illud duodecim horarum interuallis distinctum, signatur legibus & præceptis, quæ veracior index monstrat, atque indigitat diuinior doctrina. Ad hoc Cordis horologiũ, Serenissime, & Reuerendissime Princeps, *inprimis* Te *attendere obseruatum est, ad Tuorum, inquam, in Diœcesi tua Conscientias, vt illorum respondeant* Tuæ, Tua *autem Soli Iustitiæ; id quod facis eò laudabilius quàm Carolus illud Romani Imperij decus, quò plus hæc animorum horologia nobilitate suâ illis ciuilibus præstant. Et quia præterea compertum habetur, velle* Te, *& curare omni modo, vt omnes Tui arte moderandi conscientias sint quàm instructissimi, probè gnarum verissimi illius essa-*

us effati à Regum Sapientiſsimo prolati, In directione Cordis Iudicium, *ſanos ſcilicet hominum ſenſus & actiones ex ſana SS. Theologiæ doctrina, ſynceráque eius inſtructione oriri; his impellentibus auſus fui, librum hunc ei, quam dixi, Cordis directioni deſtinatum* Sereniſſimo Nomini Tuo *inſcribere, & verò* Imaginem *quoque* Tuam *fronti illius præfigere, ne cui eundem, niſi* Te Duce, Te Iudice, Te Patrono, *in lucem edere voluiſſe viderer. Cur autem* Sereniſſime, & Reuerendiſſime Princeps *operi huic* Te *potiùs Patronũ & Tutorẽ velim, præter ea, quæ memoraui, nõ vna hæc accedit cauſa, quòd ſub* Te *prodire cœperit, cùm Monachij Diœceſis Tuæ Metropoli modum rationemq; dirigendæ conſcientiæ in Electorali Gymnaſio traderem, ſed ſingularis inprimis illa Tua cùm in alijs quoque, tum ſacris maximè atque diuinis rebus Sapientia: illa vigilantiſsima ſanctiſsimarum Legum atq; Diſciplinæ cuſtodia: illud diuinæ ſcientiæ Tuis inſtillãdæ ardẽs votum atq; deſiderium: ille Tuus tenerrimus, & à Sereniſsimis* Alberto Parente

& Maioribus Tuis *verè hæreditarius in minimam Societatem nostram affectus: & demississimus ille vicissim eiusdem erga* Te Tuosque *animus, quem vel conscientiâ, teste omnium locupletissimo atq; syncerissimo,* Tibi *demonstrare desiderat. Accipe igitur,* Serenissime, & Reuerendissime Princeps, *& iudica, Tuóne favore, patrocinioq; dignum sit: &, si censes, Tuâ Authoritate, Clementiâq; fove, tuêre, promoue. Friburgi Brisgoiæ Anno à Virgineo partu M. DC. LXV.*

Serenitatis Vestræ

Devotissimus servus in Christo

Adamus Burghaber, Societatis IESV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO R. P. VISITATORIS AC Vice-Provincialis.

Cùm librum, cui titulus: *Centuriæ Selectorum Casuum Conscientiæ I. II. III.* à P. Adamo Burghaber Societatis nostræ Theologo conscriptum aliquot nostri Patres, quibus id commissum est, recognouerint, & in lucem edi posse iudicauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur. In cuius rei testimonium has litteras manu nostrâ subscriptas, sigilloque munitas dedimus. Friburgi Brisgoiæ 19. Octobr. 1664.

Christophorus Schorrer.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGICA.

HÆ *Selectorum Casuum Conscientiæ Centuriæ I. II. III.* nihil vel Fidei Orthodoxæ, vel Moribus bonis adversum continent: sed vtilissimis doctrinis auctoritate & ratione probè munitis refertæ sunt. Et quia juxta sapientissimum illud dictum *Sap. 9. in directione Cordis iudicium*, sani hominum sensus atque actiones ex sana SS. Theologiæ doctrina, synceraque eius instructione oriuntur, minimè dubitandum, quin prædictæ Centuriæ eidem Cordis directioni destinatæ publico bono imprimantur; ad quod idcirco facultatem, quam iure suo merentur, plenissimam facio. Friburgi Brisgoiæ 23. Maij Anno 1665.

Ioannes Antonini Societatis IESV SS. Theologiæ Professor Ord. & eiusdem Facultatis nunc Decanus.

PRÆFATIO.

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

ANni sunt duodecim, ex quo in disputationem publicam dedi Centuriam Casuum Conscientiæ, quæ in plurium deinde manus venit, è quibus nonnulli institerunt apud me, vt, si plures huiusmodi Centurias haberem conclinnatas, prælo subijcerem plurium vtilitati futuras. Equidem respondi, actum me acturum, cùm nihil habeam, quod alij viri doctissimi non pridem ediderunt, & accuratissimè discusserunt. Sed hoc illi responso non contenti reposuerunt, libros eos nec facilè parabiles, nec omnibus ita commodos esse, tum quòd communibus ferè principijs latè inhæreant explicandis, tum quòd particularia etiam fusiùs atque operosiùs tractent, quàm plerumque Lector, velit planam breuemque casûs decisionem desiderans. Cessi igitur, & quos conscripsi casus, in tres centurias congessi solum alphabeti ordinem à prima cuiusq; casûs voce, non materiarum obseruans, cum ordo iste materiarum non sit apud omnes idem, & facilè in indice reperiri possit, quamcumque aliquis velit materiã. Vocaui autem centurias has Casuũ Selectorũ Cõscientiæ, quia non fuit animus tractare quosuis, sed eos solùm, qui ex Theologia Morali frequentiùs occurrunt, magisque desiderantur ritè explanati. Plures his similes, si DEO placuerit, breui subiungam, si istos non absque fructu in lucem publicã prodijsse advertero, quibus interea, benevole Lector, fruere.

SYNOPSIS

Centuriæ I. Selectorum Casuum Conscientiæ.

1. ÆGIDIVS ita se inebriat, vt phantasia nonnihil turbetur, vomitus sequatur, &c. quia tamen inter bonum & malum discernere adhuc potest, non peccat mortaliter.

2. AGRICOLA famulus ex leui culpa vitrum pretiosum frangens non tenetur Domino resarcire damnum.

3. AMMONIVS habens prauam consuetudinem falsò iurandi, si hanc retractârit, & nihilominus inaduertenter iuret, non peccat.

4. ANASTASIA non peccat optando sibi mortem, dum à marito suo tam malè tractatur.

5. ANTHVSA ex bonis mariti defuncti potest absque iniuria creditorum sublegere sibi necessaria ad competentem sustentationem, & iurare dein, aliquid se subtraxisse.

6. ATTILIVS Princeps legem statuit, cui quidem ante promulgationem subditi contravenire possunt, non autem post hanc.

7. AVITVS non peccat mortaliter, excedendo in cibo, potu, vsu matrimonij, appetitu honoris, &c.

8. BALDVS vir catholicus legere potest calendaria prognostica, & alia hæreticorum scripta, modò sac. Fidem, & Papam non concernant.

9. BENNO pœnitentiam in confessione iiunctâ alio loco, tempore & situ peragens nō peccat.

10. CHARITON solutionem siue ex contractu siue ex delicto iustè differens non tenetur Creditori ad damnum interea eueniens, aut lucrum cessans.

11. CARPVS conceptam conscientiam peccati mortalis leuiter abijciens peccat mortaliter.

12. Cos-

12. COSMAS Medicus medicinam incertam in defectu aliarum rectè adhibet infirmo, si vel ex leui fundamento hanc profuturam putet.

13. COSMOPHILVS malè nec sine peccato mortali cælo se carere velle ait, modò terrâ frui æternùm possit.

14. CVNIBERTVM notoriè excommunicatum in vna diœcesi, in alia, vbi excommunicatio illa non innotuit, nemo tenetur publicè vel priuatim vitare.

15. CVNO catholicus rectè in locis hæreticis comedit carnes, adit templa, abscondit rosarium, &c. ne agnoscatur & periclitetur,

16. ELIAS in loco alieno existens non obseruat ieiunium particulare tam huius, quàm proprij loci, idque probabiliter absque peccato.

17. EMERENTIANA intra primum bimestre post nuptias bene negat debitum viro suo, etiamsi nihil de Religione cogitasset.

18. EPIPHANIVS Episcopus ex duobus competitoribus absque iniustitia digniori præfert dignum ad beneficium curatum.

19. EQVITIVS satis explicat se in confessione, dicendo, lethale vulnus se inflixisse Dasio, etiamsi non addat, quòd iste deinde ex dicto vulnere fuerit mortuus.

20. EVLOGIVS die festo laborans, idque in communi tantùm apprehendens, esse peccaminosum, nõ peccat idcirco mortaliter.

21. EVAGRIVS Clericus, recitans Horas Canonicas absque vlla deuotione & interna attentione probabiliter non peccat mortaliter.

22. EVPHROSINA nobilis puella in Patria nouum morem inducens, & magnam pectoris & mamillarum partem nudata incedens peccat mortaliter.

23. EVTICHIVS non est reprehensibilis, dum exercet opera pia propter mercedem; absque hac non facturus illa; modò habitualiter paratus sit, absque tali spe seruare præcepta.

24. FABIVS dispensatione ad initium Quadragesimæ propter morbum impetratâ vtitur per reliquum quadragesimæ tempus, etsi cessauerit causa impetrationis.

25. FELIX Sacerdos intrà annum diu recitat officium de Resurrectione Christi, malè ex vnius Authoris assertione putans, non esse mortale.

26. FERDINANDVS è Societate IESV Sacerdos in naufragio potuit quidem apprehensam tabulam mulieri prægnanti concedere, non tamen debuit id facere.

27. FIRMATVS Parochus pro Missis, ad quas vi beneficij dicendas tenetur, potest aliud stipendium accipere.

28. FELICITAS sponsa non potest resilire ex eo, quod sponsum suum videat frequenter cum alia, hanc osculari, &c.

29. FLORA in partu rectè fuit à Parocho inuncta, si dolores ægritudinem periculosam causauerint.

30. FRONTONI militi mulier ex metu intentatæ mortis malè in flagitium consensit.

31. FROBENIVS iteratò peccans, quia eâdem operâ confiteri potest, non committit peccatum præsumptionis, vel aliam circumstantiam peculiariter in confessione aperiendam.

32. FVRIVS plura committens furta parua pro varietate casûs variè peccat.

33. GILDRADVS confessarius aiens de pœnitente, quod sit scrupulosus, non violat sigillum, si hoc ex modo tantùm confitendi advertit: secus si scrupulositas fuit materia confessionis saltem in obliquo.

34. GOLO plures prauas actiones exercens ante & post rem cum amasia habitam satisfacit in confessione dicendo, se fornicatum fuisse.

35. GOAR videns luttam, quæ recèns communicauerat, S. Hostiam ex ore in strophiolum emittere, ad eam, vt suspicatur, inhonorandam, non potest illam publicè corripere, sed occultè, prout potest, rei mederi debet.

36. GYR-

36. GVRIAS scit, in capitulo, cui assidet, iniquã fieri electionem, & tacet; vnde sufficienter quidem consentit in ordine ad peccatum & pœnam, non tamen ad valorem electionis.

37. HERIBERTO Episcopo beneficium Ecclesiæ dirutæ aliò transferenti immeritò reclamat Maurus Abbas, qui Ecclesiæ illius fuit Patronus Ecclesiasticus.

38. HESYCHIVS in multis hærens tenetur dubia, vt dubia confiteri.

39. HILARIVS absque grauiori culpa recitat breuiarium post sacrum, & extra consueta tempora, etiamsi ex nulla hoc faciat causa.

40. HOMOBONVS actus quosdam confitendo, quos præcisè vt commodos naturæ exercuit, non affert sufficientem materiam.

41. IOACHIMVS Patrem spiritualem & naturalem in pari necessitate constitutos videns tenetur cæteris paribus naturalem præponere.

42. IOANNICIVS vouens non ducere vxorem ad hoc deinde votum relaxandum non indiget dispensatione Papæ.

43. IORDANVS Beneficiarius etiamsi breuiarium omittat vno die, quia tamen supplet altero, excusatur à restitutione fructuum illius diei.

44. IRENAEVS crebrò blasphemando non peccat grauiùs, si affectus iræ non in DEVM tendat, nec ipse aduertat ad vilipensionem DEI & rerum sacrarum.

45. IOVITA pro mille florenis post annum soluendis numerans iam nongentos creditori, non committit solutionẽ vsurariã, etiamsi hæc difficilis nõ sit.

46. LEA mater rupturam filioli sui medijs ad talem affectum prorsus insufficientibus illicitè curat.

47. LIOBA dum inter horrendas blasphemiarum tentationes videtur sibi ex vna parte ijs consentire, ex altera verò repugnare eisdem, iudicanda est in hoc casu non peccare.

48. MAGISTRATVS STAGVVENSIS prohibet subditis

suis sub mulcta pecuniaria, ne ex cellis Ecclesiasticorum priuilegiatis vinũ emant, quod mandatum, etsi subditi violent, non tamen peccant.

49. MALACHIAS Religiosus ex Ordine quodam Mendicantiũ ægrotans desiderat celebrarei in altari portatili intrà cellam suam, cùm exportari difficulter possit, quod concedi ipsi à Superioribus potest.

50. MAVRILIVS chirographum 1000. florenorum à Principe debitore vendit 700. florenis Mauritio eiusdem Principis charo Officiali, qui sic emere id iustè potuit.

51. MARCELLVS torquem aureum à Marcellino (qui bonâ eum fide possedit) dono accepit, de quo iam dubitans, an sit alienus, potest præscriptionem incipere.

52. MEGENGOR comes in venando egreditur limitibus suis, idque sine omni culpa in locis nullâ sepe clausis.

53. MELETIVS Parochus, etsi varijs modis ad mortẽ rei concurrat, nullam tamen irregularitatem contrahit, quia neque ut publicus minister, neq, vt priuatus iniustè concurrit.

54. MVSCVLVS in Italia infamis fugit in Poloniam, vbi pro honesto habitus proditur à superueniente ex Italia Fusculo, & hoc fit probabiliter absque peccato.

55. MVTIO latroni ex Confessario sciscitanti, num captus fortè Iudici legitimè interroganti fateri omnia debeat, responderi potest, nõ teneri, si adhuc spes est effugij.

56. NARCISSVS puerulus in morbo lethali rectè confirmatur ab Episcopo.

57. NEMESIVS post prima sponsalia contrahit secunda cum alia, additque his iuramentum & copulam, quæ tamen prioribus non præualent.

58. NICETAS studiosus munusculis & promissis trahitur ad monasterium, idque sine simonia.

59. NYMPHODORA vouens DEO virginitatem, hâc perditâ, non tenetur ad perpetuã castitatem.

60. OLA-

60. OLAVS Acatholicus fidem Catholicam magis probabilem censet, quàm suam sectam, hanc tamen idcirco nondum deserere tenetur.

61. OPILIVS deprehenditur in confessione nescire Mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, qui quidem ob ignorantiam invincibilem non peccat mortaliter, instruendus tamen est à Confessario de Mysterijs Symboli Apost. præcipuis pro ipsius captu.

62. ORBILIVS opifex catholicus in quadragesima famulis apponit carnes, ne discedant, idque probabiliter absque peccato.

63. ORENTIVS haud illicitè in confessione aperit complicem.

64. PAMPHILVS vorando & potando absque peccato mortali procurat vomitum, vt iterum comedere & bibere possit.

65. PARMENAS dispensatus in carne tempore quadragesimæ bis eas comedere in die potest

66. PARTHENIVS cùm clarè videat, matrimonium sibi melius esse, quàm abstinentiam ab isto, hinc probabiliter editũ ab ipso castitatis votum est invalidum.

67. PATRICIVS iaculaturus auem supra culmen villæ, aberrando ab illa, incendit istam, teneturque ad restitutionem pro ratione culpæ intervenientis.

68. PHILARETVS marsupium invenit nummis bene fartum, quod requisito & non reperto Domino rectè sibi retinet.

69. PERGENTINVS picturam, cuius nescit pretium, duobus florenis dat proxenetæ vendendam, qui eam 40. florenis vendidit, & malè ex illis duos tantùm florenos dedit Pergentino.

70. PLACIDVS congressus cum vxore sua, quam credidit alienam, non commisit quidem adulterium realiter, sed tamen obiectiuè, atq; vnum duntaxat peccatum.

71. PRIMVS Mercator non admoneturrestitutionis faciendæ à Confessario, non tamen idcirco iste ad illam obligatur.

72. PROBVS Indulgentias pro Viuis concessas malè applicat Defunctis.

73. PROTOGENES Sacerdos rectè de sacra sua hostia sumit particulam, eáque communicat Laicum, si rationabilem huius faciendi causam habeat.

74. QVADRATVS in collatione vespertina diebus ieiunij potest comedere ex offa, pisciculis, acetarijs, &c. non tamen vltra quartam partem eorum, quæ in prandio sumere consueuit.

75. REYMVNDVS iurans se artem curandi cancrum nulli se communicare velle non tenetur iuramento stare.

76. RVARDVS Parochus vapulat, cuius facinoris reus putatur, & excommunicatur Proclus, qui tamen, cùm innocens sit, reipsâ excommunicatus non est.

77. RVFFINA cum filia & ancilla laborat die festo otij vitandi gratiâ, ideóque sine peccato mortali.

78. RVPERTVS Episcopus superstitionem sub excommunicatione prohibet, quæ tamen committitur à Melchiore per ignorantiam, ratione cuius variè excusatur.

79. SABINVS Iudex causam quæ inter partes æqualis est iuris, non potest, cui lubet, adiudicare, sed diuidere eam debet.

80. SABINIANVS Episcopus in statu peccati mortalis consecrans Ecclesias & calices: & adhuc Sacerdos, Diaconus, ac Subdiaconus in simili statu in Officio diuino ministrans ac concionans non peccauit mortaliter.

81. SEBALDVS, licet vir semper visus sit bonus, quia tamen moribundus nullum dedit confessionis faciendæ signum, ideò absolui non potest.

82. SENATVS CVRENSIS exigit aliquid pecuniæ à præsentandis ad beneficia Ecclesiastica, idque probabiliter absque simonia.

83. SEVERA ancilla ab hero suo accipit munera, quibus sollicitatur ad facinus turpe, in quod licet illa

non

non consentiat, accepta tamen dona reddere non tenetur.

84. SEVERIANVS Parochus moribundum absoluit, alijsq; Sacramentis munit; & licet hæc fecerit in peccato mortali existens, nō tamen peccauit propter angustias temporis, quæ vrserunt.

85. SIBYLLINA ex adulterio concipit Venereum, & marito supponit, quod tandem aperit spurio filio, qui tamen credere ipsi non tenetur.

86. SOSTHENES Sacerdos accipit stipendia pro Missis de B. Virgine, pro animabus defunctis, &c. etsi deinde non malè legat Sacra pro tempore occurrentia.

87. SOTER furtiuum equum bonâ fide emit florenis 50: & mox in alio loco eundem vendidit 70. florenis alicui extero; interea etsi verus equi dominus compareat, ei tamen nihil debet Soter.

88. SVLPITIVS mercator dolet apud vicinum mercatorē plures reperiri emptores, idque sine grauiore culpa.

89. TOBIAS, pecuniam, quam in extrema necessitate dederat Gabelo, ab eodem postea ad meliorem fortunam euecto repetere potest, si Gabelus tunc saltem spem obuenturi alicuius boni habuit.

90. TORPES absque peccato non orat ad pulsum orationis Angelicæ, & similium.

91. TROPHIMVS filiolum suum agonizantem, cum alio modo baptizari saluarique non possit, in flumen abijciendo, simulque formam pronunciando non malè facit: estque baptismus iste validus & probabiliter licitus.

92. TVSCANA ex bonis communibus etiam contra viri voluntatē licitè facit eleemosynas, modò istæ vigesimam partē annuorum redituū non excedant.

93. TYCHIVS non peccat grauiter omittendo ea, quæ in ordinatione ab Episcopo sunt iniuncta.

94. VALENTINVS Parochus puerum cum scheda suscepti baptismi inuentum bene licitèq; rebaptizat.

95. VARVS nolens domum suam vendere, quæ Monasterio contigua & perquam commoda foret Religiosis, potest à Magistratu cogi.

96. VBALDVS die festo simul audit duorum Sacerdotum duas partes Missæ, & satisfacit.

97. VENEREVS diu ignoranter exercuit mollitiẽ, ideòque nullum commisit peccatum.

98. VRSITIVS negat sub iuramento, se fuisse domum aliquam ingressum, in qua tamen reuera fuit, rectè æquiuocatione vsus.

99. ZELPHA licitè denunciat Balam conseruam suam hero in flagitio deprehensam.

100. ZOA, licet innocens, vi tamen tormentorum ream se immanis sceleris fatetur; quæ inde nec peccat, nec reuocare tenetur.

CEN-

CENTVRIA I.

SELECTORVM CASVVM CONSCIENTIÆ.

CASVS I.

Gidius ab amico inuitatur ad mensam, vbi vinum liberaliùs haustum ipsi visum obfuscat, linguam vincit, pedes infirmat, caput gyrat, memoriã sepelit, mentem in iocos aliaque insolita soluit, & omnia ita perturbat, vt tantùm aduertentia aliqua inter bonum & malum, turpe & honestum permaneat. Quæritur. Vtrùm peccauerit mortaliter?

Videtur sic peccâsse, quia talis passim ab omnibus ebrius habetur; ebrietatem autem ex suo genere esse peccatum mortale, communis est Theologorum sententia.

Resp. Ægidium non commisisse peccatũ mortale ebrietatis. Ita Caiet. Sylvest. Valent. Less. Laym. *L. 3. s. 4. n. 5.* Dicastillo *de Iust. L. 1. D. 3. n* 142. Palao *de Iust. Tr.* 1. *D. 3. p. 5. n. 3.* & alij. Ratio est, quia ebrietas, quæ sit peccatum mortale, ex communi Theologorum est *violenta rationis interceptio per nimium potum voluptatis causâ haustum.* Atqui si

adhuc

adhuc adest aduertentia rationis inter bonum & malum, inter turpe & honestum, non est perfecta interceptio rationis; esto oculis duplicata omnia appareant, lingua titubet, pedes vacillent, caput in gyrum agatur, vomitus sequatur, phantasia sit nonnihil turbata, memoria labatur. Ergo, &c.

Ad rationem in oppositum dicimus, Ægidium prudenti iudicio non posse censeri *Theologicè* ebrium ob causam dictam, licet imperfectam aliquam ebrietatis rationem participet, & *vulgò* denominationem ebrij habeat, ideòque peccatum veniale ex gravioribus committat.

II. *Agricola mercede conducit Vitalem famulum, eique curam rei domesticæ commendat, in qua ex levi eiusdem culpa, seu diligentiæ omissione damnum contingit fractione pretiosi vitri, cuius damni reparationem Agricola à Vitale exigit. Quæritur. Vtrum Vitalis reparare damnum illud ex fracto vitro teneatur?*

Videtur teneri. Ita Salonius, Arragon. & alij, quos citat & sequitur Bonac. D. 3. *de Contract. q.* 1. *pun.* 6. *n.* 14. quia inter dominũ & servum mercede conductũ intercedit contractus in vtriusque vtilitatem; in tali autem contractu dari obligationem iuxta leges civiles ad reparationem damni ex culpâ etiam levi iuridicâ, docent Molin. de Iust. Disp. 295. & communit. alij DD.

Resp.

Resp. Vitalem non obligari ad reparationem damni. Ita Card. Lugo *de Iust. D. 8. n. 92.* Less. *c. 7. de Iust. n. 32.* & alij. Ratio est, quia eadem planè est ratio cum his famulis, quæ est cum Iudice, Advocato, Medico, atque alijs Officialibus, vt testantur *cit. AA.* Atqui isti non tenentur ex culpâ levi, vt habet communis Theolog. & docet Clarus *L. 5. pract. criminalis. §. fin. q. 73. n. 3.* vbi alios AA. affert. Ergo nec famuli obligantur. *Differentia* inter Officiales (quo nomine famulos venire recéns diximus) & conductores sumitur ex citatis legibus ciuilibus, quæ de officio & famulatu non idem asserunt, quod de contractu, vtut aliàs spectando ius naturæ eadem videatur vtriusque ratio, vt rectè advertunt Lugo *loc. cit.* & alij.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium; nam vniversim negamus, ex quouis contractu in vtilitatem vtriusque surgere obligationem damni reparandi ob culpā etiam leuem iuridicam; cum LL. ciuiles aliter circa contractus officialium, adeòque & famulorū disponant, etsi in vtriusque vtilitatem etiam cedant.

III. *Ammonius habens prauā consuetudinē falsò iurandi, sæpe quidē sic iurat, sed prorsus inadvertenter, & ex subito animi motu atq; iræ impetu. Quæritur. An committat peccatum in se mortale?*

Videtur tale committere. Ita Caietan. Navarr.

Navarr. *in sum. cap.* 12. *n.* 6. & alij. Quia inadvertentia illa non excusat Ammonium, cùm etiam advertens similiter peieraret.

Resp. I. Si Ammonius vel non habuit prauam consuetudinem falsum iurandi, vel hanc per dolorem retractauit, iuramentum falsum inadvertenter prolatum non fore peccaminosum. Ita ex comuni Suarez *Tom.* 2. *de Rel. L.* 3. *c.* 7. *n.* 5. cùm illud nullo modo sit voluntarium. II. Si verò habeat prauam consuetudinem falsò iurandi, & hanc non retractârit, iuramentum factum etiam inadvertenter, & ex subito iræ impetu prolatum, esse peccatum mortale, non quidem in se, sed in voluntate, quam habet, non remouendi consuetudinem, Ita Sanch. *L.* 3. *in Decalog. c.* 5. *à n.* 28. Palao *Tr.* 14. *D.* 1. *pun.* 9. *n.* 5. & alij. Ratio est, quia iuramentum illud, nec directè & in se est voluntarium, ut patet: nec indirectè, hoc ipso quod non fuerit potestas illud vitandi. Ergo solùm in causâ nõ amotâ, prauâ scilicet consuetudine. Hanc consuetudinem si Ammonius sæpius admonitus emendare non laboret, non posse ipsum absolui, cum plurib. Theolog putat Suarez *loc. cit. c.* 8. *in fin.* Sed mitiùs & rectiùs sentit Sanchez L. 2. *in Decal. c.* 32. *n.* 45. loquens de blasphemiâ, quia ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinsecâ, sed intrinsecâ peccatoris fragilitate, non est absolutio vel neganda,

vel

vel differenda, cùm dolendo de peccatis satis pœnitens se disponat.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

IV. *Anastasia durissimè tractatur à viro suo, quæ idcirco sæpe sibi mortem imprecatur. Quæritur. An peccet?*

Videtur mortaliter peccare. Ita Navarr. in manual. *c. 15. n. 15.* Tum quia non est Domina vitæ suæ. Tum quia est contra Charitatem sibi debitam.

Resp. Anastasiam non peccare. Ita Sancius *in select. D. 2. n 9.* & alij. Quia potest afflictionem hanc prudenter censere maius malum, quàm ipsam mortem. Imò alios quosuis ex indignatione & impatientiâ mortem sibi deliberatè imprecantes non peccare mortaliter, existimamus contra Dian. *P. 5. Tr. 14. R. 92.* & probamus tum exemplo Eliæ 3. *Reg.* 19. Ionæ *cap.* 4. &c. tum quia sensus verborum illorum alius non est, quàm *malumus mori, quàm tales molestias pati.*

Ex quo patet, nec dominium Dei in vitam nostram, nec charitatem nobismetipsis debitam violari. Cæterùm ex communi Theolog. apud Bonac. *in Præcep. IV. Decal. D. 5. Q. vnic. p. 6. num.* 1. peccat graviter Maritus Anastasiæ tam duriter hanc verbis & verberibus tractando, cum vxor non vt serva vilipendenda, sed vt socia sit amanda & honoranda

(sunt

(ſunt quippe *duo in carne vna Matth. 19.*) ac delinquens etiam moderatè corrigenda, cum acris & digna delicto pœna non ad maritum, ſed Iudicē pertineat. Vnde Palao de ſponſalib. D. 3. pun. 4. §. 3. verberum Punitionem (niſi grauiſſima vrgeat cauſa) mortalem cenſet, & non immeritò, quia ex ſe vtpote ſervilis maximè vxorem dedecet; & in aliquorum ſententia ſufficientem dat divortij cauſam.

V. *Anthuſa vxor advertens virum ſuum plura contrahere debita, quàm ſit ſolvendo, poſt mortem huius inopinatam citò tantum bonorum ſubtrahit, quantum & ſibi & liberis ad competentem ſuſtentationem neceſſarium arbitratur. Vnde ſuſpecta creditoribus coram Iudice iurat, nihil de bonis viri ſe ſublegiſſe, ſubintelligendo non neceſſarium ad honeſtæ vitæ ſuſtentationem. Quæritur. An facere hoc licitè potuerit?*

Videtur non potuiſſe. Tum quia eſt in fraudem, & contra Ius creditorum in bona relicta à marito. Tum quia ſequeretur, debitores non teneri ſolvere debita cum aliqua imminutione honeſtæ ſuſtentationis, quod videtur contra communem. DD.

Reſp. Licitè feciſſe Anthuſam. Ita Cœleſtin. *in compend. mor. Theolog. Tr. 9. cap. 19. in fine* relatus apud Dian. *P. 5. Tr. 14. R. 57.* Ratio eſt, tum quia creditores rationabiliter non poſſunt eſſe inuiti. Tum quia rem alienam iniuſtè non retinet, & ſicut ſubtrahendo neceſſaria

cessaria ad sustentationem (etsi iniustè à viro essent acquisita) non peccat, ita neque peccat iurando. Tum quia licitum est cuilibet in graui suâ, vel suorum necessitate, aliquid clanculum surripere, quando aliter ea averti non potest, vt docent P. Navarr. *L. 3. cap. 1. n. 357.* Less. Lugo, alij. Ergò multò magis licitum erit Anthusæ, aliquid non restituere, cùm subtractio illa non tam sit ablatio rei, quàm denegatio restitutionis.

Ad *primum* in contrarium negamus, id esse in fraudem & contra jus creditorum, hoc ipso, quod iustè ac rationabiliter fiat. Ad *secundum* itidem negamus sequelam, cùm hîc non agatur de aliqua solùm imminutione, sed omnimoda amissione honestæ sustentationis; & ex communi doctrina plus liceat ad cavendam istam, quàm illam.

VI. *Attilius Princeps ob copiam vini in suâ ditione crescentis legem statuit, ne quis vinum ex alia Prouinciâ inferret. Cneus huius gnarus antequam lex illa promulgaretur, aliquot vini plaustra aliunde advexit. Subditi verò eandem legem postea promulgatam absque iustâ causa non acceptârunt. Quæritur. Vtrum tam isti, quàm ille contra legem egerint?*

Videtur, Cneum fecisse contra legem; quia sciuit, eam iam esse statutam: non autem eandem violâsse subditos; quia iuxta communem sententiam Canonist. *in c. 1 de*

Treuga & pace, lex non obligat, nisi acceptetur.

Resp. Cneum non violâsse legem: Subditos verò eandem fuisse transgressos. Ratio prioris est, quia de ratione legis *vt proximè obligantis* est promulgatio, vt habet communis DD. apud P. Tannerum *Tom. 2. D. 5. Q. 1. d. 1.* siquidem absque istâ regulare ac dirigere (quod legis est) subditos nequeat. Cùm ergo ante promulgationem lex verè & perfectè non subsistat, nec violari potest. Vnde patet ad argumentum in oppositum. Ratio posterioris est, quia acceptatio populi, per se loquendo, ac seclusis particularibus pactis & priuilegijs, non requiritur ad valorem legis, vt docent Laym. *de LL. c. 3. n. 1.* Arriag. *D. 17. n. 1.* Palao *D. 1. p. 13.* & plures alij. cùm Princeps absque eâ & potestatem & voluntatem habeat obligandi subditos; nec sanè expediret Reipubl. vt leges iustæ & vtiles pro libitu recusari â subditis possent. *Sententia Canonist. in contrarium allata* intelligenda est solùm casu, quo lex valde gravis & difficilis esset; tunc enim prudenter præsumitur, legem eiusmodi non esse latam à Principe *ex absolutâ voluntate* obligandi, sed solùm experiendi, num populus ad eius receptionem induci possit, vt post Suarez & Salas, rectè Palao *loc. cit. n. 4.* Secus autem se res habet in proposito, vbi lex nec difficilis, nec inutilis fer

tur

tur. Atque sic patet ad rationes in oppositum.

VII. *Auitus vir nobilis aduertit, fateturque excessum suum in cibo, potu, vestibus, vsu matrimonij, appetitu pecuniæ, honoris, laudis, excellentiæ, &c. Quæritur. Vtrum peccet mortaliter?*

Videtur peccare mortaliter. Tum quia SS. Scriptura & Patres hunc excessum grauiter reprehendunt, vt videre est apud Authores passim. Tum quia grauem committit inordinationem.

Resp. Auitum in his (per se loquendo, secluso damno, & aliâ malitiâ extrinsecâ) non peccare mortaliter. Ita ex communiore Less. *L. 4. de Temper. c. 4. n. 110.* Ratio est, quia, vniuersim loquendo, quando aliquid per se malum non est, sed indifferens, tum excessus in eius appetitione & vsu est tantùm venialis, cùm in tali re mediocritatem attingere sit difficile, & nullum graue detrimentum inferatur Deo, vel proximo. Atqui prædicta, in quibus delinquit Auitus, per se mala non sunt, sed indifferentia. Ergo excessus in illorum appetitione & vsu, per se loquendo, est tantùm venialis.

S. Scripturæ & PP. grauiter reprehendunt excessum illum non *per se*, sed ratione alicuius prauitatis *per accidens* annexæ, quo modo etiam inordinatio gravis censeri potest, qualis tamen per se non habetur.

VIII. *Baldus Principi cuidam in Germaniâ à consilijs, & vir bonus delectatur lectione Calendariorum prognosticorum, nouorum ab Hæreticis impressorum & similium, quæ varios hominum ac rerum status concernunt, & subinde amarè perstringunt; sed Religione tactus intelligere vult ex Confessario, an licitè legere talia possit? Quæritur. Quid Confessarius respondeat?*

Videtur nõ posse. Quia *in Indice libr. prohibit. reg. 2.* vniversim Hæreticorũ libri, etiamsi de Religione non tractent, nõ permittuntur, nisi Catholicâ censurâ sint legitimè approbati.

Resp. Baldum, secluso propriæ animæ, aliorúmque salutis periculo, licitè ea Calendaria, nova, ac Pasquillos legere posse, modò Sacra Fidei Catholicæ, & Summum Pontificem non concernant. Ita P. Tanner *Tom. 4. D. 6. q. 10. n. 101.* Ratio est. Tum quia prædicta nomine librorum non comprehendũtur, sicut neq; sub censura *Bullæ Cœnæ* brevis scriptura, oratio, concio, quæstio, epistola, annotatio &c. comprehenduntur, vt docent Sanchez *L. 2. in Decal. c. 10. n. 29.* Bonac. *D. 2. de Cens. q. 5. pun. 4. n.* 18. Palao *Tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5.* & alij. Tum quia lectionem talem communis vsus ac consuetudo in Germaniâ tanquam licitam permittit; vnde passim viri etiam timorati & Ecclesiastici absque scrupulo talia legunt.

Ex quo patet ad rationem in contrarium; regula

regula enim illa in Germaniâ ob difficultatem, quam continet, contrario vsu elanguit, si etiam fuit vnquam recepta, & vim habuit.

IX. *Benno Civis Monacensis sub festa Pentecostes Oettingam Vet. Religionis causa profectus Confessionem ibi peccatorum suorum peregit. Confessarius illi pro satisfactione præcepit, vt in S. Ædiculâ coram Imagine miraculosa B. V. recitaret vnum rosarium flexis genibus. Verùm is nihil horum fecit, atque etiam domum reversus distulit eius pœnitentiæ executionem vsque ad festum Portiunculæ, quo die denuò confessurus recitauit manè rosarium in Sacello domestico assidens in sellâ. Quæritur. Quomodo peccârit tam differendo, quàm alio loco & situ, ac imperatum erat, pœnitentiam iniunctam exequendo?*

Videtur mortaliter peccâsse, vt innuunt AA. passim; quia in re graui, & ad reconciliationem cum Deo ordinata intentionem Confessarij absque vllâ causâ distulit simul, & aliquatenus intermisit.

Resp. Bennonem non peccâsse, saltem graviter. Nam non peccauit differendo tam diu pœnitentiam; quia nullus obligatur confessionis præcepto statim ac peccat, sed potest differre confessionem per annum, Ergo simul poterit non tantùm per duos vel tres menses, sed per integrum annum pœnitentiam à Confessario impositam differre, Vt cum Fernandez, Martin. de S. Iosepho, Escobar, & alijs

docet Dian. *P. 10. Tr. 12. R. 42.* Non etiam peccauit alio modo, quàm fuerat impositum, pœnitentiam implendo; quia modus talis censetur circumstantia levis, vt post Sanchez, Lugo, & alios docet Dicastillo *de Pœnit. D. 14. n. 81.* quippe in hoc vel illo loco, aut situ dicere rosarium, æquale, aut ferè æquale est Beatissimæ Virginis obsequium, modò res ritè peragatur. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

X. *Chariton legitimè excusatur à debiti solutione; interea autem temporis ob omissam solutionem creditori damnum euenit, & lucrum cessat. Quæritur. Vtrum postea Chariton debitum solvere potens, etiam damnum obueniens & lucrum cessans resarcire teneatur, vti petit creditor?*

Videtur teneri. Ita Molin. D 754. *n. 3.* Laym. *Tr. 2. de Iust. c. 12. n. 2.* & alij. Tum quia aliter creditor non præsumitur dilationi consentire. Tum quia differens solutionem in suum commodum tacito contractu se obligat, iacturam creditoris resarcire.

Resp. Non teneri, sive Chariton debitor sit ex contractu, siue ex delicto. Ita P. Navarr. *L. 4. de restit. c. 4. n. 46.* & ferè Less. *de Iust. c. 16. n. 33.* Ratio est, tum quia Chariton nec est ob moram solutionis causa iniusta illius damni & lucri cessantis: nec ista proveniunt ex culpabili solutionis omissione, sed proveniunt ex retentione solutionis iustâ, non vtique

vtique proventura, si restitutio fieret; damna autem ex tali iustâ retentione orta non possunt imputari Charitoni hoc ipso, quod iste non sit causa moralis iniusta, quod necessariò ad talem imputationem requiritur. Consentiunt huic assertioni quoad priorem partem de debitore *ex contractu* Rebellus, Salas, Bonacina, & alij, quos affert & sequitur Card. de Lugo *de Iust. D. 18. n. 35*: dissentiunt autem ab eadem quoad alteram partem de debitore *ex delicto*; sed immeritò, quia iusta causa radicitus moram purgat. Vt rectè Navarrus cit. & fere Lessius *c. 16. n. 33.* in fine, vbi ait, debitorem ex delicto non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi conijciendo se in gravem necessitatem. Vnde negamus rationem in contrariũ allatam, cùm nullo nitatur fundamento.

XI. *Carpus audit in Concione, creditque, esse peccatum mortale, vesci carnibus in pervigilio SS. Philippi & Iacobi, eò, quod sit ieiunium, & tamen ab ijs se non abstinet, conscientiam illam absque aliâ ratione abijciens. Quæritur. Vtrum comedendo carnes peccet mortaliter?*

Videtur non peccare mortaliter. Ita Caietan. *in* 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. quia conscientia errans non habet ex se vim obligandi, nisi quatenus acceptatur. Ergo quandocunque non acceptatur, non obligat.

Resp. Carpum peccare mortaliter. Ita Suar. Vasq. Palao *Tr.* 1. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 5. Bress. *L.* 5. *c.* 23. *in fine* & alij communiter. Quia nemo potest se pro libitu eximere legibus. Atqui conscientia illa, cùm *vt vera* appareat, habet se instar legis, & est proxima regula voluntatis operandi, vt cum S. Thomâ *loc. cit.* docent communiter Theol. Ergo Carpus pro libitu exuere se illâ non potest, sed eâ obstrictus peccat mortaliter, si eandem violet, vt fit in proposito.

Ad rationem in oppositum dicimus, errantem conscientiam duplicem esse, vnam, quæ ita dictet aliquid esse peccatum, vt nullo modo etiam probabiliter credatur, esse licitum id, quod revera est licitum *secundum se*: alteram, quæ ita dictet aliquid esse peccatum, vt tamen verosimile, vel ex authoritate, vel ex ratione appareat oppositum. Hæc *posterior* non habet vim obligandi, nisi acceptetur, & deponi potest absque aliâ ratione; non autem illa *prior*, qualis est Carpi, qui nihil cogitando vel de errore concionatoris, vel de alio motiuo rationabili in contrarium, omnino persuasit sibi ieiunandum esse, & à carnibus abstinendum, & tamen id contra conscientiam talem non fecit, vanè hoc sibi licere arbitratus.

XII. *Cosmas Medicus ad Lazarum infirmum vocatus nullam agnoscit medicinam, quæ probabiliter*

liter morbum curatura videri possit, deficientibus autem probabilibus advertit adesse quasdam incertas, quæ obesse æquè, ac prodesse queant. Quæritur. Vtrum istas in extremo vitæ discrimine Lazaro adhibere possit?

Affirmat Thom. Sanch. *L. 1. mor. c. 9. num.* 19. quia periculum accelerandi ægro mortem sufficienter compensatur spe vitam desperatam conseruandi. Negant plures, quos refert & sequitur Palao *Tr 1. D. 2. p. 9. n. 5.* quia applicans talem medicinam incertam, quantum est ex se, applicat causam efficientem mortis, quod vtique illicitum.

Resp. Posse Cosmam applicare Lazaro desperato medicinam incertam, si vel ex levi fundamento profutura putetur. Ita Arriag. *de Actib. hum. D. 24. n. 25.* quia sic vim acquirit ratio sententiæ affirmativæ, & eandem perdit ratio sententiæ negativæ; quippe evadit ex illâ medicinâ minus periculum nocumenti, & maius fundamentum emolumenti.

XIII. *Cosmophilus ita rebus immersus est terrenis, vt desideret perpetuo degere in terrâ, & Deo relinquere velit Cœlum, si sibi terram concedat. Quæritur. An graviter peccet?*

Videtur non grauiter delinquere, cùm præceptum nullum appareat, quod grauiùs violet.

Resp. Cosmophilum hoc concupiscentiæ amore committere peccatum mortale contra

ſpem divinam, quam ita tenemur habere erga Deum & Diuina, vt iſta præ omnibus concupiſcibilibus nobis concupiſcamus iuxta illud *ad Rom. 15. Vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus &c.* Vnde etiam peccant coniuges, ſi deſiderare ſe dicāt, vt perpetuò conviuere ſibi detur in terrâ; niſi hoc loquendi modo indicare ſolùm velint vehementiam amoris coniugalis.

Ad rationem in oppoſitum patet ex dictis; quippe peccat Coſmophilus contra præceptum Spei diuinæ, quo iubemur non ſolùm ſuo tempore ſperare cœleſtia, ſed etiam præ his terrena nunquam nobis deſiderare.

XIV. *Cunibertus Salisburgi denunciatur excommunicatus, qui abſolutionem negligēs fugit Coloniam, vbi poſt paucos menſes Cuthbertus eius concivis, reique gnarus in eum incidit. Quæritur. Vtrum iſte vitare illum Coloniæ teneatur?*

Videtur teneri. Ita Vaſq. *Tr. de excom. dub. 8. n. 2.* Filliuc. *Tr. 13. c. 3. q. 7. n. 49.* Bonac. *D. 2. de cenſ. q. 2. pun. 6. §. 2. n. 48.* & nonnulli alij. Quia Concilium Conſtantienſe abſque reſtrictione præcipit, vitare excommunicatum denuntiatum.

Reſp. Cuthbertum non teneri Coloniæ vitare Cunibertum. Ita Sanch. *L. 2. in Decal. c. 11. n. 20.* Avila *p. 2. de Cenſ. c. 6. D. 11. d. 12.* & alij. Nam excommunicatus publicus in vno loco non eſt cenſendus talis in alio, in

quem

quem devenire non potest denunciatio; esto enim hæc afficiat personam, intelligendum id tamen respectu illorum, quibus innotescit. At Coloniæ denunciatio Cuniberti non est notoria. Ergo nullam obligationem inducit, eum vitandi tam publicè quàm priuatim, quidquid contra hoc posterius sentiat. Auila *loc. cit.* quia post Constantiense obligatio vitandi non oritur ex solâ excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, vt rectè advertit Palao *Tr. 29. D. 2. pu. 4: n. 9.* Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

XV. *Cuno per loca hæretica transiens, cùm sciat Catholicis varia in ijs accidere pericula, vt hæc evitet, comedit carnes diebus prohibitis, adit ipsorum templa, abscondit rosarium aliáque Catholicorum indicia, vt alijs eiusdem secum sectæ planè appareat. Quæritur. An rectè id fecerit?*

Videtur malè fecisse, quia comestio, & actiones istæ sunt signa falsæ fidei, ex quibus aliquis conijci solet alienus à Romanâ fide.

Resp. Cunonem, per se loquendo, & secluso scandalo, & Religionis contemtu, licitè egisse. Ita Azor, Sanchez, Coninck. Becan. Laym. *L. 2. Tr. 1. cap. 11. num. 5.* & alij. Ratio est, quia licèt per huiusmodi signa aliquo modo Hæretici à Catholicis dignoscãtur; attamen non sunt signa instituta ad falsæ fidei professionem, & protestationem hæresis: neque in tali necessitate obligat Ecclesiæ

clesiæ præceptum de non comedenda carne. Vnde Tanner *Tom. 3. D. 1. Q. 7. d. 5. n.* 110. Bannez 22. *q. 3. art.* 2. *dub.* 2. & alij inferunt, posse aliquem vti pileo Turcico cum tobalia alba, vt securus per Turciam transeat, &c. Ergò Cuno signis illis vtens præsumi nō potest negare fidem, aut falsam protestari, sed solùm occultare se voluisse, cùm non teneretur se manifestare, licitèque aliorum deceptionem ad sui liberationem permittere posset. Atque ex hoc patet ad fundamentum in contrarium.

XVI. *Elias die, quo in proprio ipsius loco peculiare est ieiunium, hospitatur in loco alieno, vbi similiter particulare est ieiunium. Quæritur. An teneatur ad jeiunandum?*

Videtur teneri, ne absurdè sit omnino ex-lex. Ita plerique AA. quos citat & sequitur Diana P. 1. *Tr. 9. Resol.* 18. & *Tr. 10. Resol.* 13. *in fine*; non tamen convenit inter eosdem, cuius loci lege diœcesanâ teneatur.

Resp. Eliam probabiliter neutrius loci lege obligari ad ieiunandum. Ita Io. Sancius *in select. D. 44. n. 31.* Ratio est, quia non obligatur ratione legis domesticæ, vt cum pluribus docet Arriag. *D. 15. n.* 41. eò quod tale præceptum specialiter intra locum se contineat, pro quo fertur: nec ratione legis in alieno loco existentis, vt cum multis docet Laym. *L. 1. Tr. 4. c. 12. n. 4.* eò quod tale præceptum non

non obliget, nisi subditos & membra illius communitatis, pro qua fertur.

Nec absurdum putandum, Eliam in hoc casu esse *exlegem*, cùm vniversim vagi nullis particularibus locorum legibus ligentur. Sed, inquiunt, regula Iuris est *in 6. Qui sentit commodum, sentiat & onus.* Ergo si Elias ob absentiam à Patriâ habet commodum, quod non sit obligatus lege ieiunij in illâ, oportet & ipsum habere onus legis ieiunij in altero loco. Dicimus, illam regulam iuris procedere solùm de commodo, cui onus necessariò est annexum, sicuti qui percipit fructus beneficij, prædij &c. debet his annexa onera portare, *quia onus transit cum re*, in præsenti verò nõ est necessariò annexum onus commodo, vt per se constat.

XVII. *Emerentiana celebrauit nuptias, quibus peractis, cùm vir eius debitum coniugale exigeret, negavit illa, aiens, ante bimestre elapsũ matrimoniũ se non consummaturam, cùm Religionis ineundæ cogitationem, quam ante nuptias contractas habuit, nondum planè abiecerit. Quæritur. I. Vtrum Emerentiana ob cogitationem de Religione ineunda rectè recusarit intra primum bimestre debitum coniugale? II. Vtrum negare potuisset, etiamsi nihil de Religione cogitasset? III. Vtrum hoc Bimestre extendat se ad ipsam professionem, vel ad solum ingressum?*

Videtur Emerentianam malè negâsse debitum,

tum, quia à puncto coniugij contracti tenentur coniuges debitum sibi reddere; quod maximè verum, si Emerentiana nihil cogitavit de Religione intranda, vt docent Angelus, Coninck, Hurtado, Palao *Tr. 28. de sponsalib. D. 3. pun. 2. §. 5. n. 7.* Martin. Perez *de Matr. Disp. 22. sect. 5. n. 14.* & alij. Quia iure Pontificio nullis alijs coniugibus obligatio reddendi debitum invenitur suspensa, nisi ijs, qui de Religione cogitant, qui tamen deinde intra primum illud bimestre profiteri tenentur, vt docent Abbas *in Cap. ex publico. de conversi. coniugator.* Navarr. alij.

Resp. I. Emerentianam rectè fecisse, non reddendo debitum intra primum bimestre sui matrimonij, quo tempore adhuc cogitabat de Religione intranda. Ita omnes DD. Catholici *ex Cap. 7. de conversione coniugat.* Vi cuius suspenditur obligatio reddēdi debitum, quæ aliàs à puncto contracti Matrimonij vrget. Addunt Sanchez *L. 2. de Matr. D. 24. n.* & Basilius Pōtius *L. 9. de Matr. c. 9. n. 8. 12.* Iudicē, causà cognitâ, posse restringere aut prorogare dictū bimestre ipso iure taxatū. Resp. II. Etiamsi Emerentiana nihil cogitasset de Religione ineunda, nihilominus licitè negâsse debitum viro suo intra illud bimestre. Ita Sāchez *loc. cit. n. 25.* Basilius Pontius *loc. cit. n. 7.*

Præ-

Præpositus *in 3. part. D. Thom. Q. 5. dub. 6. n. 47.* & plures apud hos. Nam esto modò non habeat hanc cogitationem, potest tamen habere, & casu, quo Religionem non ingrediatur, maiori postea affectu coniungetur viro suo, quia desideria dilata crescunt, & sic opus non est, vt prædictum bimestre alibi reperiatur concessum ijs, qui de Religione non cogitant, cùm satis in prædicto *capit. ex publico* contineatur. Resp. III. Bimestre illud extendi ad ad solum ingressum in Novitiatum, non autem ad ipsam Professionem in Religione. Ita communis D.D. apud Perez *loc. cit. num. 9.* quia sine manifesto textu & ratione recedendum non est à iure Communi concedente annum Novitiatûs ante Professionem; nullus autem talis textus aut ratio afferri potest. Quare vir Emerentianæ, si hæc Religionem ingrediatur, exspectare debet, donec illa, absoluto Novitiatu, Professionem emittat, nec ante hanc ad alias nuptias transire potest, vt ex declaratione Tridentini advertunt Sanchez, Pontius, alij suprà citati.

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium allata. Sed vrget Perez *loc. cit. num. 15.* aiens, rarissimum esse, vt coniuges, si de facto de Religione non cogitét, postea primùm cogitationem hanc Religionis ineundæ suscipiant, ideóque hoc à iure considerabile non esse. Dicimus ratum quoque esse, vt cogitantes

tes de Religione ineunda matrimonium contrahant, & tamen hoc à iure consideratur; cúmque hoc in favorem magnum sit, meritò ad prædictum casum, quo cogitatio de Religione coniugibus saltem venire potest, consideratio hæc iuris extenditur.

XVIII. *Epiphanio Episcopo ad beneficium curatum in sua diœcesi valde insigne duo se sistunt competitores, vterque revera dignus, alter tamen altero dignior. Quæritur. Vtrum Epiphanius, quem velit, ex his eligere possit ad beneficium illud curatum?*

Videtur teneri eligere digniorem. Ita Caiet. Navarr. Ledesma, Covarr. Azor, Vasq. Turrian. Less. Palao, & plures alij, quos citant, & sequuntur Card. de Lugo *de Iustit. D. 35. num. 11.* Barbosa *in Collect. Tom. 1. L. 1. tit. 6. cap. 19. n. 4.* & Pax Iordanus *prælud. 12. suarum elucubrat.* Moventur tum Authoritate Concilij Triden. *sess. 24. de Reform. c. 1.* Innocent. III. *cap. vnic. de benef.* & D. Thom. 2 2. *q. 63. art. 2. ad 3.* Tum ratione, quia ex iure naturali & iustitiâ distributivâ tenetur Elector consulere bono communi, & eius mala impedire, id quod non facit, præferendo dignú digniori.

Resp. Non improbabile esse, Epiphanium absque graviore peccato posse, quem velit, ex his eligere, & dignum etiam preferre digniori in conferendo beneficio curato. Ita Glossa, Hugo,

Hugo, Perusin. & Io. Andreas apud Thom. Sanchez *Consil. moral. L. 2. c. 1. dub. 2. n. 15.* Rochus *de Iure Patronatûs. V. Honorificum. q. 15. ad fin.* & alij apud Dian. *p. 2. Tr 15. Resol.* 40. Cæsar Lambertinus apud Dicastillo *de Iust. Tr. D. 8. num.* 102. Sotus & nonnulli tacito nomine allegati apud Pacem Iordanum, *loc. cit. n.* 2. Alexand. Alens. *part. 2. q.* 136. §. 2. relatus à Lugone *loc. cit. n. 10.* Denique hanc sententiam absolutè probabilem censet Filiuc. *Tom. 3 Tr.* 41. *c.* 4. *n.* 181. Prob. 1. Quia bonum Ecclesiæ plus non postulare videtur, quàm vt talis eligatur, qui debitã beneficij curati gubernationé gerere possit. Atqui istud potest dignus; imò dignior non tenetur ad plus, quàm quod dignus præstat. Ergo eligendo dignum præ digniore nihil fit contra bonum commune Ecclesiæ. Prob. 2. Quia ad beneficia Ecclesiastica simplicia potest dignus eligi, neglecto digniore, vt docent vterque Navarr. Arrag. Ledesm. Gutierez, & alij, quos citat & sequitur Sanch. *loc. cit. n.* 20. Item Patronus laicus, qui non est primus fundator beneficij, non tenetur præsentare digniorem, vt tradunt Molin. Azor, Less. Vasq. Gutierez apud Pacem Iordanum *loc. cit. n.* 10. quorum opinionem ipse probabilem censet. Demum Papa & Reges in collationibus liberis non obligantur inquirere digniorem, & hunc præferre, vt docet Reginald. *Tom.* 2.

L.30. Tr.3 cap.14. n. 197. cuius sententiam probabilem censet Dian *loc. cit in fin.* & ferè Barbos *c. 2. cit. num 99* & Iordanus *loc. cit. num.26.* Ergò etiam Epiphanius Episcopus ad beneficium curatũ potest eligere dignum præ digniore; nam Concil. Trid. Ius naturale, Iustitia distributiua vel æquè stant contra hæc omnia, vel nulli eorum magis obstant, vt ipsa Authorum inter se diversitas satis ostendit. Probat. 3. Quia Prælati in virtute & doctrina conspicui passim consanguineis, & familiaribus suis, vel alijs etiam beneficia & quidem pinguia conferunt, si modò digni sint; esto adsint alij digniores, quos nemo idcirco grauioris peccati damnat. Subintelligendum tamen in his omnibus, *nisi ex iuramento, statuto, lege vel aliunde electio dignioris sit facienda*; quò respicientes aliqui ex adductis AA. variè in diuersis locis loqui videntur.

Ad *primum* id contrarium dicimus. Trident. Innocent. III. & S. Thomam loqui de electione Episcoporum, vt præter alios docet Filliuc. *loc. cit.* imò nemo est ex Adversarijs, qui non fateatur, suam sententiam inde erui tantùm, non autem ex claro textu haberi. Ad *secundum.* Electorem neque ex jure naturali, neque ex iustitiâ distributiuâ teneri, præferre digniorem; non ex jure naturali, quia hoc plus non exigit, quàm vt officio curato ritè prospiciatur,

prospiciatur, quo facto, sufficiéter bono communi consulitur, & malum impeditur, aliàs etiam beneficijs simplicibus, & in liberis collationibus à Papa & Regibus dignior semper esset præficiendus, quod etsi consequenter aliqui asserant, plerique tamen negant, vt vidimus: non ex Iustitia distributiua, quia beneficia instituta sunt in bonum Ecclesiæ absque respectu ad concertantes pro illis, vt fatetur Lugo *n.* 14. vt proinde dignior nullum inde ius habeat, quod proximè vrgeat, vt digno preferatur. Vnde infertur, nullã incurri obligationem restituendi, si digniori dignus præferatur, de quo Tanner T. 3. D. 4. Q 8. *d.* 1. Dicastillo *L.* 2 *de iust. Tr.* 2. *D.* 8. *dub.* 5. & alij.

XIX. *Equitius vulnus infligit Dasio adeò grave, vt iste, dum mortem ille ampliùs impedire non potest, ex eo vulnere moriatur. Quæritur. Vtrum Equitius, intellectã morte Dasij, satisfaciat postea in confessione dicendo, se lethale vulnus inflixisse alicui; nullam mentionem faciendo mortis secutæ?*

Videtur non satisfacere. Ita P. Thomas Sanchez *de Matr. L.* 9. *D.* 5. *n.* 30. Valent. Henriq. Palao *Tr.* 2. *D.* 1. *p.* 3. *n.* 7. Arriaga *Tom.* 3. *D.* 45. *n.* 13. & apud hos alij plures. Tum quia effectus isti, etsi in se non sint liberi, sunt tamen extrinsecè liberi, quod sufficit, vt patet in actu externo. Tum quia aliàs nunquam dabitur obligatio confitendi pollutiones,

ebrietatem, homicidium. &c. Respondetur: Satisfacere Equitium, prædicto modo se accusando. Ita Vasq. *1. 2. D. 94. cap. 3. n 9.* Granad. Bonac. Azor, & alij, quos referunt & sequuntur Cardin. de Lugo *de Pœnit. D. 16. s. 9. n. 440.* & Dicastillo *de Pœn. D. 9 à n. 14.* Ratio est. Tum quia nemo dicitur peccare etiam quoad denominationem tunc, quando impedire nequit, siquidem deest libertas ad actum peccaminosum necessariò requisita. Tum quia actus externi, etsi malitiam non habeant distinctam ab internis, informantur tamen ab istis, & sunt peccata, cùm absolutè, dum fiunt, impediri possint; quod secus est in casu nostro, vbi idcirco mors secuta est tantùm *effectus peccati*, non autem ipsum *peccatũ*.

Vnde patet ad *primam rationem* in contrarium. *Ad secundam* concedimus, nunquam hæc confitenda esse (saltem per se loquendo, quidquid sit ratione censuræ fortè annexæ, aut obligationis restituendi &c. de quo Diana P. 8. T. 7. R. 85) Si positâ causâ nunquam impediri possint, vt nunc ponimus; non tamen idcirco imprudentiæ arguendi sunt pœnitentes, qui addunt in confessione, num effectus sint secuti; sic quippe & malitiam actûs præcedentis, & statum suum exactiùs exprimere volũt; *laudabiliter* quidé, non tamen *necessariò*.

XX. *Eulogius opifex laborat die festo, quod tamen confusè & in genere videtur ipsi esse peccatum,*

tum, licèt determinatè & in specie nihil occurrat, num graue, an leve sit Quæritur. Vtrum sic laborando mortale, vel veniale peccatum committat?

Videtur committi mortale. Ita Vasq. in *1. 2. D. 59. c. 3.* Thom. Sanch. *Tom. 1. Sum. L. 1. c. 1. n. 9.* Ioan. Sanch. *in select. D. 18. n. 1.* Palao *Tr. 1. D. 1. pu. 3. n. 6.* & alij, quia in simili communis sententia docet, qui aliquid operatur ex obiecto venialiter duntaxat malo, dubitans, num sit mortale, peccat mortaliter. Ergo pari ratione, qui habet iudicium errans, quo putat aliquid esse peccatum, non distinguens, num mortale, aut veniale sit, faciendo contra talem conscientiam peccabit mortaliter. Sayrus *L. 1. c. 4. n. 20.* & alij RR. post Navarr. *prælud 9. n. 9.* non prorsus his consentiunt, rati attendendam esse materiam, in quam tendat tale iudicium seu dictamen, & peccatũ fore tale, qualis materia illa, nempe vel veniale, si sit leuis, vel mortale, si sit gravis.

Resp. Committi solùm veniale. Ita Valent. Cordub. Tann. *Tom. 2. D. 2. q. 4. d. 2. n. 24.* Arriag. *Tom. 3. D. 13. de peccat. n. 7.* Bresserus *L. 5. n. 205.* & alij. Ratio est, Tum quia operans præsumitur se virtualiter & interpretativè ad mitiorem partem determinare, cùm hîc agatur de re admodum odiosâ, & iuxta regulam Iuris *odiosa sint restringenda.* Tum quia, vbi non agnoscitur culpa mortalis, non potest imputari voluntati. Atqui ex hypoth.

hîc non agnoſcitur vlla ratio mortalis. Ergò, &c. Tum quia duriſſimum eſt dicere, hominem cum tali cognitione, ſi faciat iocoſum, ac tenuiſſimum mendacium, peccare mortaliter, & mereri æternas inferni pœnas, cùm nullam de peccato mortali habuerit cognitionem. Ergò tunc peccat ſolùm venialiter. Ergò etiam ſi grauis foret materia in ſeipsâ, ſi tamen cum eâdem prorſus cognitione proceſſiſſet, ſolùm peccaret venialiter, cùm gravitas malitiæ in actu non deſumatur tantùm ab ipsâ re extrinſecâ, ſed intrinſecâ huius cognitione & amore.

Atque ex his patet etiã ad rationẽ in oppoſitũ, in quâ cùm *malitia mortalis* aliquo modo appareat, meritò voluntas eam acceptare cenſetur, quod ſecus ſe habet in caſu noſtro.

XXI. *Evagrius Clericus horas ſuas Canon. ad quas tenetur, abſque vllâ devotione, & attentione internâ perſolvit ſponte inter illas cogitatione ad alia diſtractus. Quæritur, An peccet mortaliter?*

Videtur ſic peccare mortaliter. Ita Navarr. Sotus, Caietan. Leſſ. Bonac Azor, Sanch. Reginald. Suarez T. 2. *de Relig. L.3.c.4.* Palao *Tr. 7. D. 2. p. 3.* & plures alij. Moventur, tum quia C. *dolentes*, præcipit recitationem devotam. tum quia abſque internâ attentione nulla eſt oratio. Ergo hoc ipſo, quod Euagrius ſub mortali ad orationẽ obligetur, ſub mortali quoque obligatur ad aliquam internam attentionem.

Reſp.

Resp. Allatam hanc doctrinam, vti communissima est, ita probabilissimam esse, & omnino in praxi tenendam. Nihilominus in gratiam tum Confessariorum, tum Scrupulosorum addimus, non improbabile esse, Euagrium absque vllâ internâ attentione, vel ad verba, vel ad sensum horum orantem, & sponte ad alia animo distractum non peccare mortaliter, & consequenter non teneri, repetere horas, non priuari fructibus &c. Ita D. Antonin. *3. p. Tit. 13. c. 4. §. 7. & 8.* Durand. Gerson, Rosella, Angelus, Ledesma, Coninck, *in 3. p. Q. 83. art. 6. num. 291.* & alij apud Sanchez *L. 7. Consil. cap. 2. dub. 28. n. 6.* Ratio est. Tum quia probabile est, Ecclesiam extra Confessionem non habere iurisdictionem in occulta. Tum quia oratio absque vlla etiam attentione internâ est actus Religionis quoad substantiam; attentio enim, sicuti in alijs virtutibus moralibus, v. g. fortitudinis, temperantiæ &c. non requiritur, ita nec in actu Religionis.

Ad *primum* in contrarium dicimus. C. *dolentes* præcipi actum devotum externum, qui satis sit ad externam Religionem contra illos, qui inter recitandum fabulantur cum sæcularibus. Ad *secundum* negamus antecedens ex dictis. Sed vrgent. Incredibile est, actum virtuosum non exigere internam honestatem illius virtutis. Dicimus externum hunc actum absque interno non habere rationem

veræ virtutis, pertinere tamẽ ad Religionem, & Ecclesiæ præcepto satisfacere. Inquiunt. Sic etiam actus mali ex mala intentione ad eandem spectabunt. Negamus subsumptum, cum actus isti de se Religioni repugnent, vt ut ailàs per actum etiam peccaminosum Ecclesiæ præceptum impleri possit, vt apertè concedit Coninck *loc. cit. num. 296.* Instant. Non apparet, quomodo oratio sine vlla etiam virtuali attentione & intentione sit actus Religionis. Dicimus ex eo apparere, quod oratio etiam merè externa ita sit ex se comparata, vt eam persoluens communi hominum sensu colere Deum velle censeatur: sicut è contrario adoratio externa idolo facta etiam absque interna intentione est actus idololatriæ; quia ita ex se est comparata, vt eam exhibens communi omnium iudicio idolo deferre cultum velle videatur.

XXII. *Euphrosina illustris familiæ virgo audit paris nobilitatis domicellas in vicina Provincia novâ vestium formâ indutas, & magnam pectoris, mamillarumque partem nudatas incedere, quas ipsa cupit imitari, & ad eandẽ imitationem alias quoque nobiles puellas in eodem secum Ginæceo versantes hortatur. Quæritur. Vtrum, & quomodo Euphrosina hoc faciendo peccet.*

Videtur non peccare, aut non nisi venialiter. Tum quia mulier non tenetur ornamenta licita, & statui suo convenientia respuere

ob

ob acceptum potius, quàm datum scandalũ, vt docet Granad. *in* 1. 2. *Contro.* 3. *Tr.* 13. *D.* 5. *s.* 5. *n.* 31. Sed ita se habent novæ vestes, & scandalum in proposito. Ergo &c. Tum quia inventio, & inductio novæ formæ in vestibus per se non est peccatum, cùm sit res indifferens: aut certè non nisi veniale ex eo, quod præbeatur exemplum vanitatis, vt communiter docent Theologi. Tum quia nudatio pectoris & mamillarum non prouocat per se libidinem, cùm pars ista sit honesta, quam nec natura, nec verecundia absolutè tegi postulet; vnde etiam B. V. & aliæ SS. Virgines ita pingi solent. Tum quia vicina Provincia cum ista in eadem Germania censetur quasi vna Patria. Ergo potest Euphrosina alijs accommodare se in vestibus, & eandem servare formam cum illis.

Resp. Euphrosinam induendo & inducendo de novo prædictam vestium formam & denudationem in hanc Prouinciam peccare mortaliter. Ita Less. *de Card. virt. L.* 4. *c.* 4. *n.* 112. Dicastillo *ibid. L.* 1. *D.* 3. *dub.* 25. Palao *ibid. D.* 3. *pun.* 8. *in fine*: Laym. *L.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 13. *circa finem*, & his testibus communiter alij. Probatur. Tum authoritate Sac. Script. quæ ad Galat 5. ait, omnem impuditiam excludere â regno Dei. Atqui talis habitus recens est quædam impudicitia, cum iuxta ordinariam hominum infirmitatem excitativus sit in alio

libidinis, & concupiſcentiæ carnis. Ergo à regno Dei excludit. Tum authoritate Patrum & Doctorum, è quibus nullus talis libidinoſi habitûs vſum (ſaltem de novo introductum) excuſauit à peccato mortali, vt teſtatur Petrus Marchantius *in Tribunal. Sacram Tom. 3. Tr. 2. tit. 2. quæſt. incidētis Reſolut. 3. §. 1. Regula 1. fol. 30.* Placet apponere verba S. Auguſtini ex Epiſt. 73. ſic habent: *Capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare Apoſtolus iubet, nec maritatas decet*; Si autem capillos nudare non decet, certè non licebit abſque graviore peccato pectus & mamillas nudare, cùm iſtud poſterius reſpectu illius prioris iure meritò grande facinus habeatur. Tum quia Euphroſina hâc veſtium novâ formâ introducit rem ex ſe periculoſam, & conſequenter grauiter bono publico & proximorum Spirituali ſaluti præiudicantē, cùm cenſeatur dare cauſam peccati naturâ ſuâ mortalis. Tum quia novus vſus & inuſitatus efficacius movet, quàm vſitatus & conſuetudine inveteratus, vt non malè dicatur in illo cōſiſtere ratio pompæ Satanæ, ſiquidē per eū tentat Satanas, & ad libidinē inducit.

Ad *primum* in contrarium diſtinguimus maiorem; concedendo, ſi ornamenta illa patriæ more geſtentur: negando, ſi ſecus fiat, vt accidit in propoſito. Ad *ſecundum* itid. diſtinguimus; concedendo, ſi ſit ad honeſtatem abſque periculo bonorum morum: negando,

ſi ſit

si sit periculosa, qualis est in casu nostro. Ad *tertium* dicimus, saltem periculum esse prouocandi ad libidinem, vbi recèns denudatio ista inducitur. Pictura B. Virg. & aliarum SS. Virginum nihil evincit, fit illa iuxta morem omnium locorum. Ad *quartum* negamus duas amplissimas Provincias intra eandem Germaniam censeri eandem Patriam, cùm in mille alijs vna alteram non agnoscat viuendi regulam.

Sed potéstne denudatio illa saltem aliquousque admitti? Minimè, cùm absque periculo nullus in istis ponatur limes. Quidquid igitur morali ac prudenti iudicio in prædictis vestibus novum ac periculosum est, id sub mortali à nullo potest indui, induci de novo in aliquem locum, permitti, iuberi &c. vt præter citatos docet Albertus de Albertis *in paradox. moral. de ornatu mulierum*, vbi etiam *D. 2. c. 1.* latissimè conatur probare, mulieres nudato pectore incedentes etiam iuxta Patriæ consuetudinem peccare mortaliter, & Principes & Episcopos generaliter teneri, talem consuetudinem extirpare, cui tamen Authori in hoc rigore non subscribimus.

XXIII. *Eutichius frequenter exercet actus Amoris diuini aliaque obit opera pia, de quibus aliquando loquens Confessario ait, hæc se facere præcisè propter bona temporalia assequenda tanquam propter finem, alioqui absque hac spe non facturus,*

quod

quod tanquam malum vehementer reprehenditur à Confessario. Quæritur. Vtrum Eutichius in hoc verè sit reprehensibilis?

Videtur esse, quia seruire Deo *propter mercedem*, est quid seruile ac mercenarium, idque vituperat Christus in Evangelio passim, & SS. Patres. Sed qui bonum opus primò & principaliter facit propter bonum temporale, seruit Deo propter metam mercedem. Ergo &c.

Resp. Eutichium non esse reprehensibilem. Ita Coninck *de actib. supern. D. 19. n. 82.* Ratio est, quia bona opera ex divina institutione sunt media ordinata non tantùm ad diuinam gloriã illustrandam, ac beatitudinem consequendam, sed etiam ad promovenda, & consequenda commoda vitæ temporalis. Ergo malum non erit, amorem aliaque opera bona ad hos fines ordinare, adeóque potest Eutichius amare Deum & alias actiones bonas non præceptas exercere præcisè in illum finem, vt aliquid temporale nullo modo malum à Deo obtineat, absque spe huius non facturus illas; dummodo interim habitualiter paratus sit, etiam sine tali spe servire Deo, quantum & quâ ratione ad id obligatur, cùm nullum extet præceptum, quo omnia opera nostra ad Dei gloriam & finem honestum referre iubemur, etsi laudabilissimè id fiat.

Ad

Ad rationem in contrarium dicimus, duobus modis seruire nos posse Deo ob mercedem temporalem vel æternam. Primò implendo eius præcepta. Secundò faciendo opera bona non præcepta; vtrumque opus est seruile ac mercenarium, sed non vtrumque malum. Cùm Christus & SS. Patres reprehendunt opus mercenarium, reprehendunt prius illud, in quo omnis habitualis affectus abest seruandi præcepta etiam sine tali spe: non posterius, in quo nulla obligatio adest operis faciendi. Quod si istud etiam reprehendere videntur, non reprehendunt, tanquam verè malum, sed tanquam minus bonum ac perfectum; constat enim, quod perfectius sit, Deo seruire propter se, quàm propter mercedem.

XXIV. *Fabius ob morbum, in quem ad initium quadragesimæ incidit, rogat, impetratque dispensationem in ieiunio quadragesimæ. Sed mox post 14. dies integrè convalescit. Quæritur. An vi acquisitæ huius dispensationis per reliquum quadragesimæ tempus eximatur à lege ieiunij?*

Videtur non eximi. Ita Sanch. *L. 8. de Matr. D. 30. n.* 4. quem plures RR. sequuntur. Tum quia cessante causâ dispensationis reviviscit lex ad sui obligationem. Tum quia in dispensatione subintelligitur conditio, *si causa permaneat*; aliàs dispensans esset iniquus. Tum quia alioqui totâ vitâ non teneretur ampliùs Fabius ad ieiunandum.

Resp.

Resp. Fabium eximi à lege ieiunij reliquò quadragesimæ tempore. Ita Salas D. 20. *de LL. S. 6. in fine*, plures alios allegans. Prob. Quia vniuersim dispensatio semel facta non est amplius revocanda, sicut nec iniuriæ remissio, vt habet Gloss. *in c. ex tua. de Fil. Presb. V. initiare.* & docent Pontius *de Matr. L. 8. c. 20. n* 4. & plures alij DD. apud Bonac. *de LL. D. 1. q. 2. pun.* 10. §. 1. *n.* 5. Confirm. Lex semel destructa non redit absque voluntate Legislatoris. Sed si absolutè dispensat, non vult redire legem, quamuis causa cesset, quis enim dicat, dispensatum in voto Castitatis ob graves stimulos carnis, ijs cessantibus, denuo obligari? Atqui cum Fabio fuit absolutè pro hac quadragesimâ dispensatum in ieiunio, adeóque lex huius destructa. Ergo &c.

Ad *primum* in contrarium patet ex dictis. Sed dicit Palao *Tr.* 3. *D.* 4 *pu.* 15. *n.* 6. *&* 7. hoc non procedere, si detur dispensatio successiua, vt fit in proposito. Verùm dispensatio in proposito nõ est *successiua*, sed solùm eius vsus, quod non obstare valori dispensationis bene ostendit Arriag. *de LL. D.* 30. *n.* 38. Ad *secundum* dicimus, illam conditionem non subintelligi, nec dispensantem esse iniquum, quia probabiliter iudicauit, causam per totã quadragesimam duraturam. Ad *tertium* negamus sequelam, quia morali ac prudenti iudicio

cio nec Fabius potest putari, dispensationem pro totâ vitâ petijsse, nec Episcopus, aut Pontifex sic eam concessisse.

XXV. *Felix Sacerdos nullis morbis, aut rerum negotijs impeditus longo tempore intra annum recitat officium de Resurrectione, breuissimum scilicet pro longioribus, cuius tanquam grauis peccati admonitus à confessario ait, se tenere sententiam Caramuelis in Reg. S. Benedicti D. 109. n. 1387. Vbi hoc pro veniali habet. Quæritur. An confessarius huic pœnitentis opinioni tanquam probabili accommodare se possit, ac debeat?*

Videtur posse, & debere. Tum ex authoritate Caramuelis allegatâ. Tum ex ratione, quia impletur substantia præcepti. Tum ex praxi virorum doctorum & piorum, qualem nemo dubitat fuisse P. Franciscum Suarez ex Societ. IESV. quem constanter orâsse per totum annum Breviarium de resurrectione, sic ostendit Caramuel. *Suarez dicitur singulis diebus 18. horas studuisse; iam si ex reliquis sex horis necessarium prorsus tempus demus Sacro, refectioni, somno, & alijs, vix tantum remanebit, quantum requiritur ad officium Paschatis recitandum.* Confirmatur hæc opinio: licitè aliquis dicere potest officium alicuius Sancti loco Ferialis, vt cum pluribus docet Dian. *P. 1. Tr. 12. Resol. 3.* Ergo & Resurrectionis.

Resp. Confessariũ opinioni Felicis accomodare se non posse, nec debere, cũ nullã habeat

pro-

probabilitatem, quod probatur. Tum quia communis DD. contrarium docet; opinio autem vnius, aut alterius, quam omnes alij reijciunt, non meretur probabilitatem. Tum quia hâc Canonicarum precum immutatione contra vniversalem Ecclesiæ vsum inordinatio committitur adeò gravis, vt opinio illam vniversim inducens nullo rationabili fundamento niti possit, sicut ex solutione argumentum patebit.

Itaque ad *primum* dicimus, Authoritatem Caramuelis vnius, aut etiam alterius Doctoris hîc non sufficere, cùm omnes alij Theologi reclament. Ad *secundum*. Negamus substantiam præcepti impleri, cùm officium Paschale *moraliter* non æquivaleat officijs alijs per annum. Ad *tertium*, Fabulosum esse, quod affertur de P. Suarez, quem orationi addictissimum fuisse, viderunt nostri Patres, & dicentem audierunt, *malle se omnem suam scientiam perdere, quàm vnam horam ex regula Ordinis quotidianæ orationi destinatam omittere*; quomodo ergò tot annis orationem Canonicam ex graui lege Ecclesiæ debitam turpi ac defectuosà immutatione declinârit? Ad *confirmationem* dicimus, multos eam valde probabiliter negare, quos citat, & sequitur Palao *Tr. 7. D. 2. p. 2. n. 18.* Quidquid autem de hoc sit, negamus paritatem, cùm in tali officio *moraliter* adhuc servetur præceptum: non in

in officio de Resurrectione, vt rectè ipse advertit Dian. P. 7. *Tr.* 11. *Resol.* 7.

XXVI. *Ferdinandus è Societate IESV Sacerdos ante annos non multos in Danubio cum pluribus alijs naufragium passus acquirit tabulam, quâ salvare se possit. Sed quia mulier prægnans in eodem naufragio cum prole vteri sui certò peritura opẽ huius inclamat, concedit ei tabulã spem aliquã adhuc evadendi concipiens, quâ tabulâ vsa mulier incolumis evadit, ipse submergitur. Quæritur. Vtrum Ferdinandus cum certo vitæ sua periculo potuerit, & debuerit mulieri succurrere, vt cum prole sua salvaretur?*

Videtur potuisse, ac debuisse. Ita Sylvest. Ledesma, Granad. Lay. *L.* 2. *Tr.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Palao *Tr.* 6. *D.* 1. *p.* 9. *num.* 2. & plerique alij. Quia vita spiritualis prolis aliàs sine baptismo morituræ pluris facienda est, quàm vita corporalis propria.

Resp. I. Ferdinandum non debuisse succurrere mulieri prægnanti in certo periculo constitutæ cum aperto vitæ suæ periculo. Ita Emanuel Sa *V. Charitas. n.* 4. Ioan. Sancius *in select. D.* 10. *n.* 9. & alij apud Dian. *P.* 5. *Tr.* 3. *Resol.* 16. Ratio est, Tum quia proles fortè iam mortua est, aut aliàs ad Baptismum non perveniet. Tum quia posito etiam, prolem superato hoc periculo certò victuram & baptizandam, non tenetur Ferdinandus cum vitæ suæ periculo succurrere; alioqui & mater

gravida teneretur permittere se secari, vt fœtus baptizaretur, aliàs sine baptismo moriturus, quod, inquit Sa, nemo asseret. Resp. II. Ferdinandum amore virtutis motum potuisse concedere tabulam fœminæ, seseque periculo committere. Ita communis Theolog. Tũ quia *qui negligit damnũ propter amicũ, iustus est. Prou.* 12. Tum quia se periculo exponere, non est intrinsecè malum. Ergo defenditur & purgatur ab omni malitiâ, si hîc & nunc prudenter ob bonum altioris ordinis & valde magnum assumatur.

Ad rationem in contrarium dicimus, plus illam non probare, quàm teneri nos ob propriam vitam conseruandam damnum spirituale proximo non inferre: non verò illud impedire, nisi pactum seu conventio intercedat, vt rectè Sancius loc. cit.

XXVII. *Firmatus Parochus vi beneficij sui curati tenetur ter singulis hebdomadibus celebrare in Parochiâ, quod & facit, sed quia nullâ lege vel consuetudine præscribitur intentio certa, accipit proijsdem Missis dicendis stipendium ab alijs, ijsque sacrificij fructum applicat, non verò suis ouibus. Quæritur. An licitè hoc faciat?*

Videtur, quod non. Ita Sotus *in* 4. *Dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. Gavant. *ad Rubricas missal Tom.* 1. *p.* 3. *tit.* 12. *n.* 5. Barbos de officio Paroch. *cap.* 12. *num.* 11. & alij. Tum quia Trident. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 1. definit, Parochum præcepto diuino,

diuino teneri oves suas agnoscere, pro eis sacrificium offerre &c. Tum quia Sac. Congregatio Concilij An. 1626. determinauit, non bene Parochum accipere eleemosynam manualem, quando tenetur celebrare. Tum quia Parochus sustentationem suam iam habet à Parochianis suis. Ergo non restat titulus amplius, ob quem stipendium pro missis accipere possit. Tum quia Parochus ideò alitur à suis Parochianis, vt erga eos officium Sacerdotis exerceat, offerendo scilicet Sacrificium Missæ, iuxta illud *Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona ac sacrificia pro peccatis &c.* Vnde Barbosa *2. p. de potestate Episc. alleg. 24. n. 23.* & Bonac. *D. 4. de Sacr. q. vlt. à n. 5.* putant, obligationem hîc contineri ad offerendum saltem aliquoties pro subditis.

Resp. Firmatum absolutè nunquam teneri applicare fructum Sacrificij pro Parochianis suis, ideóque non illicitè facere omittendo hanc applicationem. Ita Navarr. Reginald. Vasq. Suarez, Coninck, & alij, quos referunt & sequuntur Palao *Tr. 22. D. vnic. p. 13. num. 7.* & Lugo *Tom. 1 de Sacr. D. 21. n. 21.* Ratio est, quia officium Curati est, pascere oves verbo, & exemplo, ac Sacramentorum administratione, sacrificijque dispensatione, id quod fieri potest, etiamsi fructus sacrificij speciali-

ter omnibus non applicetur, sed solùm eâ generali applicatione, quâ omnibus fidelibus & præcipuè Sacrificio præsentibus applicetur.

Atque in hunc sensum intelligi debet Sac. Script. *ad Hebr.* Trident *loc. cit.* & vtráque ratio in contrarium allata; etsi autem sic Parochus sustentationem habeat, id tamen non obstat, quò minùs possit ac debeat sustentari ab eo, qui sacrificium pro se fieri postulat. Ad authoritatem Congreg. Card. dicimus, eam loqui de Sacerdote, qui ratione beneficij, Capellæ, aut Salarij certis diebus obligatur ad sacrificium pro alio, vt pluribus ostendit Lugo *loc. cit.*

XXVIII. *Felicitas contraxit sponsalia cum Reuocato, quem videns postea frequenter esse cum Perpetuâ, & hanc osculari, amplexari &c. non vult amplius sponsione suâ stare. Quæritur. Num ex dictâ causâ resilire possit?*

Videtur posse. Ita Palao *Tom. 1. D. 1. pun. 25. n. 8.* Hurtadus, & alij, quos citat & sequitur Diana *P. 10. Tr. 11. Resol. 28.* sibi contrarius *P. 3. Tr. 4. 283.* Tum quia sponsus resilire posset, si in sponsa similia adverteret, vt post alios docet Dicastillo *de Matr. D. 1. n. 577.* Tum quia talia innuunt sponsi animum propensum erga aliam, vt de fide servandâ iure suspectus esse possit.

Resp. Felicitatem resilire non posse: Ita Reginald, Sanch, Perez *de Matr. D. 9. s. 16. n. 8.*

n. 8. & alij. Ratio est, quia id sponsæ non est dedecus, nec censetur mutatio alicuius momenti; siquidem sponsus non inde redditus vilior.

Vnde ad primum in contrarium negatur paritas, quia in sponsa vergeret ad calumniandum sponsum. *Ad secundum negamus,* innuitalem propensionem, nisi illa oscula & tactus nimis frequentes & impudici sint, tunc enim Laym. *P. 5. Tr.* 10. *part. 1. c. 2. n.* 11. & alij concedunt, Felicitatem resilire posse; Atque sic reconciliari possent contrariæ sententiæ.

XXIX. *Flora partu laborans & magnos sentiens dolores petit à Parocho, vt ipsam nuperrimè confessam, & Sacrâ synaxi munitam extremè inungere velit, quod & impetrat. Quæritur. Rectène petitioni Floræ satisfecerit Parochus?*

Videtur quod non. Ita Bonac. *de Sacr. D. 7. q. vnic. pun. 5. num.* 4. & alij apud hunc, quia non laborabat Flora infirmitate corporali.

Resp. Parochum rectè inunxisse Floram, si dolores partûs naturam debilitârint, atque ægritudinem periculosam causârint: Secus si illi citra vitæ periculum steterint. Ita Dicastillo *de Sacram. Tr. 7. D. 1. num.* 161. Ratio est, quia ex comuni DD. & vsu Ecclesiæ huius Sacramenti soli infirmi sunt capaces. Vnde Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. vocat *Sacramentum exeuntium.* Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

XXX. *Fronto miles ad turpem actum sollicitat Mauram matronam, quæ multùm quidem reluctatur, quia tamen Fronto stricto gladio mortem intentat, ni morem gerat, metu huius consentit. Quæritur. Vtrum Maura consentiendo in turpem actum peccet mortaliter?*

Videtur non peccare mortaliter. Tum quia actus iste non est ipsi voluntarius, cùm metus talis iniustè incussus æquipolleat vi illatæ, quæ ex communi sententia excusat à peccato. Tum quia metus gravis iuxta Dianam *P. 5. Tr. 3. Resol. 39.* excusat à peccato mortali sacerdotem, si celebret cum censura, post cibum, &c. Excusat quoque iuxta alios pœnitentem, si reticeat quædam peccata mortalia in confessione; Item accedentem ad Sacram Communionem cum conscientia peccati mortalis ex oblivione in confessione non expressi, si absque infamia declinare nequeat, quæ tamen omnia aliàs gravissimè etiam prohibentur.

Resp. Peccare Mauram mortaliter. Ita ex communi Dicastillo de Virtut. Cardin: *L. 1. D. 3. n. 273.* Ratio est, quia metus etiam mortis non tollit voluntarium simpliciter, licet hoc nonnihil minuat. Ergò nec malitiam actionis intrinsecè malæ.

Vnde patet *ad primum*, & simul disparitas *inter metum, & vim*, quod hæc libertatem nullam relinquat: Secus ille. *Ad secundum* negatur

gatur itidem paritas, quia hæc non ita intrinsecè sunt mala, sed ex præceptis solùm positivis, quæ (etiam diuina) cum tanto incommodo non obligant, vt ex communi tradit Palao *Tr. 2. D. 1. p. 13. n. 9.* nisi bonum commune concernant. Vnde frangere sigillum confessionis, aut conficere Eucharistiam in pane non triticeo, absolvere indispositum, aut sine iurisdictione, dare extemam vnctionem suspendendo, aut capite plectendo. &c. nunquam ex quocunque metu licet iuxta communem Doctorum.

XXXI *Frobenius turpi actu ideo peccat, quia simile peccatum iam antè admisit eâdem operâ confitendũ. Quæritur. Vtrum peccatũ committat præsumptionis peculiariter in confessione explicandũ?*

Videtur ita peccâsse, quia pollicitus est sibi indebito modo gratiam ad confessionem faciendam, & veniam impetrandam.

Resp. Frobenium non peccâsse ex præsumptione, nec circumstantiam addidisse peculiariter in confessione exprimendam. Ita Tann. *T. 2. D. 2. Q. 1. num. 79.* Ratio est, quia ideo peccâsse, quod iam simile peccatum sit admissum eâdem operâ confitendum, nihil est aliud, quàm à metu novæ erubescentiæ solutum faciliùs peccare; ex quo solùm conijcitur, talem à peccato abstinere se tantùm propter humanam confusionem.

Vnde ad rationem in contrarium negatur;

Frobeniũ indebito modo ſibi polliceri gratiã & peccatorum veniam, cùm præcisè animum ſuum malè diſpoſitum prodat.

XXXII. *Furius famulus furto ſublegit Domino ſuo alium nummum ex alio, donec tandem ad eam quantitatem pervenit, quæ ſufficeret ad peccatum mortale conſtituendum, cuius poſt medium ferè annum pœnitens confitetur id furtum ſuum. Quæritur. An, & quando peccaverit mortaliter?*

Videtur nunquam peccâſſe mortaliter. Tum quia ſingula furta ſunt leuia. Tum quia aliàs ex multis venialibus conflaretur vnum mortale contra communem Theol. Caſus iſte diverſimodè accidere poteſt, pro cuius igitur varietate.

Reſp. I. Si Furius furari cœpit animo perveniendi ad magnam quantitatem, ſtatim ab initio eum peccâſſe mortaliter. Card. de Lugo *de Iuſt. D. 16. n. 56.* quia voluntas illa prima ferebatur in obiectum graue. II. Si eo, quem diximus, animo furari perrexerit, ſingulis ipſum furtis minutis peccâſſe mortaliter; quæ aut vnum peccatum mortale integrant, Si nim. moraliter non fuerint interrupta: aut plura etiam numero conſtituunt, ſi moraliter ſint diſcontinuata. Leſſ. *L. 2. de Iuſt. cap. 12. d. 7.* nam licèt executio ſingulorum ſit tantùm venialis ex ſe, vt tamen ſubſtat tali intentioni, eſt continuata executio peccati mortalis, aut

repetita

repetita ad repetitam intentionem, postquam moraliter iam desierat. III. Si nunquam intenderit, nec aduerterit ad grauem materiam, nunquam eum peccâsse mortaliter, sed semper venialiter. Ita communis DD. quia illa furta tunc semper manent inter se disparata. IV. Si Furius non quidem intenderit materiam gravem auferre, advertit tamen se ad eam vltimo suo furto iam pertingere, tunc teneri ipsum sub mortali restituere materiam illam. Sanchez *L.7. c. 21. n.3.* quia retinere alienum in materia gravi, semper est grave; item peccâsse eundē mortaliter per vltimum furtum in se alioqui minutum. Palao. *Tom.* 1. *Tr. 2. D. pun. 9. §. 4. n. 4.* quia per illud completur acceptio integra in ratione acceptionis gravis. V. Si adverterit, se pervenire ad quantitatem gravem, & proposuerit priora furta statim restituere, non peccâsse eum mortaliter, vltimum accipiendo. Granad. 1. 2. T. 2. *de peccat. D. 2. n. 51.* quia brevis illa detentio nihil aut parùm obest. VI. Si priora furta non potuerit restituere amplius, addiderit tamen adhuc leve, per quod venit ad materiam gravem, peccâsse eum mortaliter. Ita probabiliùs Lugo. *loc. cit. num. 39.* contra Less. Granad. & alios. Quia peccatum mortale æstimandum est ex damno proximi, non ex commodo furis; in proposito autem, sive possit, sive nō possit famulus restituere, patitur

dominus per vltimum eius furtũ graue damnum, quod hactenus non patiebatur. VII. Si denique Furius post ablatam materiam gravem insuper furatus fuerit levem, non fecisse eum novum peccatum sive mortale sive veniale, sed prius reddidisse gravius. Ita *recens cit. Auth. n.* 44. contra Dicastillum, Sanch. Bonac. Filliut. & alios, quia peccatum illud pro obiecto habet tam priorem summam, quàm novam materiam ablatam, quæ coalescunt in vnum damnum.

Ad *primum* in contrarum dicimus, singula quidem distributivè esse levia, non tamen copulatim seu coniunctim. Ad *secundum* negamus, ex venialibus fieri mortale, cum ipsa nõ vniantur inter se, sed solùm eorum ablatio, ratione cuius acceptio vltima est determinatio ad rem gravem. Arriag. *D.* 48. *de peccat. num.* 24.

XXXIII. *Gildradus Presbyter in colloquio cum alijs, dicit Gilbertum, cui est à confessione, esse virum scrupulosum, cæterà bonum. Quæritur. An violet sigillum?*

Affirmant Coninck, Granad. Tamburin. *opusc. de confess in append. cap. 3. n.* 17. & alij. Negant Marchant. Martin. à S. Iosepho, & alij quos refert & sequitur Diana. *P.* 10. *Tr.* 12. *R.* 24.

Resp. Distinguendo cum Card. de Lugo *Tom. de Pœnit. D.* 23. *n.* 6. Gildradum violare, sigillum

sigillum, si Gilbertus scrupulositatem confiteatur, aut ad declaranda peccata, vel conscientiam afferat, quia sic in obliquo est materia confessionis: Non violare, si scrupulositas non cognoscatur ex relatione, sed ex modo cõfitẽdi advertatur, quia sic nihil in confessione auditum reuelatur; quamvis Cofessarij prudenter etiam ab hoc abstinere debeant, ne vllo modo Sacramentum pœnit. reddant odiosum. Atque sic satisfit diversis Authorum opinionibus.

XXXIV. *Golo lascivus Iuvenis turpe desiderium concipit erga Matrinam paris levitatis puellam, quod desiderium, vt explere valeat, domo suâ exit, domum amasiæ petit, & per quatuor ferè horas occasionem quærit conveniendi illam, sæpe interea prauã suã intentionẽ iterans, tandem repertâ eâ post obscœnum colloquium ad copulam devenit, & tam ante quàm post illam varios libidinosos tactus exercet. Quæritur. Quot peccata Golo commiserit, & quomodo in confessione se explicet?*

Videtur plura cõmisisse distinctè in confessione explicanda. Primò quia plures sunt interruptiones, & quidem longiores vno quadrante, aut mediâ horâ, quod spatium ad multiplicationem requirit Fagundez *L. 3. in secundum præcept. Ecclesiæ c. 5. n. 15.* Secundò quia voluntariæ interveniunt intermissiones actûs, quos ad multiplicationẽ sufficere docent Vasq. *1. 2. D. 75. cap. 2.* Filliuc. *Tr. 21. c. 8. n. 316. alij.*

Ter-

Tertiò quia nec formaliter, nec virtualiter, primus actus videtur perseverare inter exeundum, exspectandum, colloquendum &c. ex quo multiplicationem infert Bonac. *de peccat. D. 2. q. 4. pun. 2. num. 5.* Quartò denique quia tactus impudici copulam consequentes non amplius ordinantur ad istam, vt docent Suarez de pœnit. *D. 22. s. 5. n. 26.* Vasq. Coninck. & non pauci alij.

Resp. Golonem vnum tantùm commisisse peccatum, & satisfacere in confessione dicendo, *se fornicatũ esse,* si primo statim actu ipsum fornicationis opus intenderit, vt in casu ponimus. Ita post Nauar. Salas. 1. 2. *Tom.* 4. *Tr.* 13. *D.* 5. *s.* 8. *n.* 91. Baldell. *de peccat. in genere. D.* 21. *n.* 3. Card. de Lugo *de pœnit. D.* 16. *à num.* 553. Arrag. *D.* 43. *n.* 29. & plures alij. Ratio est. Tum quia est vna actio externa ab internis intenta, & causata, in quâ externa actione internæ omnes complentur, & moraliter vniuntur, vt de tactibus alijsque prauis actibus præcedentibus communiter DD. affirmant. Tum quia tactus etiam subsequentes sunt quasi complementa quædam copulæ præteritæ, ac proinde morali iudicio vnum cum illâ peccatum efficiunt. Tum quia ijdem tactus non afferunt malitiam specie diuersam supra malitiam, quæ fuerat in peccato præcedenti; & aliunde habent connexionem talem & tantam cum illo peccato,

vt

vt vnum actum completum facere possint. Ergo non est, vnde surgat obligatio, illos speciatim explicandi. Secus foret, si priores actus absque intentione copulæ fierent, & posteriores non complerent naturâ suâ copulam habitam, vt rectè Hurtadus *de pœnit. D. 9. difficult. 6.*

Atque ex his patet satis ad argumenta contrariæ sententiæ; tametsi enim à puncto concepti mali desiderij interea temporis & interna fornicandi voluntas sæpius physicè sit intercepta ac renouata, & actiones plures externæ ad eum finem fuerint adhibitæ, hæ tamen nec specialem ac diuersam malitiam continent, nec interruptio illa fuit nimia, atque extraordinaria, vt in simili casu bene docet Arriaga *loc. cit.*

XXXV. *Goar Presbyter inter alios pro paschate publicè in templo cmmunicat Iuttam fœminam, quam paulò post à cancellis digressam interque alios flectentem, videt S. Hostiam ex ore in strophiolum emittere ad inhonorandam illam, vt suspicatur. Quæritur. An Goar publicè Iuttã corripiat, S. Hostiã eripiat, aut quid in hoc casu faciat?*

Videtur Iutta statim etiam coram alijs corripienda, & Sacra ei Hostia eripienda. Tum quia Sacerdos non potest dare S. Hostiam ei, quem scit, aut prudenter suspicatur, cupere illam ad conculcationem, aliámue inhonorationem, vt ex communi tradit Dicastillo *de*

Sacram.

Sacram. in communi. D.3.n.280. Tum quia aliàs Goar cooperabitur ipsius peccato, si hoc non impediat.

Resp. Iuttam non esse publicè corripiendam, aut quomodocunque confundendam, nec S. Hostiam ei coram alijs eripiendam, si eripi non ita dextrè ac occultè possit, vt omnes lateat. Ratio huius est. *Primò.* Quia potest ministrari Sacramentum Eucharistiæ occulto peccatori publicè id petenti, tum ad perturbationem magnam cauendam, tum maximè ad infamiam petentis euitandam, vt communis habet Theolog. Ergo illud iam administratum potest ei relinqui, qui peccaturus cum eo putatur. *Secundò.* Iutta est in possessione famæ suæ, nec nisi præsumptio sceleris stat contra ipsam, non autem manifesta indicia, aut semiplenæ probationes; quid enim si non S. Hostiam, sed meram saliuam, aut phlegma album ex ore emisisset? aut si hoc etiam fecisset, non autem ad inhonorationem faciendam, sed potiùs ad istam cauendam propter vomitum, ructum stomachi, aut similem debilitatem inopinatò insurgentem? Ergò extrudi ex illâ possessione absque graui iniuriâ non potest, infamando ipsam de tali cogitato scelere, vt in simili docent S. Thom. Sotus, Fagund. Dian. Lugo *de Iust. D.40. num.4.* *Tertiò.* Clericus accusare non potest in causa sanguinis, vt ex communi

docet

docet Less. L. 2. *de Iust. cap.* 3. *d.* 5. Atqui prædicto modo corripere, & confundere Iuttam est *inchoatiuè* eam accusare; sic quippe publicè infamaretur, sufficiensque fundamentum daretur Magistratui sæculari, eam ad tribunal suum rapiendi, torquendi &c. cùm infamia sit, quæ Iudici viam aperiat ad inquirendum, vt docet ex communi Palao *Tr.* 6. *D.* 3. *pun.* 14. *n.* 3. *Quartò,* Quia nemo corripere tenetur alterum ad Dei etiam inhonorationem cauendam cum nimio suo incommodo, vt communiter DD. docent; Lex enim Christi suauis est. Sed Goari nimis arduum est, corripere Iuttam, & arguere talis sceleris, quod dein probare non possit; priùs autem, quàm illa in scelere proditam se fateatur, omnibus mendacijs & fraudibus vtetur, & de gravissimâ iniuriâ vehementissimè conqueretur, maximè cum ob imminens vitæ periculum licitè negare possit, vt docet Tanner 2. 2. *D.* 4. *dub.* 5. *Quid ergò faciat?* omnibus modis Goar tacitè Iuttam obseruet, vt ex aliquibus notis in eius deinde notitiam venire, cum eâdem loqui, atque sic malo mederi possit. Quod si hoc ipsum absque graui incommodo facere nequeat, rem Deo commendet, nihilque se peccâsse putet.

Ad *primum* in contrarium negamus paritatem. Tum quod Sacerdoti quasi certò constare supponatur futura conculcatio, aliáue

inhono-

inhonoratio S. Hostiæ. Tum quod idem Sacerdos absque grauiore & suo & alieno malo facere id posse videatur. Tum quod positiuè aliàs cooperaretur malo, quæ omnia secus se habent in casu nostro, vbi non est tanta certitudo facinoris, magna difficultas correctionis, nullus ad malum positiuus concursus. Vnde etiam patet ad *secundum*; Est quippe hæc mera permissio ex rationabili causâ facta.

XXXVI. *Gurias advertit in Capitulo, cui assidet, iniquam fieri electionem, & tamen tacet, nec contradicit, cùm vtiliter posset. Quæritur. Vtrum consentire iudicetur?*

Videtur consentire, vt docent Innocent. *in cap.* 1. *De his, quæ fiunt à maiore parte Capituli.* Abbas *ibid. n.* 3. & alij apud Azor. T. 1. *L.* 1. *c.* 4.

Resp. Guriam consentire quidem sufficienter in ordine ad peccatum, & pœnam incurrendam: non item ad valorem electionis. Ita Laym. *L.* 1. *Tr.* 2. *c.* 3. *num.* 3. Escobar *in principijs Theol. Exam.* 2. *c.* 6. & alij. Ratio prioris sumitur *ex reg.* 43. *in* 6. *Qui tacet consentire videtur*, si videlicet consentire nolens negare, vel contradicere deberet, vt fit in proposito. Ratio posterioris est, quia taciturnitas in re graui, quando communitati præiudicat, pro consensu haberi non debet. At qui in hac electione taciturnitas sic præiudicare censetur.

Ergo &c.

Ergo &c. *Innocentium loc. cit. dicimus*, intelligendum esse iuxta primam partem responsionis; atque sic patet ad argumentum in contrarium.

XXXVII. *Heribertus Episcopus in diœcesi suâ beneficium simplex Ecclesiæ penitus dirutæ aliò per vnionem transtulit, non requisito consensu Mauri Abbatis, qui Ecclesiæ illius Patronus idcirco reclamat. Quæritur. Vtrum translatio, & vnio hæc sit valida?*

Videtur non valere, & iure reclamare Maurum. Ita Aloysius Riccius. *Tom. 1. praxis rerum quotid. Resol. 179.* vbi magnâ Authoritate invaliditatem hanc astruit ex defectu consensûs Mauri, qui ratione fundi habet ius Patronatûs iuxta illud: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Resp. Translationem & vnionem ab Heriberto factam valere, & immeritò reclamare Maurum. Probat. 1. Quia Ius Patronatûs destructâ penitus Ecclesiâ omnino tollitur, vt docent Andreas Valens. *L. 3. tit. 38. n. 6.* Pax Iordanus *in suis elucubr. vol. 3. de re beneficiar. L. 10. tit. 7. n. 42.* & Barbosa *de potest. Episc. Allegat. 70 n. 6. & 7.* vbi ait, ius Patronatûs acquiri ab eo, qui Ecclesiam penitus destructam reædificat. Ergo prius cum ruente Ecclesia corruit, & deperditum fuit. Prob. 2. Quando beneficium aliquod supprimendum est, vti fit in proposito, non requiritur consensus Patro-

ni Ecclesiastici, qualis est Maurus Abbas, sed tantùm Laici, vt docet Pax Iordanus *volum.* 2. *cit. L* 10. *tit.* 29. *n.* 11. aiens, hoc liquere ex Trident. *decreto sess.* 24. *de Reform. cap.* 15. quod vnicum videtur obstare. In eandem sententiam citantur Abbas, Felinus, Azor, qui aiunt, à Concilio nullam fuisse rationem habitam Patroni Ecclesiastici, sed tantùm Laici.

Ad Authoritatem & fundamentum oppositæ sententiæ dicimus, in illis supponi, Ecclesiâ adhuc integrâ, & non funditus destructâ, Patronum esse neglectum, quod secus se habet in casu nostro, vt ex dictis liquet.

XXXVIII. *Hesychius in multis dubius hæret, num scilicet consensum morosæ delectationi dederit? num mortaliter detraxerit? num alienum retineat &c? Quæritur. An hæc confiteri debeat?*

Videtur non teneri. Ita Marchant. *in Trib. Sacrm. Tr.* 4. 4. *tit.* 6. *q.* 5. Caramuel. *in Theol. Mor L.* 3. *D.* 4. *n.* 1078. & alij. Prob. Tum authoritate Concilij Tridentini, quod *Seß.* 14. *c.* 5. ait, *oportere à pœnitente omnia mortalia dici, quorum post diligentem sui discußionem conscientiam habet.* Atqui dubitans, an verè peccaverit, nō potest dici, habere conscientiam peccati; etenim habere conscientiam, est certum esse de peccato. Tum quia dubius est in possessione suæ innocentiæ. Tum quia ad tribunal forense deferri non solent dubia facta. Ergo nec ad Sacrum. Resp:

Resp. Hesychium dubium esse posse dupliciter, 1. *positiuè*, si vtrinque adsint rationes probabiles ad ferendum iudicium in vtramque partem. 2. *negatiuè*, quando pro neutra parte adsunt rationes ad probabilem assensum huius vel illius partis. Si igitur Hesychius dubitat positiuè, seu iudicat probabiliter, se grauiter non peccasse, non tenetur confiteri: secus si dubitat negatiuè. Priorem partem admittunt plerique omnes; quia talis sequi potest opinionem probabilem, sicut in alijs materijs, eo enim ipso operabitur humano modo prudenter.

Posteriorem partem, de qua est quæstio, peccata scil. dubia, *vt dubia*, esse confitenda, tenet planè communis Theolog. cum S. Thoma *in 4. Dist. 21. q 2 art. 3. ad tertium.* vt videre est apud Franc. Bardi *Discept. 6. de conscient. dub. cap. 11. part. 4. § 1.* Ratio desumitur tum ex communi sensu Fidelium, & praxi totius Ecclesiæ, cuius initium credendum est emanâsse ab Apostolis, vt plurib. ostendit. citat. Auth. *n. 5.* Tum quia Sacramentum pœnitentiæ potuit institui cum obligatione confitendi peccata dubia: & sic de facto institutum esse à Christo, colligitur ex prædicto consensu Fidelium, & praxi totius Ecclesiæ, quæ est optimus legum interpres.

Ad primum in contrarium dicimus, eum, qui post diligens sui examen dubitat, num peccâ-

rit, habere verè & propriè conſcientiam de illo peccato licet dubiam; vnde autem conſtat, Concilium requiſiuiſſe certam? Ad *ſecundum*, axioma illud non habere hîc locum, cùm præceptum confeſſionis prævaleat, ideóque poſſeſſio non faveat. Ad *tertium*, forum pœnitentiale, vt in multis alijs, ita & in hoc diuerſum eſſe à forenſi. Nolim tamen ob hæc tanquam improbabilem reijcere ſententiam contrariam, quam etiam tuetur P. Ioan. Præpoſitus *de Sacr. q. 5. de Integritate Confeſſ. num.* 118. vbi ait, eam ſpeculatiuè probabilem eſſe viſam P. Leſſio, & quibuſdam alijs à ſe conſultis; eandem maiore authoritate ſtabilit Diana *P. 11. Tr. 8. Reſ.* 44. quamuis idcirco, in praxi non ſit recedendum à communi ſententia, quæ vult, dubia iſta confitenda eſſe.

XXXIX. *Hilarius Sacerdos ex nullâ peculiari cauſâ orat ſubinde totum Breuiarium ſummo mane: ſubinde ſerâ primum nocte, cum tamen manè celebraſſet; accidit etiam, vt luſu & confabulatione præpeditus inciperet Breviarium circa medium duodecimæ noctu pro illo die, & finiret illud mediâ circiter horâ poſt duodecimã iam auditam. Quæritur. Vtrum peccârit mortaliter?*

Videtur ſic peccâſſe. Tum quia celebrat ante matutinum contra prohibitionem Pij V. *in Miſſali*, & plures Theologos apud Sanchez *L. 7. Conſil. cap. 2. dub.* 28. Tum quia abſolvit Breuiarium poſt tempus præfixum iam elapſum.

sum. Tum qnia facit contra gravem consuetudinem Ecclesiæ.

Resp. Hilarium recitando totum Breviarium sive summo manè, sivè serâ nocte absque iusta etiam causâ non peccare mortaliter. Ita cum pluribus antiquis & recentioribus Sanchez *loc. cit. dub. 36.* Tum quia substantia præcepti in hoc consistit, vt horæ Canonicæ à media noctè vsq; ad alterâ mediam noctem dicantur. Tum quia Missa non est hora Canonica, nec habet vllum ordinem ad horas. Quare nullum est prorsus peccatum, si horæ Canonicæ ex aliquâ causâ iustâ dicantur quocunque diei tempore post Sacrum: Veniale autem solùm, si hoc absque ratione aliqua immoderatè fiat, vt communiter tenent TT. contra Caramuelem *in Theol. fundam. fundamento 53. §. 20. n. 11.* Imò nec grauiorem culpam committet, qui ante duodecimam noctis Breviarium incipiens circa medium primæ illud primùm absolvit, vt probabiliter docet Leãdrus apud eundẽ Dianã. *P. 10. Tr. 11. R. 16.* quia ex mente plurium DD. omnes septem horæ sunt vnica oratio vno præcepto imposita. Ergo oratio hæc debito tempore cœpta rectè in continenti finitur, etsi post duodecimam iam auditam; perinde vt Sacrum intrà tempus præfixum ac vltimo adhuc quadrante ante meridiem inchoatum rectè post illud elapsum adhuc finitur.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum; neque enim vel præceptum Pij V. vel consuetudo Ecclesiæ sub grauiori peccato obligant, aut sic recepta sunt.

XL. *Homo bonus confitetur, se subinde iocos quosdam fecisse, & verba lepida protulisse, cibis aliquibus libenter vesci solitum, fornacem calidam frigoris pellendi causa accessisse, barbam & capitis capillos fricuisse, nares emunxisse, aliásque actiones exercuisse præcisè, vt commodas naturæ humanæ. Quæritur. Vtrum talia sint sufficiens materia confessionis?*

Videtur, tales actiones sine relatione ad finem honestum deliberatè exercitas, per se loquendo, esse omnino sufficientem materiam. Ita expressè Granad. *de Act. hum D. 2. s. 1. n. 14.* cui adstipulantur Suar. Ruiz. Lay, Filiu. Tanner, Becanus, & quotquot putant, non dari per se vllum actum humanum in indiuiduo indifferentem propter has rationes. Primò quia Matth. 12. habetur, dari *verbum otiosum*, de quo ratio Deo reddenda. Secundò, quia homo, cùm adest perfecta deliberatio, tenetur operari ad finem excellentiorem. Tertiò, quia indignum videtur humanâ naturâ comedere, bibere, copulam coniugalem exercere propter meram delectationem; vnde hoc postremum communiter dicunt Theologi esse peccatum veniale. Quartò, quia aliàs liceret operari præcisè propter honorem.

Quintò,

Quintò, quia videtur prodigalitas spiritualis.

Resp. Prædicta non esse materiam sufficientem confessionis, vtpote non peccaminosa. Ita post Alensem, Bonauent. Gabriel. & alios Vasquez 1. 2 *D.* 52 *c.* 2. Arriag *D.* 21. *s.* 4. Ouiedo. *in.* 1. 2. *Tr.* 4. *Contro.* 7. *p.* 5. & plures apud hos. Ratio est, Tum quia nullum est præceptum naturale, aut positiuum referendi omnes actiones ex se indifferentes in finem honestum. Tum quia non tenemur semper operari iuxta regulam rectæ rationis; modò non agamus contra eam, cùm ex præceptis duobus (*declina à malo, & fac bonum*) prius duntaxat sit *negatiuum*: alterum *affirmatiuum*. Tum quia standum semper pro libertate, cui non debemus vllam obligationem imponere sine fundamento, quale hîc nullum est, vt patebit ex solutione argumentorum in contrarium.

Itaque *ad primum* dicimus cum Vasquez, Arriaga & cæteris Authoribus nostræ sententiæ, per verbum *otiosum* intelligi hîc *quod non refertur ad vllam necessitatem, aut commodum naturæ, sed ex mera loquendi libidine profertur*; quod proportionaliter *de actionibus* sentiendum. *Ad secundum* negamus, hominem teneri semper operari nobiliori modo; sicuti Princeps non tenetur semper operari supra alios. *Ad tertium* non esse peccatum edere, bibere, & speciatim actum matrimonialem exercere

propter ſolam delectationem, vt docent Io. Sanchez. Baſilius Pontius. Dian. *P.3. Tr.4. Reſol.* 226. & alij. *Ad quartum* non apparere, cur iſtud non liceat cum debitâ moderatione. *Ad quintum*, negatur eſſe prodigalitatem, cùm ſuum habeat commodum.

XLI. *Ioachimus videt Patrem ſpiritualem & naturalem ſuum in pari neceſſitate conſtitutos, nec vtrique ſuccurrere poteſt. Quæritur. Quem horum alteri præferat?*

Videtur ſpiritualis præferendus: Tum quia beneficium ab hoc acceptum pluris eſt faciendum. Tum quia in Spiritualibus bonis Pater Spiritualis eſt coniunctior, quàm naturalis, vt docet Bonac. *D.3.q.4. de Charit. pu. 5. in. fin.* poſt Abulenſem Valent. & alios.

Reſp. Cæteris paribus Patrem naturalem ſpirituali præponendum. Ita Suar. Coninc. Palao *Tr. 6. D. 1. p.* 10. *n.* 7. & alij. Ratio eſt. Tum quia dare primum eſſe ſubſtantiale ac viuere, eſt primum beneficium, ac fundamentum, cui alia ſupersterni debent. Tum quia carnalis coniunctio aliarum coniunctionum baſis ac fundamentum ſuâpte naturâ eſt prior ac ſtabilior.

Ad *primum* in contrarium dicimus, beneficium à Patre Spirituali acceptũ eſſe quidem pluris æſtimandum *ſecundùm ſe*, non tamen *quoad coniunctionem*, vniuerſim autem illi magis ſubueniendum, qui nobis eſt coniunctior,

or, vt rectè Becan. 2. 2. *cap.* 19. *q.* 3. *num* 6. Vnde in casu necessitatis quiuis cōsanguinei, etsi minùs sancti, aut fortè peccatores, præferendi sunt sanctioribus extraneis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, quia ex charitate obligamur sanguine iunctis hoc ipso, quod nobis iuncti sint, succurrere: At verò sanctitas non inducit nobis hanc obligationem. Ad *secundum* satis patet ex recèns dictis; nam carnalis coniunctio non solùm obligat ad prouidendum sic coniunctis in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, vtpote magis necessarijs. Ergo obligat ad præferendum hos sic naturaliter coniunctos eis, qui solùm extrinsecè & in Spiritu coniuncti sunt, vt rectè Suarez *D.* 9. *de Charitate. sect.* 4 *num.* 19. Aliud fortè est de Prælato respectu suorum subditorum Religiosorum, quem Coninck *de Actib. supernat. Disp.* 25 *num.* 152 *&* 171. probabiliter putat, teneri illis priùs prouidere, quàm quibusuis consanguineis (excepto parente) tam in temporali necessitate, quàm in Spirituali, cùm ipsi se totos Religioni tradiderint, & loco parentis Religionem susceperint, & sub ea cura Religio eos receperit; vnde in responsione reflexè diximus, cæteris paribus.

XLII. *Ioannicius Adolescens vouit non ducere vxorem, cuius voti multò post tempore pœnitens ex certâ causâ Romæ petit impetrátque dispensa-*

tionem in voto Castitatis. Quæritur. Vtrum hoc votum indigeat dispensatione Papæ?

Videtur indigere. Ita Caietan. *de voto*, quia votum non nubendi est perpetuum, & reducitur ad Castitatem.

Resp. Non indigere dispensatione Papæ; Ita Barbos. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 37. n. 17.* Sanch. *in sum. Tom. 1. L. 4. cap. 40. n. 66.* Sa, *v. votum.* Dian. *P. 3. Tr. 11. Resol. 59.* & plures apud hos, Ratio est, quia votum, cuius dispensationem Papa sibi reseruauit, non est, nisi perfectæ castitatis, ex communi DD. Atqui votum, non ducere vxorem, quâ tale, nõ est perfectæ Castitatis, Ergo eius dispensationem Papa sibi non reseruauit. *Dixi, quà tale*; aliud enim esset, si hisce verbis quasi per accidens Ioannicius intendisset perfectam Castitatem vouere.

Ad rationem Caietani dicimus, hoc votum non reduci ad Castitatem tanquam perfectam eius rationem participans, sed remotè tantùm ad hanc disponens; vnde cum tali voto fornicans à nullo Theol. censetur votum Castitatis violâsse. Si tamen ex hypothesi votum prædictum non nubendi dispensatione Papæ indigeret, ea, quæ defacto est impetrata, valeret, quantumvis vi terminorum votum Castitatis sonet, quale, vt diximus, non est votum, non ducendi vxorem; nam qui dispensatin maiore, etiam in minore dispensare censetur. Bonac. *D. 2. q. 2. p. 5. n. 15.* XLIII.

XLIII. *Iordanus Beneficiatus frequenter omittit Breviarium, nec tamen restituit fructus illorum dierum, eo quod omissionem unius diei suppleat alio die, bis Breuiarium dicendo. Quæritur. Vtrum idcirco à restitutione excusetur?*

Videtur non excusari. Ita Henriq *L. 3. cap. 17.* Bonac. *de Horis Canon. D. 1. Q. 5. p. 2. n. 5.* alij. Quia onus illius diei est affixum prædicto diei, & transit cum die, adeóque trahet etiam secum obligationem restitutionis.

Resp. Iordanum excusari. Ita Maior. Paludanus, Ledesma apud Henriq. *loc. cit.* Filliuc. *Tr. 23. c 10. n. 307.* & alij. Tum quia alio die recitans Breuiarium omissum rependit æquale. Tum quia etiam, qui certo die tenetur legere Sacrum, non tenetur quidquam restituere, si alio die sacrificet.

Ad rationem in oppositum dicimus, onus illius diei esse quidem affixum diei, & transire cum die quoad culpam, non verò quoad pœnam Ecclesiasticam adiectam; hæc enim tam diu suspensa manet, donec sequenti tempore omissio in æquali compensetur. Vnde culpa & pœna non semper se comitantur; id quod Henriq. ipse concedere debet excusans *c. 29. comp. n. 30.* Beneficiatum ab omni fructuum restitutione, si per annum octies v. g. omittat Breuiarium, quo in casu eundem vtique non excusabit à culpâ.

XLIV. *Irenæus contra homines æquè ac iumenta*

menta frequenter iratus enunciat Christi vulnera, Sanguinem, Chrisma, Sacramenta, & horum non rarò multa millia multiplicat dicendo: Hundert-Tausent Sacrament: daß dich Blut/ Tauff/ Chrysam schendt/ *&c. Quæritur. Vtrum mortaliter blasphemando peccet?*

Videtur mortaliter sic peccare. Tum quia his verbis præter dirum maledictum inest etiam blasphemia. Tum quia Sacramentorum numerũ contra fidem contemptim multiplicat. Tum quia res Sacras ob peruersum vsum inuocatas dehonestat.

Resp. I. Si affectus indignationis & iræ tendat saltem virtualiter in Deum, committi grauem blasphemiam. Ita omnes, quia imminuitur indirectè saltem diuinus honor. Resp. II. Si idem affectus non quidem tendat in Deum etiam indirectè, Irenæus tamen attenderit ad vilipensionem Dei, ac rei Sacræ, quam ea verba præ se ferunt, committi itidem mortalem blasphemiam. Ita Tanner. 2 2. *D 1. Q. 8. n.* 134. quia derogatur honori Dei. Resp. III. Si ille ipse affectus indignationis & iræ nec vllo modo tendat in Deum: nec Irenæus ad vilipensionem Dei & rerum Sacrarum attendat, non committi aliquod peccatum grauius. Ita Laym. *L.4. Tr.10. cap. 6. n.* 12. Ratio desumitur ex defectu cognitionis & voluntarij; quia tamen aliqua est irreuerentia, saltem materialiter talibus verbis

bis vti, ideo venialiter peccari, admittit Sanchez *L. 2. cap. 32. num. 30.*

Atque ex his patet ad rationes in contrarium iuxta diuersa responsa, è quibus vltimum eò frequentiorem vsum habet, quò rariores sunt inter Germanos nostros, qui hisce iræ impetibus Deo, rebusque Sacris honorem atque æstimationem detrahere velint. Cæterùm eum, qui habet talium verborum consuetudinem, teneri seriò conari eam tollere, rectè docet Layman *L. 1. Tr. 2. l. 3. n. 6,* & diximus supra casu III.

XLV. *Iouita 1000. florenos hodie post annum solvere debet Faustino: & licèt debiti huius nulla sit difficultas, nec aliud damnum, lucrum cessans &c. paciscuntur tamen, & ita convenit inter eos, vt Iovita præsentes numeret hodie Faustino 900. florenos pro mille post annum solvendis, recipiátque Chirographum suum. Quæritur. Vtrum solutio hæc sit licita?*

Videtur vsuraria. Ita Sotus, Valent. Molin. P. Navarr. Dicastillo *de Iust. T. 9. D. 2. n. 68.* & hoc teste communis Theolog. Ratio est, quia tanti æstimantur centum hodie, quanti post annum, adeóque sola expectatio temporis daret valorem rei, quod est absurdum, vt ostendit Dicastillo in varijs exemplis, inter quæ & contrariam sententiam paritatem constituit.

Resp. Probabile esse, solutionem illam non

non esse vsurariam. Ita Abbas *C. in ciuit. num. 7. de vsura.* Caiet. M. Navarr. Tolet. Sa, & alij apud Palao *de Iust. D. 5. p. 13. n. 5.* quibus accedunt Cardin. Bellarminus, & Layman *Tr. 4. de Iust. cap. 17. §. 5. n. 33.* quorum ille sententiam hanc absolutè olim docuit, vt testatur Less *c. 21. dub. 8.* iste eandem probabilem agnoscit, licet contrariam tanquam securiorem præferat. Ratio desumitur ex opposito fundamento, quod scilicet ius præsertim distans communi hominum æstimatione minoris valeat, quàm pecuniæ præsentis; & hoc ius vendatur instar mercis. Ergò iustè emi sic minoris potest. Confirmatur. Solutio 1000. florenor. singulis annis per decennium ab hærede alicui facienda, si redimatur, communi hominũ æstimatione minoris fit v. g. 800. floren. & tamen non liceret mutuò alicui dare 800. florenos eâ legè, vt post decennium redderet mille (præcisè ratione mutui abstrahendo à damno, lucro cessante &c.) vt rectè advertit Laym. *loc. cit.* addens rationem ex Less. quia cùm ius aliquod per modum mercis venale exponitur, per accidens ratione circumstantiarum aliam æstimationem accipit, quam ex suâ naturâ præcisè spectatâ haberet.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum, & varias sequelas, quas plerique ex nostra sententiâ faciunt, quæ omnia ex eo ruunt,

unt, quod non ex solâ dilatione, vt sibi persuadent, sed aliâ hominum æstimatione contractum hunc non illicitum putemus. Non refert autem, quod ipse Iouita debitum suum prædicto modo redimat, non enim debet ipse peioris esse conditionis, quàm quiuis alius, dummodo ipse non sit causa, cur Faustinus velit vendere, vt si præberet se difficilem ad soluendum, hanc enim difficultatem tenetur ille tollere, vt bene Less. *loc cit. n 70.*

XLVI. *Lea mater, vt filioli sui rupturæ medeatur, nomen huius schedæ inscriptum per quercum ruptam ab aliquo suorum transmitti curat, ipsa interim domi pro eodem orat, sic enucleatè facere edocta à grandæua anu, quæ medium istud probatum affirmauit & suâ & multarũ matrum experientiâ, quæ filiolos suos integritati valetudinis hâc ratione restituerunt. Quæritur. Vtrum licitè hoc fiat?*

Videtur licitè fieri. Tum quia nihil in eo mali apparet. Tum quia similia alia passim ab hominibus, quos virtus & Religio commendat, vsurpantur.

Resp. Leam illicitè prædicto modo mederi filiolo suo, & cõmittere superstitionem seu vanam obseruantiam, quæ ex genere suo peccatum mortale est. Ita S. Thom. 22. *q. 96. art. 1.* Valent. Tanner, Laym. Bonac. & alij Theologi communiter. Ratio est, quia vsurpatur medium vanum ad obtinendum aliquod

quod bonum corporis, quod idcirco non à Deo expectatur, sed à diabolo talium superstitionum authore; quam enim vim naturalem habeat transmissio schedæ per quercum ruptam ad curandam rupturam corporis humani? cùm ergo nec de supernaturali legitimè constet, opem diaboli interuenire oportet, quod vtique ex genere suo est mortale peccatũ, cum honor diuinus creaturæ tribuatur, expectando ab eâ, quod à solo Deo expectari debet; nec excusari Lea ab hâc malitià contractâ potest, nisi fortè ex ignorantiâ & animi leuitate id fecerit, vt rectè Tanner 22. D. 5. q 7. n. 25. Ad *primum* in contrarium dicimus, implicitum in eo contineri pactum cum dæmone, cùm eiusmodi effectus & recuperata sanitas per tam disproportionatum & vanum medium nec à natura haberi, nec à Deo putari possit. *Non obest*, quod mater domi orare debeat, dum foris scheda & nomen filioli per quercum traijcitur; hæc ipsa enim familiaris est fraus diaboli, sub specie boni decipere incautos, & simul rebus diuino cultui destinatis ad nefandum suum seruitium abuti. Ad *secundum* dicimus, si alia similia passim fiant, dolendum vehementer, non magis homines iuxta præceptum Apostoli 1. *Thessal* 5. *ab omni specie mali abstinere se*, quæ tamen species mali ex insufficientiâ causæ ad talem effectum, ex adiunctione

iunctione falsarum & vanarum circumstantiarum, ex euanido sæpe effectu haud difficulter deprehenditur, vt reverà magna valde ignorantia & simplicitas hominis esse debeat, qui ex tali vngue infernalem Leonem non dignoscat.

XLVII. *Lioba nobilis virgo videtur sibi ex vnâ parte assiduò irasci contra Deum, aliosque Sanctos, odio hos prosequi, blasphemare, imò pedibus illos velle terere, acubus pungere, cultris scindere, in fœdissimos locos abijcere &c. Atque hæc adverit non solùm in imaginatione hærere, sed ad cor, animumque pertingere: ex altera verò parte videtur sibi cupere omnia opposita, velle prædictis omnibus assensum negare, non tamen posse, ideóq; vehementer inde discrutiatur. Quæritur. Quid de his in confessione dictis iudicet Confessarius?*

Videtur peccare, & quidem grauissimè. Tum quia assensum dat in obiecta longè pessima, hoc ipso, quod ista ad cor, animumque pertingant, per assensum scilicet voluntatis. Tum quia agit contra conscientiam, quâ agnoscit, illa non facienda esse.

Resp. Confessarium iudicare debere, Liobam in hoc casu non peccare. Ita Baldellus in Disputationibus ex Theologia Morali *L.* 4. *D.* 4. *n.* 2. Ratio est, quia Lioba in prædictis omnibus non est libera, sed ex nimiâ intensione, & efficacitate phantasmatum depraua-torum, quæ nimis importunè se ingerunt,

ita perturbatæ rationis, vt libertas subsistere nequeat; quod planè ex eo conijcitur, quod dicat, non posse se cogitationes abijcere, & assensum negare. Si ergo non potest non agere, liberè non agit; neque hoc mirum, cùm enim intellectus in hac vita dependeat à sensibus & phantasmatibus, his corruptis, aut vitiatis, necesse est, etiam ipsum quoad suas operationes marcescere.

Ad *primum* in contrarium dicimus, assensum illum non esse liberum, vt proinde malus esse moraliter nequeat; esto tendat in obiectum pessimum. Ad *secundum*. Non sufficere ad peccatum, quod quis agat contra conscientiam, sed insuper requiri, & supponi libertatem & potentiam in oppositum, vt bene cit. Author ex communi aliorum; id quod in proposito non habetur.

XLVIII. *Magistratus Ciuitatis Staguuensis egemsert, ne quis ciuium & subditorum ex cellis priuilegiatis vnicam mensuram vini emat sub mulcta 5. imperialium. Quæritur. Vtrum lex ista obliget sub peccato?*

Videtur obligare in conscientiâ. Ita Bonac. *de leg. D. 1. Q. 1. pun. 7. § 2. n. 1.* vbi alios allegat. Ratio est, quia de ratione legis & præcepti est, inducere obligationem.

Resp. Prædictam legem non obligare sub peccato. Ita ex communi Laym. *L. 1. Tr. 4. c. 15. n. 1. & 2.* Ratio est, quia potest Magistratus

stratus pro suo arbitrio præcipere aliquid non *absolutè*, sed solùm sub *hypothesi*, vt, si non fiat, pœnâ luatur; sicuti potest quis se obstringere voto purè pœnali, v. g. *si luserit, daturum se eleemosynam*; In proposito autem Magistratum sic legem tulisse præsumi rationabiliter potest, tum ex verbis legis, tum ex pœnæ grauitate respectu talis transgressionis; tum ex communi prudentum interpretatione.

Ad rationem in oppositum dicimus, de ratione legis esse, inducere obligationem saltem *ad pœnam subeundam* propter eius transgressionem, & culpam saltem *ciuilem*, si à Iudice imponatur; ante hanc enim Iudicis sententiam neque ad illam pœnam aliquis tenetur, vt rectè Palao *Tr. 3. D. 2. p. 2. n. 8.* post plures alios, quos refert.

XLIX. *Malachias Sacerdos ex Sacro aliquo Ordine mendicantium malè valet, ita quidem, vt extra cellam suam exportari aliò non possit, desiderat tamen vehementer dicere Sacrum, ideóque altare portatile erigi in cellâ suâ sibi à superioribus postulat. Quæritur, An Superiores hoc ipsi concedere possint?*

Videtur, quod non possint; quia priuilegium aliquibus Ordinibus olim concessum sustulit Trident. Concil. *sess. 22. c. de evitand. in celebr. Miss.* vbi Barbosa *num. 19.* plures AA. pro hoc allegat. Confirmatur. Patres Societatis IESV non videntur agnoscere hoc priui-

legium, quo tamen per communicationem æquè gauderent.

Resp. Superiores posse concedere Malachiæ altare portatile in cellâ suâ. Prob. Tum quia Tridentinum non sustulit priuilegium mendicantibus, sed tantùm concessit Episcopis facultatem prohibendi, vt volunt Card. de Lugo. *de Euch. D.* 20. *num.* 51. Dian *3. P. Tr.* 2. *Resol* 80. & plures alij apud Barbosam *loc. cit.* Imò Lezana, Perinus, Rodriq. & alij, quos refert & sequitur Dicastillo *Tom.* 5. *de sacram. D.* 4. *n.* 104. putant, Episcopos prohibere etiam non posse, quia hoc tantùm ipsis conceditur in priuatis domibus, quales non sunt cellæ Religiosorum, vtpote iam aliquid ad Ecclesiam pertinens. Tum quia Lugo *loc. cit.* affert priuilegium novum Regularibus S. Saluatoris post Trident. concessum, vt in proprijs cellis celebrare possint. Ergo Ordo Malachiæ hoc eodem etiam gaudet per communicationem, quam habet.

Atque ex his patet ad fundamentum contrariæ opinionis Ad confirmationē dicimus, penes Societatem IESV ac Adm R. P. Generalem huius æquè esse potestatem erigendi aras portatiles in cubilibus; hanc tamen per se antehac non habuisse superiores infra Generalem. Ratio primæ partis patet ex dictis, quia prædicta Societas per communicationem habet omnia priuilegia, quibus gaudent

alij

alij Sacri Ordines. Ergo & hoc, erigendi altare portatile in cubili. Ratio secundæ partis est, quia hæc potestas nominatim antehac non fuit expressa in compendio priuilegiorũ Societatis Iesu; extra hoc autẽ per se, & absque licentia Adm.R.P. Generalis nõ licet vlli ex illa Societate quocunque aliorum Sacrorum Ordinum priuilegio vti, vt notatur *ibid. V. Communicatio in fine.* Et respondit istud anno 1636 R. P. Mutius Vitelleschus Generalis Provinciæ inferioris Rheni, qui tamen postea anno 1643 reseruationem illam erigendi altaris absque Præpositi Generalis facultate sustulit, vt patet in Additionibus ad Compendium Privilegiorum Societatis Româ eo anno missis; vnde si prædictum Compendium Priuilegiorum denuo recudetur, illud quoque Priuilegium addetur publicis typis.

L. *Maurilius Chirographum ac jus habet ad 1000 florenos à Principe suo exigendos, quos tamen sæpè petitos obtinere non potest; vendit igitur jus illud suum Maurino eiusdem Principis Officiali 700 florenis, quòd ob favorem, quem habet in oculis Principis, facilè & breui totius debiti solutionem consequitur. Quæritur. An licitè fieri hoc possit?*

Videtur non posse. Ita nonnulli apud Salas *de vendit. dub.* 40. quia ratio minoris emendi Chirographa talia est sola difficultas & labor in acquirendo debito. Ergo vbi hæc

difficultas cessat, cessat etiam ratio sic emendi.

Resp. I. Maurinum, si sit quidem Officialis Principis, non autem Quæstor, posse minoris emere Chirographum Maurilij. Ita Molin. *D. 361.* Less. *L. 2. c. 21. n. 74* Laym. *Tr. 4. c. 17. §. 5. n. 53.* & plerique alij. Ratio est, quia debita illa ob incertitudinem & difficultatem ex communi hominum æstimatione minùs valent venditori. Ergo sicut quilibet alius, ita etiam Maurinus Officialis emere ea potest detrahendo, quanti ea difficultas & incertitudo æstimatur; ex fauore enim, quē habet apud Principē, nō debet esse deterioris conditionis, dummodo ipse non sit causa difficilis solutionis. Vnde Resp. II. Maurinum posse minoris emere debitum illud, etiamsi sit Quæstor Principis, modò difficultas soluendi penes ipsum non stet: secus, non potest emere, vt docet Molina, Salas, Bonac, de contract. *D. 3. q. 3. pun. 10. n. 7.* Filliuc. *Tr. 35. n. 107.* & alij, qui rectè aiunt, grauiter subinde peccari à Quæstoribus Principum, quando scilicet ipsi sunt in causa difficilis solutionis. Resp. III. An in præsenti Maurinus de 1000. florenis iustè 300. aut etiam plures vel pauciores detrahat, pendere ex communi hominum æstimatione difficultatis, & laboris in exigendo debito, ad quam regulam tam in hoc, quàm similibus casibus diligenter attendi oportet; quidquid enim

per

per excessum huic regulæ conforme non est, ex communi Theolog. iniquum & restitutioni obnoxium est.

Ad rationem in oppositum dicimus, difficultatem & incertitudinem cessare quidem respectu *emptoris*, non autem respectu *venditoris*, ex quâ parte pretium diminutionem accipit, vt rectè aduertit post alios Palao *de Iustit. Disp. 5. p. 13. n. 8.*

LI. *Marcellus dono accepit torquem aureum à Marcellino, qui eum bonâ fide aliquot annis possedit, ipse autem nunc dubitat, an sit alienus. Quæritur. Vtrum Marcellus cum hoc dubio possit incipere præscriptionem?*

Videtur non posse. Quia ex communi Theologia ad inchoandam præscriptionem requiritur bona fides, nec sufficit dubia.

Resp. Marcellum cum prædicto dubio posse inchoare præscriptionem, & tandem torquē securè & indubitatè sibi retinere, si nimirū post tempus à Iure præscriptum, & diligentem inquisitionem comperire non possit, num sit alienus. Ita Card. de Lugo *de Iust. D. 7. n. 64.* allegans S. Thom. Molin. & Sanchez. Ratio est, quia Marcellinus potuisset inchoare præscriptionē, si eius bonæ fidei dubiū supervenisset, eò quod ratione dictæ bonæ fidei ius acquisierit ad torquem retinendum etiam superveniente dubio. Ergo Marcellus quoque iam potest; quia iste in toto Iure succedit illi, adeóque etiam in bonâ fide. Ergo habet to-

tum, quod ad præscribendum requiritur.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum; nam ad inchoandam præscriptionem non necessariò requiritur bona fides quasi intrinsecè, sed sufficit aliena extrinsecè adueniens, qualem à Marcellino Authore habet in proposito Marcellus eius successor.

LII. *Megengor Comes venando egreditur subinde limitibus suis, capitque feras in locis Comiti Bauoni eius vicino subiectis, nullâ tamen sepe clausis. Quæritur. Vtrum peccet, teneaturque ad restitutionem?*

Videtur peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Ita Bonac. *D. 1. de restit. in genere. q. 3. p. 7. n. 22.* Molinam, Filliuc. Sa, & alios citans. Mouetur, quia peccat contra Iustitiam, & lædit Ius Bauonis, quod habet in locis istis. Sed qui peccat contra Iustitiam in re graui, qualis est præsens, peccat mortaliter, tenetúrque ad restitutionem damni, quod patitur is, ad quem ius venandi pertinet, non quidem habitâ ratione valoris animalium, sed damni vel lucri cessantis.

Resp. Megengorem non peccare saltem mortaliter, nec teneri ad restitutionem. Ita Dicastillo *L. 2. de Iust. D. 9. n. 308.* post Vasq: Turrian. & alios. Ratio est, quia Bauo non habet ius ad rem circa illa animalia, quæ iure gentium sunt comunia; titulus autem, quem ad districtum illum habet, solùm ipsi concedit

dit ius ad licitè & impunè capienda animalia in eo, & arcendos ab eodem alios venatores; imò & puniendos, si fuerint deprehensi.

Vnde patet ad rationem in oppositum; totum enim ius, quod habet Bauo, illæsum relinquit Megengor, impediens solùm consecutionem ferarum à se captarum, ad quas Bauo ius non habet, antequam illas apprehendat, quæ impeditio culpam venialem non excedit Addo nec venialem culpam committi; cùm enim passim sciatur, alterum in alterius venationis locum excurrere, videntur Domini vicissim condonare hanc læsionem, contenti mulctâ certâ, si quis in facto deprehendatur.

LIII. *Meletius Parochus à Iudice interrogatus, an reum talium & talium criminum teneatur condemnare? respondet teneri, quem igitur morti addictum comitans suggerit ministris Iustitiæ breviorem viam, & eosdem subinde in via ad celeriorem gressum hortatur. Idem in loco supplicij reo acclamat, vt scalam ascendat, collum laqueo ingerat, & morti subeundæ se tradat, quem deinde iam pendulum adhuc vivere cernens abscedenti id indicat carnifici, qui denuo collum fune comprimit, donec spiritum elidat. Quæritur. Vtrũ Meletius ex his sit irregularis?*

Videtur esse, tum ex defectu lenitatis iuxta *cap. 3. ne clerici* & alia iura, tum quia ex communi sententia irregularitatem incurrit præbens

bens Iudici consilium, quo moveatur ad sententiam proferendam in causa sanguinis. Ergo etiam Meletius eandem contrahit, cum illius sententia mouerit Iudicem ad reum cōdemnandum.

Resp. Meletium ex omnibus enarratis, quæ circa reum fecit, non esse irregularem. Ita Gaspar. Hurtado *de irregul. Difficult.* 11. *n.* 36. vbi ait, sibi interroganti hoc responsum esse à P. Vasquezio. Ratio est, quia *in prædicta Cap.* & alijs iuribus, vbi mentio fit huius irregularitatis, comprehenduntur ij solùm, qui ad homicidium aut mutilationem concurrūt, vel vt publici ministri Iustitiæ sive ad causæ probationem, sive ad executionem: vel vt priuati iniustè & cum peccato; nullo autem horum modorum concurrit Meletius, qui proinde irregularis censeri non potest.

Ad *primum* in contrarium patet ex dictis. Ad *secundum* distinguimus anteced. cum Palao *de Cens. s. 6. p. 14. §. 3. num. 7.* Si iuridicè fuerit interrogatus, concedimus; si priuatim solùm, negamus. Meletius autem non respondit iuridicè, cum tali authoritate non fungatur, sed priuatim, Iudicem tanquam quamlibet aliam personam informās velut eiusdem Cōfessarius. De quo circa præsentem materiam duo ad praxin notabilia tradunt Henriquez *L. 14. cap. 12. n. 4.* Auila *Part. 7. D. 5. dub. 6.* Bonacina *de Censuris D. 7. q. 4. pun. 1.*

n. 32.

n. 32. & plures ab his relati, ex quibus non parùm nostra doctrina confirmatur.

Primum. Confessarium non fore irregularem, si neget Iudici absolutionem, nisi sententiam sanguinis proferat, ad quam in conscientia tenetur. Tum quia non procedit, vt publicus Iustitiæ Minister. Tum quia credendum non est, velle Ecclesiam tam graui, & de se perpetuâ pœnâ Confessarium punire ob actionem iure diuino debitam, & quam ipse excusare non potuit. *Alterum.* Eundem Confessarium ab irregularitate immunem futurum, si obliget pœnitentem ad fatendum delictum morte, vel mutilatione dignum, ad cuius manifestationem iure naturali tenetur. Tum quia eo casu non concurrit ad mortem ex parte Iudicis inferentis, sed ex parte sustinentis; ac proinde ab irregularitate ministris publicis iniuncta excusari debet. Tum quia opus obligatorium præstat, ob cuius causam nullo impedimento affici ipsum oportet.

LIV. *Musculus in Italia ob crimen publicum infamis fugit in Poloniam, vbi honestus habetur, & ob ingenium scientijs excultum honorato etiam officio extollitur. Sed breui illuc defertur Fusculus, qui inopinatò conciuem suum conspiciens crimen eius publicum in Italia commißum diuersis narrat, omnique illum honore apud Polonos exuit. Quæritur. An Fusculus crimen Musculi publicum narrando alijs, ad quos aliàs vix vnquam fuisset deuenturum, peccârit mortaliter?*

Videtur ita peccâsse. Tum quia fama Musculi (vtpote diuisibilis, & ex opinione plurium) non erat amissa apud Polonos. Tum quia amissam etiam in Italia recuperauit in Polonia emendatione morum, sicuti vestis reparari solet abiecta. Tum quia absque rationabili causâ læditur in re graui saltem contra Charitatem, vt docent Less. *L. 2. de Iust. c. 11, n. 78.* Malder. Sayr. & plures alij Theologi apud Dianam *P. 2. Tr. 5. Miscell. Res. 17.*

Resp. Fusculum notorium Musculi crimen siue facti siue juris detegendo nec contra Iustitiam, nec probabiliter contra Charitatem peccâsse mortaliter. Ita Facundez *de præcept. Ecclesiæ præcepto 2. L. 5. cap. 3. num. 14.* Lugo *de Iust. D. 14. s. 6. n. 80. & apud hunc alij.* Ratio est, quia Musculus sponte abiecit famam publico scelere: & boni communis interest, narrari, & sciri publicos aliquorum defectus, vt singuli pro merito honorentur, & simul à similibus delictis absterreantur. Atque hoc verum est, etiamsi scelus Musculi *iniustè* publicum euasisset; non autem si *falsò* fuisset eidem impositum, quia positâ publicatione & vero crimine acquiritur alijs ius loquendi de eo: non verò si hoc crimen non subsit, tunc enim Musculus non potuit amittere ius ad famam suam per publicationem meram, vt rectè Lugo *loc. cit.*

Ex his satis patet ad rationes in contrarium allatas.

allatas; quarū tamē vltima est cæteris efficacior, & rem non leuiter persuadet, saltem quando aperta boni communis ratio talem manifestationem non postulat; hinc in respōsione signanter addidimus, solùm probabile esse, Fusculum non peccare contra charitatem notorium Musculi crimen aperiendo, vt contrariam Lessij sententiam non tantùm magis piam & tutiorem, sed vero etiam similiorem indicaremus. Cæterùm insistendo positis fundamentis tam ex authoritate quàm ex ratione adducta saltem probabilibus, instantia de veste nihil facit ad rem, quia vestis potest iterum esse aliquando in manu mea: fama autem est in mentibus aliorum, qui habent ius loquendi de notis publicè. Vnde etiam rectè concedit Rebell. *P. 1. L. 4. q. 4. n.* 10. posse absque graui peccato spargi ad alios conuentus eiusdem Religionis ac Prouinciæ, si quis publicè in vno conuentu fuisset punitus pro infami delicto, cùm plures vnius Prouinciæ censeantur constituere vnam spiritualem Rempubl. cuius etiam refert, sciri publicos defectus, vt virtus inde magis honoretur, vitium autem odio reddatur.

LV. *Mutius ob patratum homicidium sollicitus, ne innotescat, interrogat Confessarium suum, num in carcerem fortè coniectus, & de eo legitimè à Iudice post semiplenam probationem interrogatus, teneatur in conscientia fateri illud,*

quamdiu

quamdiu spes aliqua euadendi affulget? Quæritur. Quid dicat Confessarius?

Videtur dicendum, Mutium teneri crimen suum fateri Iudici. Ita planè communis sententia Theolog. cum S. Thoma 22. *q. 69. art.* 1. è quibus nonnulli contrariam opinionem grauiùs etiam censent. Tum quia Iudex potestatem habet obligandi reum ad aperiendam veritatem. Tum quia non potest dari bellum vtrinque iustum. Ergo cùm Iudex ex vna parte iustè interroget reum, hoc ipso præcipit reo, vt veritatem prodat.

Resp. Confessarium dicere posse Mutio, ipsum præuiâ infamiâ, & semiplenâ probatione legitimè à Iudice interrogatum negare tamen posse crimen, quamdiu spes est effugiendi. Ita Abbas *in C. cum super. de confessis.* Sylvest. Angelus, P. Nauarr. Filliuc. Fagundez, Reginald. Dicastillo *de Iust. L. 2. Tr. 1. D. 6. n.* 21. Lugo *de Iust. D.* 40. *n.* 15. & plures apud hos. Ratio est, quia maximum ius est ad propriam vitam & bona temporalia defendenda. Less. *L. 2. de Iust c. 31. n. 16.* Sa. *V. Reus 6.* Bonac. *D.* 10. *in oct. præcept. q. 3. p. 2. n. 7.* alij. Quare lex humana non videtur posse obligare tanto cum incommodo. Confirmatur. Consanguineus non potest cogi ad testandum contra consanguineum *L. 4. ff. de testib.* nec quisquam cogi potest ad testandum cum graui suo incommodo. Ergo à fortiori nul-

lus

ius videtur cogendus ad testandum contra se ipsum, cùm nullus magis sit consanguineus, quàm quisque sibi ipsi. *Vnde sequitur*, reum nec teneri comparere etiam citatum, quando imminieret periculum vitæ, bonorum temporalium &c.

Ad *primum* in contrarium dicimus, Iudicem habere potestatem obligandi reum ad aperiendam veritatem, quando non est periculum tanti damni, aut res plenè est probata, & nullum superest effugium. Item habet potestatem obligandi non quidem ad culpam, sed ad torturam, vt scilicet reus fateatur crimen suum, si nolit experiri tormenta. Ad *secundum* dicimus, Iudicem in proposito iustè quidem interrogare, sed non iustè obligare ad aperiendam veritatem, quia illud iure potest, non istud; ex quo patet, non sequi, posse esse bellum ex vtrâque parte iustum, quia non est contrarietas circa idem ius. Censuras grauiores, quas immeritò aliqui effutiêrunt, vanas & contemptibiles ostendunt tum Authoritas, tum ratio allata sententiæ nostræ.

LVI. *Narcissus puerulus in lethalem incidit morbum, qui cum confirmatus nondum sit, petit parens ab Episcopo, qui confirmandi causâ illuc advenerat, vt moribundo etiam hoc Sacramentum conferre velit, quod & ab eodem impetrat. Quæritur. Vtrum licitè hoc Episcopus fecerit?*

Videtur non bene fecisse. Tum quia ex vsu

Ecclesiæ

Ecclesiæ habetur, infantes non confirmari. Tum quia in moribundo cessat finis confirmationis, qui est roborari ad pugnam contra fidei hostes; vnde etiam videmus, adultos non confirmari in articulo mortis, si eoúsque distulerint.

Resp. Narcissum laudabiliter fuisse confirmatum. Ita habet communis Theolg. Tum quia absolutè est capax & dignus, adróque eo fructu non priuandus. Tum quia ex Catechismo Rom. licitè confirmātur vniversim infantes, quamvis convenientius expectetur maior ætas, si per valetudinem exspectari possit.

Ad primum in contrarium dicimus, ex vsu Ecclesiæ non constare, quod infantes in articulo mortis non confirmentur, sed tantùm, quod rarò hoc contingat propter raram occasionem. *Ad secundum*, per accidens esse hoc. Quoad adultos, optandum esset, vt & ipsi in articulo mortis confirmari se curarent; nam hoc Sacramentum, si obeant, prodesse eis potest ad maiorem gratiam & gloriam, & ad tentationes illius angustiæ superandas, ad quod quamuis instituta sit extrema vnctio, tamen vnita virtus fortior, vt rectè Sanch *select. D.* 40. *n.* 4. Quodsi tamen omittant, non peccant mortaliter, vt contra Adrianum communis habet Theologorum sententia, quia nec ex script. nec ex traditione, nec fine, aut institu-

institutione Sacramenti præceptum tale colligitur. Et Canones, qui in contrarium afferuntur, satis explicantur de necessitate ad melius esse.

LVII. *Nemesius sponsalia contraxit cum Nemesiâ, sed inde desiderio Neomisiæ captus cum hac inscia priorum etiam contraxit sponsalia, datamq; sponsionem iuramento confirmat, & eidem copulam superaddit. Quæritur. Quænam ex his sponsalibus valeant? Et si ex hypothesi priora valeant, eáque dein ob aliam causam ex mutuo vtriusque consensu dissoluantur, num hocipso posteriora valere incipiant, ijsque stare debeat Nemesius?*

Videntur posteriora valere. Ita Pontius *L. 12. c. 14. n. 4.* Rebellus, Coninck, Palao *D. 1. de sponf. pun. 22. n. 6.* & post alios Dian. *P. 3. Tr. 4. Res. 210.* Mouentur, quia quando duo contendunt, vnus eorum de lucro, alter de damno vitando, fauendum potius huic. Sed secunda fœmina passa est damnum, prior verò solùm de lucro agit. Ergo &c.

Resp. Priora sponsalia valere. Ita Sanchez. *Tom 1. de Matr. L. 1. D. 49. n. 5.* Henriquez *L. 11. de Matr. cap. 56.* Hurtadus *Disp. 2. Difficult. 8. n. 30.* & alij. Tum quia Nemesius ad sponsalia posteriora non tenetur ratione promissionis etiam iuratæ, cùm sit nulla vt relata ad tempus juris alterius; est quippe rei illicitæ præsuppositis prioribus sponsalibus: neque ratione damni illati posteriori Sponsæ, quia

huic damno fieri ſatis poteſt conſtitutione dotis, aut aliâ viâ. Tum quia iniuria illata poſteriori non aufert ius priori ſponſæ per priora ſponſalia acquiſitum.

Vnde ad rationem in contrarium negatur Min. cùm ſecunda fœmina non tantùm quærat lucrum, ſed ius ſuum, & huic inſiſtat; Ex quo etiam non placet, quod addit Sanchez, nim. ſi damnum, quod paſſa eſt ſecunda fœmina, adeò ſit graue, tunc Nemeſium poſſe à Iudice cogi, vt hanc ducat; ſic enim priora ſponſalia non habuiſſent valorem abſolutum, & independentem ab alio. Quòd ſi ergo ex quocunque caſu priora ſponſalia iterum diſſoluantur, non incipient inde valere poſteriora, cùm enim hæc nunquàm fuerint valida, non poterunt ex alieno caſu reualeſcere, vt bene Sanchez *D. 55. n. 6* Pontius, Coninck, & alij contra Couarr. *p. 1 de Matr. cap. 4. §. 1. n. 10.* Rebellum & nonnullos. Ait Palao loc. cit. ſi equum liberaliter promiſiſti Petro, & deinde vendis Paulo pretio accepto, huic tradere illum debes. Ergo &c. Negari poteſt antec. niſi traditio ſit ſecuta. Adhæc diſparitas eſt, quod poſterior contractus valeat, idque ex juris diſpoſitione. *Argum. L. quoties Cod. de rei vind* quod ſecus eſt in noſtro caſu.

LVIII. *Nicetas ſtudioſus egregiam præ ſe fert indolem, magnúmque in pietate & litteris facit progreſſum, quocirca Odilo Abbas eius in Monaſterium*

nasterium suum trahendi cupidus, varijs illius animum munusculis demereri studet, & quia Nicetas pauperes habet parentes, promittit insuper hos alere, & ipsum adhuc biennio in studijs conseruare, si modò postea Religionem & monasterium suum ingredi velit, quod & obtinet apud Nicetam. Quæritur. An Odilo Abbas non committat Simoniam, sic Nicetam ad Religionem ducendo?

Videtur committere Simoniam. Tum *ex* C. 2. *caus.* 1. *q.* 2. dicente: *nusquam legimus Domini discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse.* Tum quia pactum in rebus spiritualibus est Simoniacum, vt communiter docent Theologi. Atqui hîc intervenit pactum. Ergo est Simoniacum.

Resp. Odilonem nullam committere Simoniam. Ita Tanner. *Tom.* 3. *D.* 1. *q.* 157. Bonac. *de Simon. D.* 1. *q.* 8. §. 8. *n.* 1. *&* 3. & alij Theol. post S. Thom. 22. *q.* 189. *art.* 3. *in* C. Ratio est, quia hæc non sunt pacta, sed illectamenta: Nec obligant absolutè, sed cum liberâ conditione, si velit Nicetas hoc commodo potiri: aut disiunctim, vt ingrediatur, vel sumptus refundat.

Ad *primam* rationem in oppositum dicimus, citatum C. loqui de munere in pactum deducto, & quidem per modum pretij, vt constat ex casu Capituli per Panormitanum exposito; petebatur enim Abbas ex vno mo-

nasterio in alterum transferendus, quem sui nolebant dimittere sine pacto compensationis. Ad *secundam* distinguimus. Pactum animo pretij factum est Simoniacum, conceditur: Negatur verò, si absit talis animus, vt accidit in proposito. Vnde patet, non omne pactum esse Simoniacum, sed solùm animo pretij initum, vt rectè citati advertunt.

LIX. *Nymphodora virginitatem vovit Deo, sed post aliquod tempus dubitat, an perpetuam Castitatem promiserit: an solùm continentiam a primo actu venereo. Quæritur. Ad quid porrò teneatur?*

Videtur teneri ad perpetuam castitatem. Ita multi, quos refert & sequitur Palao *de voto. D. 1. pun* 12. *n.* 7. quia scilicet Virginitatem vovens censetur castitatem promittere, nisi aliud ex intentione certò constet: nec in dubio aliud est præsumendum.

Resp. Probabile esse, Nymphodoram non obligari ad perpetuam Castitatem Ita Portel. & Vidal. apud Dian. *P.* 10. *Tr.* 16. *Resp.* 47. Ratio est. Tum quia verba legum propriè sunt accipienda, vt docetur *de LL.* Cùm ergò votum lex quædam partialis sit, & Virgo propriè illam duntaxat significet, quæ *carnis integritatem* non amisit, vovens Virginitatem ad hanc solùm carnis integritatem se obstrinxisse censenda est. Tum quia ex communi Theolog. qui certus est de voto, dubius autem, an & quid comprehendatur

eo

eo voto, non tenetur ad eam partem, de quâ dubitat. Cùm ergo Nymphodora certa sit de voto Virginitatis, dubitet autem de perpetuâ castitate, si hoc dubium ante lapsum illi incidisset, ita secum statuere potuisset: Si, quod Deus avertat, Virginitatem meam deperderem, vi huius dubij non tenerer ad perpetuam castitatem. Ergo etiam iam post deperditam Virginitatem potest similiter secum statuere & iudicare. Atque ex his patet ad rationem in oppositum.

LX. *Olaus acatholicus tum ex conuersatione cum orthodoxis, tum ex lectione libellorum contrauersisticorum eò deuenit, vt Catholicà fides magis ei probabilis videatur, quàm sua, & tamen in sectâ suâ perstat. Quæritur. Vtrum rectè?*

Videtur malè hoc facere. Ita Bannez 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *d.* 3. *conclus.* 3. *&* 4. Ledesma, alij. Quia in medio ad salutem necessario oportet nos viam ingredi securiorem, ne pereũdi periculo exponamur, id quod maximè vrget in articulo mortis, vbi tempus rem examinandi nullum superest, vt censet Thom. Sanchez. *L.* 2. *in Decal. c.* 1. *n.* 6. Confirmatur. Quia *licere cuilibet sequi probabilem relictâ probabiliore*, non est intelligendum de opinione probabili *facti*, sed *juris*, vt contingit, cum hominem à longè conspicis probabiliter feram esse ratus; licet enim æquè probabile sit, feram esse, ac hominem, non ta-

men probabile est, posse te sagittam in illam emittere; siquidem prior probabilitas est facti, non juris. Ita in proposito casu, etsi probabilius sit, propositam tibi fidem esse meliorem, probabile tamen haud est, posse te adhuc sectæ adhærere tuæ, & fidem respuere.

Resp. Olaum benefacere, & tam in articulo mortis, quàm extra hunc non teneri ad amplectendam fidem, donec euidenter credibilitas huius ostendatur. Ita Palao *Tr. 4. D. 1. pun. 12. n. 13.* & apud hunc alij. Ratio est, quia nisi Olaus de falsitate erroris sui, & veritate fidei Catholicæ amplectendæ conuincatur, non tenetur credere, sed tantùm potest credere; ad inducendam enim obligationem assentiendi fidei Catholicæ oportet Olaum ita cognoscere eam creditu dignam esse, vt secta contraria penitus creditu indigna appareat, aliàs deserere hanc non tenebitur; & consequenter nec fidei Cathol. se adiungere. Vnde pulchrè S. Thomas *2. 2. q. 1. art. 4. ad 2.* sic ait: *ea, quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Vno modo in speciali* (siue secundùm propriam materiam) *& sic non possunt simul esse visa & credita. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, & sic sunt visa* (seu euidenter cognita) *ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.* Quæ verba S. Doctoris planè

vim

vim habent generalis dogmatis, nullum scilicet credere saltem teneri sine euidentia credibilitatis; qualem euidentiam non habet Olaus, dum præcisè iudicat nostram Religionem suâ sectâ esse probabiliorem, cum, vt sic, adhuc intra merissimam probabilitatem hæreat. Quare P. Adamus Tanner *Tom. 3. D. 1. q. 2. dub. 2. assert. 3.* iure merito affirmat, hanc resolutionem nostram esse expressam doctrinam Angelici Doctoris, testaturque, eam tenere comuniter Discipulos S. Thomæ.

Ad rationem in contrarium dicimus, sufficere nos viam eligere probabilem ad salutem, cùm in magis etiam probabili error latere possit, vt proinde argumentum hoc nec in articulo mortis vrgeat.

Ad confirmationem fatemur, ex probabilitate facti frequenter non sequi probabilitatē juris, tunc scil. quando probabilitas iuris in probabilitate facti non fundatur, vti fit in casu allato: secus, quando probabilitas iuris fundatur in probabilitate facti, sicuti accidit in exemplo. Est mihi probabile, pallium, quod possideo, esse meum; probabilius tamen iudico, esse tuum; in hoc casu non teneor relinquere tibi, sed possidere securè possum. Ita in præsenti probabile est Olao, veram esse suam religionem, licet oppositum sit probabilius; non igitur obligari videtur ad errorem deserendum. Quod verò in articulo mortis

non ſuppetat amplius tempus, hoc non inducit obligationem deſerendi ſecuram viam, & amplectendi ſecuriorem. Interim Olaus, ſi vita ipſi prorogatur, inquirere vlterius, & à Deo lumen petere tenetur, quo credibilitatem fidei Catholicæ euidenter cognoſcat; quod ſi negligat, peccat contra fidem, cùm non adhibeat media ad implendũ fidei præceptum, vt poſt Suarez & alios rectè notat Coninck, *D. 14. de fide n. 213. & 230.*

LXI. *Opilius ruſticus 60. iam annorum deprehenditur in confeßionali neſcire prorſus Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis. Quæritur. An ideo peccârit mortaliter? & quid cum eo faciat Confeſſarius, ſi præſertim Opilius adeò rudis ſit, vt poſt laborioſam inſtructionem myſteria illa nec capere poßit?*

Videtur peccâſſe mortaliter, & non abſolvendus, antequàm prædicta myſteria addiſcat. Tum quia ex communi Theolog. omnes Chriſtiani tenentur credere *neceßitate præcepti* omnes articulos, qui in vulgato Apoſtolorum ſymbolo continentur ſaltem quoad ſubſtantiam. Tum quia explicita fides in Chriſtum iuxta multos AA. poſt Evangelium ſufficienter promulgatum in adultis neceſſaria eſt *neceßitate medij* ad gratiam & gloriam obtinendam.

Reſp. Opiliũ non peccâſſe, & abſolvi poſſe ab alijs peccatis abſq; repetitione præteritarũ con-

Confessionum. Ita Azor. *Tom.* 1. *L.* 8. *cap.* 6. *q.* 6. Tann. 22. *D.* 1. *Q.* 7. *dub* 2. *n.* 49 Syluius *in* 22. *q.* 2. *art.* 8. *conclus.* 8. & alij. Prob. Tum quia Opilius, vt ponimus, inculpabilem habuit ignorantiam illorum Mysteriorum, vel quod nulla illi vnquam venerit dubitatio de obligatione, vel maximè quod ob hebetudinem ingenij capere ea non potuerit. Tum quia etiam post Evangelium sufficienter promulgatum non requiritur *explicita* fides in Christum & SS. Trinitatem, sed sufficit *implicita*, vt præter citatos docent plures alij, cũ neque ex Scripturâ, neque ex Patribus, neque ex Concil. evinci plus possit, vt rectè advertit Card. Sfortia Pallauicinus *L.* 1. *de Fide. n.* 178. Atqui Opilius sufficiẽter habet hanc implicitã fidem, credendo explicitè DEVM esse, & providere omnibus. Ergo &c. Cæterùm laborandum Confessario, vt Opilius quo potest modo alia etiam mysteria in Symbolo capiat, præsertim clariora, v. g. de Christo nato ex Virgine, passo, cruci affixo, vt rectè Azor, *loc. cit.*

Ad *primum* in contrarium dicimus, Christianos teneri necessitate præcepti credere, & peccare non credendo, nisi invincibili ignorantiâ laborent, quâ ipsos à peccato excusari tradit ex communi Palao *Tr.* 2. *D.* 1. *pun* 15. *n.* 6. qualem inculpatam ignorantiam ponimus in Opilio esse, vtpote qui solùm novit, Deum

esse, & providentiam habere tum in hac, tum in altera vita; & cum nulla penitus cogitatio animum subeat de vlteriore indagatione veritatis Catholicæ facienda, ideo non delinquit eam omittendo iuxta ea, quæ dicemus infra *casu 97.* Ad *secundum* patet ex dictis, scilicet de necessitate medij non esse, explicitè credere, Christum, Dominum esse verum DEVM ac hominem, nostrumque Salvatorem, cum tanta fidei expressæ necessitas nullo nitatur firmo fundamento, & argumenta, quæ in contrarium afferuntur, commodè accipi possint vel de fide implicita, vel de necessitate præcepti.

LXII. *Orbilius opifex Catholicus famulos habet opificij sui valde peritos, sedulos, & fideles, sed quia hæretici sunt, carnes in quadragesima apponi sibi volunt, aliàs discessuri, quos tamen Orbilius absque iactura graui rei suæ familiaris dimittere nequit, cùm nec ipse laboribus sufficiat; nec alios habeat, quos substituat. Quæritur. Vtrum carnes apponere eis possit?*

Videtur non posse. Ita Layman *L. 2. Tr. 3. c. 13. n. 5.* Quia cooperatio hæc nimis propinqua est, & absque ea peccatum non fieret.

Resp. Orbilium (per se loquendo, si absit scandalum & periculum alicuius maioris mali) non improbabiliter posse famulis hæreticis diebus prohibitis apponere carnes. Ratio est. Tum quia ex communi Theologia id fieri

ri potest, si grauis necessitas vrgeat. Sed in proposito vrget talis, nim. iactura rei familiaris. Tum quia hoc non est formaliter cooperari ad peccatum, sed solùm permittere ad cauendam iacturam honestæ sustentationis. Tum quia in aliquibus vrbibus, vbi Catholici mixti hæreticis vivunt, id passim fit. Ergo ob vrgentem causam etiã in alijs fieri potest.

Ad rationem in contrarium dicimus, ex ea oppositam sententiam solùm valde probabilem constitui, non autem nostram responsionem improbabilitatis convinci; cùm absolutè cooperatio hæc tantùm sit materialis.

LXIII. *Orentius rem habuit cum sorore suâ, quod flagitium confitetur cum omnibus circumstantijs, cùm sciret, sororem non ignotam esse Confessario. Quæritur. Vtrum licitè id fecerit?*

Videtur minimè licitè id eum fecisse, cùm grauiter infamârit complicem absque iustâ causâ.

Resp. I. Si præter infamiam nullum aliud damnum complici fuit illatum, non peccâsse Orentium mortaliter, eum reuelando. Ita Caietan. 1. 2. *q. 63. art. 2. d. 1. l. 5. d. 2. præcept. Eccl. c. n. 3.* & plures alij, quos refert & sequitur Diana *P. 2. Tr. 17. R. 22.* & *P. 6. Tr 7. R. 9.* quia reuelare crimen complicis Confessario, perinde est, ac si nulli reuelaretur, cùm absit periculum divulgationis. Resp. II. Orentium potuisse, imò & debuisse reuelare complicem,

cem, si nec aliter peccatum suum explicare, nec alium Confessarium habere potuerit. Ita Card. de Lugo *de Pœnit. D. 16. num. 394.* Dicastillo *de Pœnit. D. 9. n. 893.* & plurimi apud hos relati. Quia causa, cur Trident. *sess. 14. c. 5.* præceptam dixerit confessionem integrã, *vt* scilicet *Sacerdos possit prudenter iudicare, punire, curare &c.* hæc inquam, causa probat etiam declaranda esse peccata cum notitiâ complicis. Resp. III. Probabile esse, Orentium propter solam consolationem animi, & bonum spirituale ex integrâ confessione apud talem Confessarium factâ potuisse huic confiteri, etiamsi aliũ habere potuisset. Ita Tamburinus *de exped. conf. L. 2. c. 9. §. 2.* quem citat & sequi videtur Busenbaum *L. 6. Tr. 4. c. 1. d. 3. art. 2. in fine.* Ratio est, tum quia complex non censetur rationabiliter inuitus, si reueletur in tam secreto foro ideò, vt seruetur præceptum Christi, & percipiantur solidi fructus spirituales ex integritate confessionis. Tum quia praxis piorum ac doctorum Confessariorum hoc docet, dum non reprehendunt pœnitentes, si ex tali causa complicis mentionem faciant. Tum quia ex mente Fagund. *in præcept. 2. Eccl. L. 5. c. 1. n. 3.* in tali casu non est præceptum, sed consilium tantùm, vt pœnitens alium Confessarium quærat. *Atque ex his patet ad rationem in contrarium.*

LXIV. *Pamphilus sæpe cibo & potu implet*

se

se vsque ad vomitum, & hunc ideo subinde procurat, vt iteratò comedere & bibere possit. Quæritur. Vtrum peccet mortaliter?

Videtur ita peccare Angelo, Sa, Escobar *Tr. 2. Ex 2 num. 23* & alijs, quia contra naturam magna in eo deformitas apparet.

Respond. Non peccare Pamphilum mortaliter, secluso scandalo & alijs. Ita Navarr, Tolet. Henriq. in compend. Casuum moral. *c. 19. n. 9* Dian. *P. 5. Tr, 13. Res. 4.* & alij. Ratio est, quia non est tanta inordinatio contra naturam, vt sibi imaginantur adversarij: nec per se inde graue corpori incommodum infertur; vnde etiam Layman *L. 3. s. 4. n. 2.* non audet hoc peccati mortalis damnare. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

LXV. *Parmenas ex legitimâ causâ petit & impetrat dispensationem comedendi carnes diebus ieiunij, quâ ille facultate ita vtitur, vt bis per diem ijldem carnibus vescatur. Quæritur. An licitè?*

Videtur non licitè id facere. Ita Ioan. Medina *Cod. 4. de ieiun. q. 5. & 9.* & alij. Tum quia præceptum continet plures partes, ergo deobligatus ab vnâ, non censetur ab alijs liber. Confirm. Solutus à lege binam refectionem die ieiunij prohibente, non eo ipso liber est à lege abstinendi à carnibus. Ergo nec solutus à lege carnium vsum prohibente hoc

ipso

ipso liber est à lege abstinendi ab altera comestione per vnum diem.

Resp. Parmenam dispensatum in esu carnium licitè hisce vesci bis vno die. Ita Caiet. 22. Q. 147. *art.* 8. Nauarr. Tolet. Azor. Filliuc. Suar. *Tom.* 3. *in* 3. *part.* D. 70 ſ 2. & alij. Ratio est, quia essentia ieiunij consistit maximè in abstinentia à carnibus: Hâc ergo demptâ, sicuti nõ manet essentia ieiunij, sic neque obligatio ad ieiunandum, & seruandum alia requisita.

Ad *primum* in contrarium negamus consequentiã, quia vna pars præcipitur dependenter ab alia. Ad *secundum* negamus itidem conseq. ob disparitatem inter binam comestionem, & esum carnium, quod iste plus requiratur; illa verò minùs, & accessorium quid sit ieiunio; iuxtá regulam autem Iuris *in* 6. *Cui licet, quod est plus, licebit, quod est minus:* at non, cui licet, quod est minus, *bina scilicet comestio*, licitum esse debet, quod est plus, *scilicet comestio carnium.*

LXVI. *Parthenius Adolescens vehementer libidinosis vexatur tentationibus, & frequenter ijs succumbit; & quamvis inde advertat, statum coniugalem multò vtiliorem sibi futurum, quàm cœlibem, facit tamen votum Castitatis, idque graviter violat, vt illud iam vellet, non esse factum. Quæritur. Vtrum hoc votum reverà sit validum?*

Videtur votum istud validum esse, cùm omni-

omnibus requisitis constet, vt plerique sentire videntur, quos refert, & sequitur Sanchez *L. 4. c. 8. n. 9.*

Resp. Etsi allata sententia communior & probabilior sit, nihilominus probabile esse, illud ipsum votum esse invalidum. Ita Trullenchius, Ledesma, Martinus de S. Iosepho, Leander apud Dian P. 10. *Tr. 11. Resol.* 47. Homobonus. *Volum. 1. p. 2. resp. 28.* Bonac. *Tom. 2. D. 4. q. 2. pun. 1. n. 26.* & nonnulli alij. Ratio est, quia hoc votum omnibus consideratis non est de meliori bono; quippe melius & salubrius est voventi matrimonium, quàm abstinentia à matrimonio.

Vnde ruit fundamentum contrariæ sententiæ. Volunt tamen cit. AA. illud dispensatione Papæ indigere. Sed si nullum est, quomodo indiget dispensatione? ad varia, inquit Bonacina, incommoda & fraudes cavendas. Aio, inde solùm convinci, quàm cautissimè confessarium procedere oportere in declarandâ nullitate talis voti, ne, dum vnum iuvare vult, plures in pernitiem trahat.

LXVII. *Patricius sclopeto ruri obambulans videt supra culmen alicuius villæ volucrem sedentem, quam iaculaturus aberrat, & ipsam villam globo petit, incenditque, vt brevi tota conflagret. Quæritur. Vtrum teneatur ad restitutionem?*

Videtur teneri ad restitutionem, idque sub mortali, si culpa Theologica vel mortalis, vel

venia-

venialis interuenerit. Ita Rebellus. P. 1. L. 2. q. 10. §. 4. n. 17. Reginald. & alij, cùm damnum illatum sit grave. Ab his dissentientes Less. L. 2. c. 7. n. 2. Filliuc. Malder. & alij nullam obligationē restitutionis agnoscunt, si damnum cum culpâ solùm veniali fuit datum, cùm sic videatur fortuitò illatum.

Resp. I. Patricium in foro conscientiæ ad nullam teneri restitutionem, si ex hypothesi nullam penitus culpam Theolog. in hoc damno illato commiserit. Ita omnes, quia vbi non est culpa, ibi non potest resurgere obligatio restituendi ex damno iniustè dato. Resp. II. Eum teneri sub mortali, si culpa mortalis ex prævisâ & non vitatâ periculosâ actione intercesserit. Ita communis quoque. Cùm & radix, vnde surgit obligatio restituendi, sit gravis, & obiectum pariter sit grave ac commensuratum peccato mortali. Resp. III. Eundem teneri sub veniali ad restitutionem alicuius exiguæ partis faciendam, si culpa solùm venialis interuenerit ob imperfectam deliberationē, seu omissionem debitæ circumspectionis. Ita Bonac. D. 1. *de Restit. in genere. q* 1. *p.* 3. §. *vni n.* 9. Ratio est, quia aliàs non erit proportio inter culpam, obligationem, & obiectum.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium. Dixi, in foro conscientiæ. Nam in foro externo præsumitur frequenter graue damnum

num cũ graui culpâ esse illatum, nisi de contrario aliunde constet vt advertit Wiggers. *Tr. 2. de Iust. c. 1. n. 20.*

LXVIII. *Philaretus marsupium invenit nummis bene fartum: inquisivit sedulò eius dominum, nullo autem comparente, qui suum affirmaret, retinuit sibi. Quæritur. Vtrum bene?*

Videtur malè sibi retinuisse, sed pijs locis applicare, vel pauperibus erogare debuisse. Ita Sylvest. Caiet. M. Navarr. Molin. Less. Rebellus, Bonac. & alij, quos refert & sequitur Cardin de Lugo *de Iust. D. 6. num. 139.* Prob tum ex varijs iuribus, tum quod piè credatur, hanc esse domini voluntatem, vt sua bona in Dei honorem, & animarum vtilitatem cedant, quandoquidem vti eis non potest.

Resp. Philaretum rectè fecisse retinendo sibi marsupium, nec in eo peccâsse. Ita Dominicus Sotus *L. 5. de Iust. q. 3. art. 3. ad 2.* Barth. de Medina, Lopez. P. Navarr. Sa, & alij apud Palao *de Iust. Disp vnic. pun. 19. n. 3.* Ratio est, quia hæc bona eo ipso, quod dominus ipsorum inveniri nequeat, censentur adespota, idem quippe est in iure, *rem nullius esse: & dominum ignorari*, ac proinde de iure naturæ fiunt primò occupantis, sicut thesauri & alia, quæ nullius sunt, nisi quod tacita quædam obligatio illis sit annexa, vt si dominus compareat, restituantur vel integrè, si adhuc

extent, vel in quantũ inventor inde factus sit ditior, si fuerint ab isto absumpta. Confir. Ius naturale non præcipit vniversim ea bona esse pauperibus distribuenda, vt patet ex recèns dictis: Neque ius positivum, quia hoc vel loquitur tantùm de bonis peregrini ab intestato morientis, vel de bonis iniustè acquisitis, vel est particulare certi alicuius loci, vel denique loquitur tantùm de consilio, non de præcepto, Vt notat rectè Diana *P. 9. Tr. 5. Res. 16.* Vbi quæstionem hanc fusè & accuratè tractat.

Vnde patet ad *primum* in contrarium. *Ad* secundum *dicimus*, hæc bona omni dominio certo excidisse, nec ampliùs absolutè esse eorũ, qui illa amiserunt, sed eatenus solũ, quatenus inventor obligatus est, ea restituere domino, si compareat, vt proinde illorum voluntas parùm sit attendenda; hinc tamen contrariam opinionem iudicamus probabilem, piam, & in praxi suadendam cum Laym. *Tr. 1. de Iust c 5. in fine.*

LXIX. *Pergentinus picturam habet, cuius ignorat pretium, hanc mittens amico Laurentino rogat, vt vno alteróue floreno vendat. Laurentinus obsequium hoc libenter præstiturus inquirit prius ex vno & altero, quantum picturæ illius pretium putarent, & non maius esse duobus florenis intelligit; sed vlterius apud peritiorem picturarum æstimatorem indagans audit, pretium prædicta*

dictæ picturæ 40. florenis taxari, quo deinde pretio etiam vendidit, mittens duos tantùm florenos Pergentino, & reliquos sibi reseruans. Quæritur. Vtrum Laurentinus licitè hoc fecerit?

Videtur licitè fecisse. Ita Angelus. *V. Emptio.* 28. cuius opinionem probabilem putat Busenbaum *L. 3. Tr. 5. cap. 3. d.* 8. Tum quia Pergẽtinus nõ obligauit Laurentinũ vendere picturã pretio maiore, sed certũ determinauit. Tum quia Laurentinus potuisset dare alicui duos florenos offerenti, quod tamen non fecit, sed alium emptorem inquisiuit. Ergo repertum maius pretium est fructus industriæ.

Resp: Laurentinum illicitè fecisse, & teneri omne reliquum pretium vltra duos florenos restituere Pergentino. Ita Sylvest. Gabriel. Nauarr. Molin. *Tom. 3. D. 363.* Less. *de Iust. c. 21. n.* 108. Palao *de Iust. D. 5. pun. 16.* & alij. Ratio est, quia Laurentinus non habet vllum legitimum titulum, quo possit aliquid sibi ex pretio retinere; non ratione rei venditæ, cùm hæc non sit ipsius: nec ratione industriæ, cùm augmentum pretij non sit fructus illius qualiscunque diligentiæ, sed picturæ venditæ ad dominum huius spectans.

Ad *primum* in contrarium dicimus, determinationem eâ solùm mente (extra specialem pactionem, qualis hîc non interuenit) factam esse, ne venderetur infra, non autem, ne supra, si fortè dignitas rei postularet. Ad *se-*

cundum patet ex dictis, nec aliud per industriam quamcunque adhibitam euincitur, quàm actionem proxenetæ reseruari negotij gesti, vt bene Palao *loc. cit.* in fine.

LXX. *Placidus & Placidia coniuges tempore Bacchanalium larvis se induerunt, alijsque larvatis miscuerunt, ita tamen, vt neuter de altero quidquam sciret; interim post varias circumcursationes ita convenerunt, vt tandem rem simul haberent, rati ambo, alieno se coniugi copulari, donec altero die inspecta munera, quibus Placidus Placidiam ad facinus induxerat, errorem detegerent. Quæritur. Vtrum Placidus adulterium: vnum vel plura peccata commiserit?*

Videtur inprimis non commisisse adulterium, quia hoc definitur à S. Thoma 2. 2. *q.* 152. *art.* 8. *voluntarius ad torum alienum accessus, per quem frangitur fides coniugalis.* Sed Placidus non comisit talem accessum. Ergo &c. Alij communiter existimant tria hîc commissa esse peccata. Nimirum duplex adulterij, & scandali. Ratio prioris est, quia hoc adulterio duo læduntur iura, scilicet propria vxor, & maritus adulteræ. Ratio posterioris, quia datur occasio ad ruinam.

Resp. I. Commissum esse peccatum adulterij non quidem *realiter*, sed *obiectiuè*. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 9. Ratio est, quia obiectum tribuit formam actui, prout hîc & nunc ab intellectu proponitur. Atqui Placido obiecta

iecta fuit Placidia non tanquam vxor sua, sed tanquam aliena, & tamen ad eam accessit. Resp. II. Probabile esse, Placidum ex eo, quod putârit cum vxore alienâ rem se habere, non commisisse duo peccata, sed vnum tantùm. Ita nonnulli apud Lug. *de Pœnit. D. 16. n. 258.* & expressè P. Ferrantinus *D. 1. de scan. q. 66. n.* 119. vbi alios etiam AA. allegat. Ratio est, quia duplex coniugium probabiliter nec numerum, nec speciem auget; prius quidem, quia probabilis multorum est sententia, ex pluralitate obiectorum non inferri pluralitatem malitiarum: posterius verò quia vtrumque intra eandem adulterij speciem se continet. Pluribus instantijs confirmat hanc responsionem Ferrantinus loc. cit. Ratio in contrarium allata aliud non euincit, quàm oppositam opinionem esse valde probabilem, & fortè probabiliorem, quod vltro concedimus. Resp. III. Placidum non commisisse peccatum scandali inducendo Placidiam tanquam alienam vxorem muneribus datis ad flagitium. Ita Palao *Tr. 23. pun. 9. n.* 12. Vbi ex S. Thomâ, Vasq. & Suarez vniuersim docet, inductionem esse merã circumstantiam, quando fit ad actum inducenti & inducto communem, vt in proposito: Peccatum verò speciale tunc solùm, quando est ad actum inducto peculiarem. Placidus igitur vnũ duntaxat commisit peccatum adulterij, non qui-

dem realiter, sed obiectiuè. Atque ex his patet ad rationes in oppositum.

LXXI. *Primus mercator inter alia accusat se in confessione de rebus iniquè acquisitis. Primianus Confessarius hortatur ipsum ad vitæ emendationem, nullâque aliâ restitutione impositâ absoluit ipsum. Quæritur. Vtrum Primianus teneatur ad restitutionē ex eo, quod ad hanc faciendam non coegerit Primum pœnitentem?*

Videtur teneri. Ita Molin. P. Nauarr. *L. 3. cap. 4 n. 125.* & apud hunc alij. Ratio est, quia Confessario incumbit ex officio onus docendi necessaria pœnitentem. Ergo cùm non admonet pœnitentem, facit contra officium, & consequenter ipsi tanquā veræ causæ imputanda sunt damna.

Resp. Probabilius esse, Primianum, etiamsi eo officio confessionem excipiat, non esse obligatum ad restitutionem, dum non admonet, vel non cogit Primū pœnitentem ad eam faciendam. Ita Valent. Azor. Suar. Reginald. Sanch. *in sum. L. 1. c. 6. num. 5.* & *l. 2 cap. 12. num. 23.* Less *de Iust. cap. 13 num. 78.* Hurtadus *de Iust. & Iure D. 5. diff. 10.* Caspensis *Tom. 2. Tr 8. D. 1. sect. 9. §. per totum.* & alij. Ratio est. Tum quia Confessarius non tenetur ex officio & iustitiâ prospicere bonis temporalibus aliorum, sed bono Spirituali pœnitentis. Tum quia contraria sententia in praxi nimis difficilis foret.

Atque

Atque ex his patet, quale onus Confessario incumbat. Hoc dederimus cum Lugone *D. 19. de Iust. num. 35.* Confessarium teneri ad restitutionem, si omissio & negligentia eius habeat rationem *Consilij*, quia sic consulens est causa iniusta damni; vt tamen sit grauis obligatio restituendi, consilium etiam moraliter culpabile esse debet.

LXXII. *Probus ex insigni affectu erga animas in piacularibus flammis detentas, indulgentias, quas vivis concessas lucrari studet, perinde illis applicat, vti alia pietatis opera, ieiunia, disciplinas &c. Quæritur. Vtrum facere id vi indulgentiarum possit?*

Videtur id posse. Ita P. Georgius Gobat *in thesauro Indulg. L. 2. c. 21. q. 61. n. 466.* Tum quia nullum ius vel divinum, vel Ecclesiasticum id vetat. Tum quia vtiliter id practicatur. Tum quia possum applicare animabus alias meas satisfactiones. Ergo & indulgentias.

Resp. Probum facere illud non posse. Ita communissima DD. sententia apud Dicastillo. *Tom. de pœnit. Tr. 9. D. 2. n. 225.* Ratio est. Tum quia Indulgentia pendet non minùs à voluntate concedentis, quàm ab illius authoritate. Ergo alteri applicari nequit, præter eum, cui ipse concesserit. Tum quia forma concessionis pro vivis excludit defunctos, cùm fiat per modum *remissionis & absolutionis*,

quæ non habet locum quoad defunctos, cùm tantùm sint capaces indulgentiarum per modùm *suffragij*. Tum quia nullus homo habet potestatem dispensandi merita Christi & Sanctorum præter Summum Pontificem. Tum quia quando Pontifex concedit indulgentias pro omnibus fidelibus, non intelliguntur defuncti, vt ex communi docet *cit. Author. n. 235*. Tum quia praxis Ecclesiæ habet, vt semper fiat specialis mentio Indulgentiarum pro animabus, si istis Summus Pontifex applicari velit. Ergo contra ipsius mentem fit hæc applicatio, quando ipse nullam illarum facit mentionem.

Ad *primum* in contrarium dicimus, obstare ius diuinum soli Summo Pontifici concessum dispensandi merita Christi & Sanctorum. Ad *secundum* Non omnia vtiliter practicari à quolibet, sed tantùm ab habente potestatem; aliàs etiam involare auderem in alienas pecunias, vt ex ijs vtiliter eleemosynas facere possem. Ad *tertium* negamus consequentiam; nam applicare illas priùs non possum, quàm faciam meas, hocipso autem iam non sunt amplius applicabiles alteri, cùm consistant in remissione pœnæ per modum absolutionis, vt diximus.

LXXIII. *Protogenes Sacerdos in Missæ Sacrificio subinde de Sacrâ suâ hostiâ particulam sumit, eaque communicat personã Sacro ipsius præsentem. Quæritur. Rectè ne hoc faciat?*

Vide-

Videtur, quod non. Ita aliqui apud Dian. *P. 3. Tr. 4. Res. 34.* Cùm ipse Sacerdos sumere totam hostiam debeat.

Resp. Protogenem licitè facere, si aliquam rationabilem causam habeat v. g si persona illa non habeat aliam missam, nec expectare diutius possit &c. Ita Dicastillo *de Sacr. Tr 4. D. 11. dub. 6. num. 115.* Ratio sumitur ex eo, quod nec ex naturâ rei, institutionis scilicet Sacramenti, nec ex iure aliquo constet, id esse prohibitum, vt pluribus ostendit *cit. Author.* Quod si tamen absque vllâ necessitate id faceret, aut solo animo obsequendi deuotioni personæ ex eadem Sacrâ Hostiâ cum Sacerdote comunicare desiderantis, peccaret. Tũ quod ageret conta vniversalem Ecclesiæ morem. Tum quod irreuerentiã aliquam contra Sacrificium Missæ committeret; nondum tamen peccati mortalis arguerem, quia non videtur materia grauis irreuerentiæ, & singularitatis; etsi per accidens varia incommoda & mala immisceri, ac sequi inde possint, ideòq; non facilè permitti debeat. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

LXXIV. *Quadratus Juvenis 22. annorum nullâ ratione à lege jeiunij exceptus, ait in collatione vespertinâ diebus jeiunij sibi præter panem apponi offam, pisciculos, lacticinia, acetaria, olera, fructus, &c. Quæritur. Quomodo inter hæc, saluo jeiunio, gerere se debeat, hoc enim vehementer scire desiderat?*

Videtur ex offa, piſciculis, lacticinijs coctis, & ſimilibus nihil ſumere poſſe: nec ex alijs vltra 6. aut 8. vncias. Ita multi apud Dian *P. 5. Tr. 14. R. 14.* & diuerſis alijs locis. Ratio prioris eſt, quia cibi illi faciunt ad nutriendum: poſterioris, quia ex conſuetudine introductâ plus non licet.

Reſp. Quadratum comedere poſſe ex omnibus enumeratis, non tamen vltra quartam partem eorum, quæ quis in prandio ſumere conſueuit. Priorem partem tradunt Azor *Tom. 1. L. 7. c. 8. q. 7.* Bonac. *Tom. 1. D. 1. in 8. præcept. Decal. q. vlt. pun 3. num. 3.* & alij, quorum opinionem probabilem cenſet Laym. *L. 4. Tr. 8. cap. 1. n 9.* Ratio eſt, quia cibi hi non ſunt ſubſtantiales; imò Bonac. *loc. cit.* vult, non tam *qualitatem*, quàm *quantitatem* cibi in refectiunculâ veſpertinâ attendendam eſſe; vnde concedit, partem etiam piſcis maioris ſumi poſſe; quæ etiam mens videtur eſſe Caietani *V. ieiunium. in fine cap. 1.* vbi ait, *non referre, quod quis in ſerotino ientaculo ſumat, ſi modum non excedat.* Poſteriorem partem docent Reginald. Laym. Eſcobar. Buſenbaum, & alij, è quibus Filliuc. *Tom. 2. Tr. 27. part. 2. c. 3 q. 7. n. 33.* ait, ita deciſum eſſe in celebri Academia à Theologis. Ratio eſt, quia talis pars in reliquis præceptis modica cenſetur. Addit rectè Layman *loc. cit.* quibuſdam in locis ex conſuetudine plus permitti Sæcularibus,

bus, quàm Religiosis, Nobilibus, quàm plebeis, & in frigidis Regionibus, quàm in alijs. Atque ex his patet ad argumenta in contrarium, ex quibus tamen contrariam sententiam fatemur probabilem, & verò tenendam, vbi vsus alicuius ex prædictis non est permissus in ieiunio.

LXXV. *Reymundus artem novit curandi cancrum aliquot mulierum recuperatâ sanitate probatam, quam tamen communicare nulli vult, eo quod Magistro suo ad hoc se iuramento obstrinxerit. Quæritur. Vtrum iuramento hoc teneatur?*

Videtur teneri, quia ex communi Doctorum iuramentum obligat, quotiescunque materiam habet licitam, & licitè impleri potest. Atqui hoc fit in proposito. Ergo &c.

Resp. Reymundum non teneri iuramento, sed licitè artem suam communicare posse alijs. Ita Fagundez *L. 2. in Decalog. c. 14. in fine*, citans D. Thom. & Sylvest. Ratio est, quia contra charitatem est, necessitati atque vtilitati proximi non succurrere, cùm tam facilè possis, ad quod adstringere non potest iuramentum; cùm istud non sit vinculum cuiusvis iniquitatis. Vnde patet ad rationem in oppositum.

LXXVI. *Ruardus Parochus noctu domũ rediens insigniter verberibus excipitur, cuius facinoris accusatur Proclus illius nuper inimicus, atq; eiusdem facinoris propter allegata & probata condem-*

natus excommunicatur, cùm reverà sit innocens. Quæritur. Vtrũ Proclus sit reipsâ excommunicatus?

Videtur excomũnicatus. Ita Gloss. *in c. 1. de sent excom. in 6. V propter quam.* Durand. 4. D 18 *q.* 4. & plerique Iuristæ. Quia Iudex procedens secundùm allegata & probata, iustè procedit. Ergo eius sententia valet.

Resp. Proclum reipsâ non esse excommunicatũ. Ita Couarr *in c. Alma* 1. *p.* §. 7 *n.* 5. Caiet. Sotus, Tolet. Nauarr. Suar. Auila, Laym. alij. Tum quia nemo potest ligari, nisi propter peccatum à se verè comissum. Tum quia credibile non est, Christum Ecclesiæ suæ potestatẽ reliquisse, priuandi innocentem tantis bonis spiritualibus, cùm hæc priuatio nec publicæ disciplinæ, nec Iudicis authoritati tuendæ expediat, satis quippe his aliunde consulitur, vt statim patebit. Quare potest Proclus, secluso scandalo, conuersari cũ hominibũs, sacris interesse, communicare, &c. In foro tamen externo, vbi periculũ est scandali, vel præsumptionis, quasi censuram talem, & magistratum suum contemneret, gerere se debet instar verè excommunicati; non *vi censuræ*, vt vult Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *p. D.* 4. *s.* 7. *n.* 10. Sed *ex Iure naturali*, vt rectè Palao *P.* 6. *Tr.* 29. D. 1. *p.* 8. *n.* 16. Atque in hunc sensum intelligi potest Glossa *cit.*

Ad rationem in oppositum negatur consequentia, quia ad valorem sententiæ in hac re non

non sufficit, Iudicem iustè, seruato juris ordine, procedere, sed insuper necesse est, vt reipsâ iustum decernat & præcipiat Aliud infra dicemus in causis merè sæcularibus.

LXXVII. *Ruffina relicta opificis vidua cum filiâ & ancillâ suâ frequenter ac diu laborat diebus festis, præcisè vitandi otij causâ. Quæritur. An peccet mortaliter?*

Videtur sic peccare. Ita Suarez de religione. *Tom.* 1. *L.* 1. *cap.* 26. *n.* 1. Comitolus *in resp L.* 14. *q.* 37. & alij. Quia violatur præceptum Ecclesiæ in re graui.

Resp. Ruffinam non peccare mortaliter. Ita Sa, *V. Festum n.* 6. Sylvest. *V. Dominica q.* 5. *dicto* 3. Homobonus. *vol* 1. *p.* 2. *Resp.* 35. & alij. Ratio est, quia, vt evitetur damnum temporale, licitè diebus festis laborant opifices; Item vxores, filijfamilias, & famuli à marito, patre, & hero iussi, vt ex communi docet Bonac. *in* 3. *præcept. Decal. D.* 5 *q. vnic. p.* 3. *n* 15. & 16. cur ergò non multò magis licitè laborent Ruffina, & huius filia ac famula, vt evitent damnum spirituale, quod ab otio & curioso per fenestram prospectu meritò sibi timere possunt? Quod si per duas solùm tresue horas laborent, ex parvitate materiæ illas excusat Marchantius *Q. pastor. c.* 3. *q.* 2. modò scandalũ, omissionem Sacri, & similia caveant.

Ad rationem in oppositum negamus, violari

lari præceptum Ecclesiæ, cùm in periculo talis damni non obliget.

LXXVIII. *Rupertus Episcopus, vt frequenti superstitionum malo medeatur, sub excommunicatione eam prohibet. Melchior ex diœcesi Ruperti ignarus rei adhuc illam committit. Quæritur. Vtrum excommunicationem incurrerit?*

Videtur Melchior excommunicationem incurrisse, quia statutum promulgatione factum est publicum, quæ autem publica sunt, omnes scire censentur, & jure præsumuntur.

Resp. I. Si Melchior tam prohibitionem superstitionis, quàm ipsam pœnam latam inuincibiliter ignorauerit, ab vtrâque eum excusari, vt habet communis *ex c. vt animarum de constit. in 6.* Vbi Pontifex non vult *vllis statutis ligari ignorantes*, & meritò, quia is, qui ignorat legem, non delinquit contra legem, ergo non est transgressor legis.

Resp. II. Si Melchior solam pœnam inuincibiliter ignorauerit, sciens aliàs superstitionem esse prohibitam ab Episcopo, excusari eum quoque à pœnâ, vt ex communi ferè tradit Dian. *P.* 4. *Tr.* 4. *Resol.* 187. Nam censura est in contumaces: eadem est medicinalis, quæ requirunt cognitionem. Resp. III. Si Melchior eandem pœnam ignorauerit ignorantiâ mortaliter culpabili, non tamen crassâ, eum itidem excusari à pœnâ. Dari talem ignorantiam docent Baldell, *L.* 1. *de act.*

hum.

hum. D. 25. n. 11. Sanch. *L. 1. in Decal. c. 16. n. 7.* Bonac. *D. 1. de Cens. q. 2. pu. 1. n. 4.* & nonnulli alij contra Suarez, Coninck, & plures alios. Eandem verò excusare à pœnâ tradunt Nauarr. *in sum cap. 23. n. 59.* Sanch. *L. 1. cit. c. 17. n. 19.* Bonac. *loc. cit. n. 10.* Bresserus *L. 5. c. 1. n. 1.* & nonnulli apud hos contra plerosque alios. Probatur, Tum quia in *cit. c. 2. vt animarum.* generaliter dicitur, *ignorantiam, quæ non est crassa, excusare, &c.* Tum quia hîc abest omnis contemptus, qualis requiri videtur ad incurrendam censuram; cùm hæc, inquit Bonac. dicatur *pœna contemptûs.* Atque hoc tenendum, si lex Episcopalis *absolutè* pœnam statuerit; quod si terminis similibus vsa fuerit: *qui scienter, qui consultò* &c. hoc fecerit, tunc Resp. IV. Melchiorē tum quoq; excusari à pœnâ, etiamsi ignorantiam affectatam habuerit, vt rectè Dian. *P. 3. Tr. 6. Resol. 7.* cùm sic non prorsus operatus fuerit scienter.

Ad rationem in oppositum dicimus, eam procedere solùm de foro externo, ubi etiam præsumptionem scientiæ elidere potest Melchior, iuramento ignorantiam suam attestando, vt docent Nauarr. Portel. Afflictus, & alij apud Dian. *P. 5. Tr. 14. Resol. 24.* contra Bartol. & alios I. P.

LXXIX. *Sabinus Iudex inter partes litigantes reperit æqualis omnino iuris æqualitatem,*

quare

quare rem pro libitu, cui placuit, adiudicauit. Quæritur. An licitè id fecerit?

Affirmat Valent. Thom & Ioã. Sanch. Salas, Palao *Tr* 1. *D.* 2. *pun.* 10. *n.* 5. & apud hunc plures. Negant apud eundem Bannez 2. 2. *quæst.* 63 *art.* 4. *dub.* 1. Suar. Coninc. & alij.

Resp. Cum Arriag. *To.* 1. *in* 1. 2. *D.* 34. *n.* 29 si vnus ex illis litigantibus iam habuerit possessionem rei, potuisse Sabinum Iudicem omnino illi relinquere; cùm ex communi omnium *melior sit conditio possidentis*; quæ ratio eodẽ modo procedit, quando de vtriusq; partis iure est æqualis probabilitas, & aliunde vni favet possessio. Ergo tunc non poterit ex ea deturbari. Quod si verò neuter habuerit possessionem, probabilius videri, non potuisse tunc Sabinum adiudicare rem, cui placuerit, sed debuisse eam dividere; cur enim, vbi est æquale ius, æqualis non sit distributio? Atqui eo ipso, quod rationes probantes ius in hoc & illo sint æquales, ius quoad homines, qui rationibus solùm dirigunturur, æquale etiam est in vtroque. Ergo non est licitum tunc vnum alteri præferre. Atque sic satisfit oppositis sententijs, & earum rationibus.

LXXX. *Sabinianus Episcopus in statu peccati mortalis subinde consecravit Ecclesias & Calices. Idem adhuc Sacerdos interdum solenniter fuit cõcionatus: & Diaconus ac Subdiaconus in eodem statu ministrauit, Evangelium & Epistolam cantauit &c.*

cantauit &c. de quo nunc angitur, & accusat se. Quæritur. Vtrum in his peccaverit mortaliter?

Videtur grauiter peccâsse. Ita Siluius *3. p. q. 64. art. 6.* citans S. Thom. Caiet. Navarr. & alios. Ratio est. Tum quia actiones illæ sunt Sacræ, & Sacramento peculiares. Tum quia tempore Caroli Magni, vti habetur in speculo Exemp. *distin. 9. Exem.* 110. Diaconus in mortali ministrans solenni Sacro punitus fuit à Deo repentinâ morte. Tum quia frequentia actuum in tali statu continet insuper contemptum, vt docet Filliuc. *Tr 1. n. 78.*

Resp. Sabinianum non peccâsse in his grauiter. Ita Vasq. *Tom 3. in 3. part. D. 136. c. 4.* Coninck. *de Sacr. q. 64 art. 6. d. 1. n. 38.* Lugo *de Sacram. D. 8 n. 153.* Dicastillo *Tr. 1. de Sacr. in Gen. D. 3. n. 217.* & alij. Ratio est, quia licet actiones hæ Sacræ sint, atque ideò aliqua sit irreuerentia illas exercere in statu peccati, non tamen tam grauis est, vt ad culpam lethalem perueniat; imò nec si Sacram Eucharistiam sic alijs porrexisset, vt plures sentiunt apud Dicastillo. *n. 229.* quidquid cõtra sentiant Laym. *L. 5. Tr. 1. c. 5. n. 8.* & alij quia tunc non confecisset Sacramentum, nec sanctificâsset, sed localiter tantùm applicâsset; secus si etiam Crisma in statu peccati consecrâsset, & oleum benedixisset, tunc enim probabiliter peccâsset mortaliter vt contra Vasq. *num.* 48. Dicastillo. *loc. cit.* & alios do-

cet Lugo *num.* 136. quia hæ consecrationes sunt actiones verè Sacramentales, non autem consecratio Ecclesiæ, aræ, aut calicis, &c.

Ad *primum* in contrarium patet ex dictis. Ad *secundum* dicimus, Deum nonnunquam etiam culpam venialem punire pœnâ graui. Ad *tertium* negamus, hîc vllum contemptum inueniri, aliàs etiam in frequenti mendacio reperiretur.

LXXXI. *Sebaldus vir Catholicus, & nullo scelere infamis ex pago suo Monachium negotiorum causa veniens ad Hospitium quoddam diuertit, in quo viarum domûs ignarus, dum noctu ex hypocausto exit, fallente pedum vestigio per scalas decidit, casu adeò graui, vt subitò viribus destitutus nullum amplius confessionis faciendæ signum dare possit. Interim excitati strepitu domestici accurrunt, simulque patrem aliquem è Collegio Societatis IESV vocant, qui & repentè adest, sed nec ipse aliquod confessionis signum dari iam aduertit, nec prius datum esse, ex alijs intelligit. Quæritur. Vtrum Pater nihilominus Sebaldum saltem sub conditione absoluat?*

Videtur, quod possit. Ita multi ac graues AA. tum alij, tum ex Societate nostrâ, quos citat Diana 3. *part. Tr.* 3. *Resol.* 8. *Et* 4. *part. Tr.* 4 *Resol* 92. *Et* 9. *part Tr* 6. *Resol.* 20. Imò Ioannes Caramuel *in Theol. Mor. L.* 3. *D.* 4. *num.* 154. putat, illum non tantùm posse, sed etiam teneri absoluere. Probatur *primò* ex auhoritate

tate Clementis VIII. qui decidentem ex alto templi inter ipsum lapsum absoluit, vt sic certam mortem præueniret. *Secundò* ex praxi valde communi in diuersis prouincijs. Tertiò ex probabili fundamento præsentis debitæ dispositionis in moribundo. Tum quod in nostro casu Sebaldus passim probus vir fuerit habitus. Tum quod nemo præsumatur salutis suæ negligens. Tum quod diuinum auxilium tempore mortis specialiter adesse soleat. *Confirmatur* à pueris, qui sub conditione absolui solent ex communi Theolog. etiamsi dubium sit de dispositione ipsorum debitâ.

Resp. Sebaldum absolui à Patre non posse. Ita planè communis DD. vt testantur, & sequuntur Diana *loc. cit.* Card. de Lugo *de pœnit. D.* 17. *num.* 39 & Vasq. *Q.* 91. *art.* 1. *d.* 1. *n.* 1. aiens: nullum esse, qui contrarium dicat. Probatur primò ex authoritate Conciliorum. Arausicanum 1. *c.* 2. Et Carthaginense. 4. *c.* 63. Item Leo M. Papa *epist.* 41. *ad Theodorum* dicunt: *Si moribundus subitò obmutescat, potest pœnitentiam accipere & consequi, si volũtatis præuiæ testimonium aliorum verbis habeat*; vbi conditio hæc: *si voluntatis præuiæ* &c. sicut in ommbus omnino huiusmodi materijs, ponitur vt necessaria, non vt otiosa. Probatur *secundò* ex statuto Societatis IESV, quæ in ordinatione pro studijs superioribus Anno 1651. ad Prouincias missâ, prohibet *n.* 14. ne doceatur

hæc ſententia: *Moribundus, etſi nullum ſignum det, aut dederit contritionis, adeò vt Sacerdos nec ſciat, nec prudenter putare poſſit, præceſſiſſe ſenſibilem aliquam confeſſionem, abſolui poteſt.*

Ex quo ego tria infero Societatem noſtram concernentia. I. Hanc ſententiam non poſſe ab vllo ex PP. Societatis practicari, quia hîc non valet regula illa juris: *Odia ſunt reſtringenda*, tum quod prohibitio iſta maximè poſita ſit ad tollendam praxin, cùm vix vlli adhuc in Societate docuerint, multi autem practicârint; tum quod doctrina moralis in Societate ſit quaſi forma, & regula praxis inſtituendæ, vt proinde hæc ſine illâ ſubſiſtere nequeat. II. Nec ſub conditione poſſe moribundum talem Sacramentaliter abſolui; etiamſi, inquit Arriaga *de Pœn. D. 36. n.* 28. Sacerdoti diuinitus conſtaret, illum eſſe contritum, & optare confeſſionem; quippe dolor internus nullo ſigno externo manifeſtatus non facit accuſationem ſui ſenſibilem, qualé tamé ſenſibilem confeſſionem tanquam partem eſſentialem expreſsè requirit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 9. III. In nullo caſu contrarium licere, nec ob vitam optimam, & ſanctam, atque vbique notam Ratio triplicis huius Corollarij eſt, tum quod hæc ſententia abſolutè, & abſque limitatione prohibeatur. Tum quod aliter hactenus abſolutio non ſit data, niſi ſub conditione, & ex præſumptione bonæ

diſpo-

dispositionis ex bonâ famâ. Ergo cum nihilominus prohibitio posita fuerit, omnem hæc limitem & præsumptionem sustulerit, necesse est, adeò vt putem, nec Sacerdotem absolui posse, si in introitu Missæ post confessionem factam subitò sensibus destitutus corruat, quia illa oratio non est prolata ad accusationem & absolutionem Sacramentalem, vt bene docent Layman *L. 5. Tr. 6. cap. 8. num.* 4. & alij. Quia tamen in prædicta ordinatione nihil de vsu ac praxi opinionis est expressè definitum, idcirco contrarium his tribus corollarijs aliorum sensum & vsum suis Authoribus relinquo.

Probatur iam *tertiò* responsio ratione. Tum quia vbi nulla est sensibilis accusatio, ibi nulla esse potest absolutio. Atqui in casu nostro nulla est sensibilis accusatio Ergo, &c. nititur hæc ratio Tridentino recèns citato Tum quia tunc absoluere pœnitentē nullo modo possum, quando nec scio, nec prudēter putare possum, præcessisse sensibilem aliquam confessionem. Atqui in proposito nec scio, nec prudenter putare possum, præcessisse sensibilem confessionem, hoc ipso quod nullum huius habeam indicium. Ergo &c. Hoc argumentum supponit prohibitio Societatis nostræ, ex cuius verbis desumpta est, cuius maior est certa. Min. patebit ex solutione argumentorum.

Itaque ad *primum* in contrarium dicimus, fabulosum id esse, vt testatur Lugo *loc. cit. n. 34.* Ad *secundum* praxin hanc apud nostros Patres vi allatæ prohibitionis meo iudicio sublatam esse, si qui tamen eam adhuc retinent, illi aliorum sensum sequuntur. Ad *tertium.* Non adesse probabile fundamentum, sed meram piam præsumptionem, quæ minimè sufficiat, cùm nec omnes in agone saluti suæ consulant, nec Deus efficaci semper auxilio opituletur. Ad *Confirmationem* negamus paritatem, cùm in pueris sensibilis confessio adsit, & Sacramentum fuerit inchoatum, quod proinde petit, vt quo potest modo perficiatur saltem sub conditione, si rationabile dubium sit de sufficiente dispositione, vt reuera est in pueris, minimè verò in casu nostro, vt ex dictis satis liquet.

LXXXII. *Senatus Curenlensis jus habens præsentandi ad beneficia curata statuit, vt quicunque ex petentibus ad præsentationem designaretur, aliquid pecuniæ singulis Senatoribus numeraret. Quæritur. Vtrùm absque Simonia fieri hoc possit?*

Videtur non posse. Nam quandocunque in beneficijs interuenit *pactio* etiam absque pretio, committitur Simonia, vt ex communi docet Thom. Sanchez *L. 2. Consil. Moral. c. 3. dub. 25.* vbi etiam plura jura adducit. Sed hîc interuenit pactio Senatûs cum præsentandis. Ergo committitur Simonia. Resp.

Resp. Probabiliter posse fieri absque Simonia. Ratio fundamentalis sumitur à contrario, quod nulla vera pactio in proposito interueniat, sed liciti duo alij tituli vsurpentur; Nimirum *primò* titulus donationis remuneratoriæ, in qua nec pactio, nec pretium reperitur, cum nulli alteri jus inde tribuatur, aut æqualitas constituatur. *Secundò* titulus donationis modalis, in qua iterum non latere pactionem aut pretium, vel ex eo patet, quod donum nec pretium, nec pactionem inuoluat; sed quod modaliter datur, est donum, & sic vocatur ab vtroque jure; Canonico quidem *tit de Conditionibus appositis:* Ciuili verò *C. de donationibus sub modo.* Ergo &c. Vnde rectè donationem modalem à labe Simoniæ immunem defendunt Suarez *de Sim. c. 39. n. 20.* Tanner *Tom. 3. D. 5 Q. 8. n. 70.* Filliuc. *Tr. 25. c. 9. n. 30.* & alij. Addi *tertiò* potest titulus laboris & sustentationis, quē omnes DD. admittunt, estque fundamentum omnium beneficiorum Ecclesiasticorum; debent autem Senatores illo die conuenire, agere, ac iudicare de præsentando, aliàs vel non conuenturi, vel non tam diu simul mansuri. Cum ergo præsentandorum gratiâ distenti sint, suaque interea domi relinquere debeant, cur non aliquid pecuniæ pro labore hoc & alimentis requirere possint? vt rectè Bonac. *Tom. 1. de Sim. D. 1. Q. 6. pu. 4.*

Atque ex his patet ad rationem in contrarium; negamus quippe, veram hîc pactionem, de qua jura loquuntur, interuenire, hoc ipso quod nulla vera obligatio, ac præsertim noua inducatur, quæ puritati præsentationis obstet; interim vltrò fatemur, oppositâ sententiam multò probabiliorem & securiorem esse, nec nisi sub aliqua probabilitate responsionem hanc afferre intendimus ad facti excusationem, non commendationem.

LXXXIII. *Severa Virgo cuidam Hero viduo ancillans multa ab hoc accipit munera, eo, vt facilè conijcit, animo data, vt ad turpe facinus alliciatur quod tamen nunquam patrare statuit, idque Hero manifestat; interim autem dubitat, num accepta munera retinere possit. Quæritur. Quid faciat?*

Videtur non posse retinere. Tum quia dona hæc non dantur absolutè, sed hâc conditione, si vsum corporis concedere velit. Tum quia aliàs cooperabitur peccato Heri non nisi turpi animo donantis.

Resp. Severâ posse retinere. Ita Molin. Rebell. *de Iust. p. 1. L. 3. q. 7. n. 6.* & alij. Ratio est, quia munera hæc nõ sunt data tanquam pretium turpis lucri, id est, cum pacto explicito vel implicito patrandi operis, sed tanquã liberale donum, licet cum spe alliciendi donatariam ad turpe opus, quale munus liberale per se restituendum non est, vt etiam contra Lopez tuetur Dian. *P. 2. Tr. 16. Resol. 40. §. not.*

vbi

vbi addit, nullum esse amatorem, qui non verecundaretur, & erubesceret, si talia munera sibi remitterentur; verè enim ea donant, licet ob deflexum finem.

Ad *primum* in contrarium negamus, munera illa dari tanquam pretium sub conditione exhibendi vsûs corporis, cum absolutè donentur, esto cum spe aliqua prædictum vsum corporis impetrandi; vnde etiam Diana *loc. cit.* ait, fœminas non recipere similia munera sub pacto, sive tanquam pretium impudicitiæ, sed tanquam incitamentum. Ad *secundum* itidem negamus, Severam cooperari peccato Heri, qui donationem suam non amplius continuat, sed ex illâ iam præteritâ, & muneribus à se abalienatis solam turpē spem retinet, ad quam donataria non concurrit, neque illam fovet, sed potius irritam facit, & destruit, negando liberè & apertè rem speratam.

LXXXIV. *Severianus Parochus citò vocatus ad moribundum in vicinia confiteri volentem, angitur quidem conscius peccati mortalis, nec tam repente conteri se posse ratus, nihilominus adit ægrum, eúmq; auditâ confessione absolvit, alijsque Sacramentis munit. Quæritur. An peccaverit mortaliter, quod ob angustias temporis non præmissâ contritione absolverit ægrum, aliáque Sacramenta administrârit?*

Videtur sic peccâsse. Ita Iacobus Marchan-

tius *de Sacram. Tr. 1. quæst. Past. c. 4. q. 2.* & nonnulli existimantes, nullam breuitatem temporis excusare posse.

Resp. Severianum non peccâsse mortaliter. Ita Card. de Lugo *de Sacram. D. 8. s. 9. n.* 151. & Dicastillo *D. 3. de Sacram. in Gen. n.* 214. vbi hanc responsionem vocat communem & receptam sententiam. Probatur. Quia in tam inexspectato casu angustiæ temporis aliæque circumstantiæ ita occupare Sacerdotem possunt, vt reflectere se & conteri de peccato non possit, etsi huius recordetur. Tum quia necessitas proximi, in cuius subsidium Sacramenta sunt instituta, præponderat præcepto de ministrandis illis in gratiâ, hâc enim ratione, cum vrget necessitas, multa fiunt circa personam Principis, quæ extra necessitatem continent gravissimam irreverentiam. Atque ex his patet ad rationem in cõtrarium.

LXXXV. *Sybillina marito suo fidem frangit, & ex adulterio Luxurium concipit, quem tamen viro suo supponit, interque alios proprios liberos educari illum sinit; post multos autem annos, Confessario iubente, adulterium suum aperit Luxurio, vetatque, ne tanquam spurius in hæreditatem paternam cum alijs legitimis filijs veniat. Quæritur I. An rectè Confessarius Sibyllinæ præceperit vt flagitium suum filio detegeret? II. Vtrum Luxurius matri credere, & ab hæreditate abstinere se teneatur?*

Videtur

Videtur Confessarius rectè fecisse, quia Sibyllina ex Communi Theolog. tenetur damnum alijs liberis tam futurum, quàm illatum resarcire: Luxurius quoque videtur teneri matri ætate iam graui, suìque semper amanti, adeóq; minimè suspectæ credere, & ab hæreditate se abstinere. Ita Vasq. *Tr. de Testam. c. 5. n.* 2. & alij.

Resp. Si Confessarius advertit, Sibyllinam aliunde iam compensâsse, vel absque periculo odij, discordiarum, infamiæ, &c. aperire suum facinus non posse, si, inquam, hæc advertit, tunc malè eam vlteriùs compensationis faciendæ admonuit, vt habet communis Theol. qui etiam cum Canonistis *in c. per tuas. de probationibus* & Legistis *in L. si posthumis. ff. de liberis & posthumis* docent, Luxurium non teneri matri credere, nisi convincentibus rationibus ostendat, ipsum esse spurium, adeóque etiam non arceri ab hæreditate adeundâ, cùm sit in possessione filiationis. Quod si tamen Sibyllina nihil penitus incommodi timeret, atque insuper demonstrare posset, se extra legitimum torum concepisse, tunc omnino & Confessarius bene præcepisset manifestationem, & Luxurius matri credere, & hæreditatem relinquere teneretur. Verùm istud humanitus vix ac ne vix quidem contingere potest, vt vniversim & ordinariè loquendo nec confessarij adulteram

monere,

monere, nec filij credere vnquam teneantur.

Ad *primum* in oppositum dicimus, Sibyllinam omnibus, quibus potest, modis teneri quidem damnum legitimis filijs cavere, & resarcire, non tamen cum iacturâ maioris proprij boni, v. g. honoris, famæ &c. qualis iactura in manifestatione fieret iuxta communem Theologorum: Luxurium quoque affirmamus non obligari, matri soli, vt vt fide digna appareat, credere, & consequenter hæreditate se abdicare, cùm iure gentium boni communis causâ introductum videatur ad multas hominum astutorum fraudes vitandas, vt memo vnius, quamvis minimè suspecti hominis testimonio credere teneatur in suum præiudicium. C. *cum à nobis de testib.* quod præiudicium apertè hîc intervenit, vt rectè Layman. *L. 3. Tr. 3. p. 3. cap. 14. n. 1.*

LXXXVI. *Sosthenes Sacerdos plura accipit stipendia pro certis missis de B. Virgine, & pro Defunctis &c. dicendis, quas tamen tales postea non legit, sed eas, quæ pro tempore iuxta Ecclesiæ ordinem occurrunt. Quæritur. An rectè hoc faciat?*

Videtur, quod non. Ita Laym. *L. 5. Tr. 5. c. 1. n. 15.* Tum quia exequi debet rationabilem voluntatem concedentis stipendium. Tum quia ex specialibus Missæ orationibus maior impetrationis fructus prouenire solet.

Resp. Sosthenem plenè satisfacere, si Missam iuxta ordinem Ecclesiæ celebret, & intentionem

tentionem ad voluntatem concedentis stipendium applicet. Ita Azor, Sa, Suarez *D. 83. s. 3.* Barbos. *2. p. de potest. Episc. alleg. 24. n. 32.* Lugo *Tom. 1. de Sacr. D. 21. n. 35.* & alij. Ratio est, quia decentius est, Sosthenem in celebratione conformare se vniuersalis Ecclesiæ præcepto, quàm ob voluntatem petentis vti priuilegio & permissione.

Ad primum in contrarium dicimus, tam voluntatem rationabilem petentis, quàm speciales Missarum orationes sufficienter compensari executione voluntatis Ecclesiæ, quæ Missam talé eo die præscribit celebrandam, vt rectè Palao *Tr. 22. D. vnic. p. 14. num. 10.* atque sic etiam patet ad *secundum.*

LXXVII. *Soter nuper bonâ fide emit equum Augustæ 50. florenis, quem eâdem bonâ fide statim transuexit Ratisbonam, ibique in Comitijs Imperialibus 70 flor. vendidit alicui extero, qui statim eum secum abduxit, simulque innotuit, illum esse âlienum. Quæritur. Vtrum Soter teneatur ad aliquam restitutionem domino comparenti faciendam?*

Videtur teneri. Ita Bannez & Arragon. *22. q. 67. art 6. dub. 1.* Ledesma, Sayr. & alij. Quia pretium, inquiunt, succedit loco rei. Subscribit aliquousque Bonac. *D. 1. de Restit. in genere. q 2. p. 1. n. 9.* ratus, Soterum saltem lucrum, quod in venditione fecit, restituere teneri, quia in illo factus est ditior.

Resp.

Resp. Soterũ ad nullam obligari restitutionem. Ita Molin D. 721. Less. Rebell. Lugo. D. 17. *de Iust. n. 19.* & alij. Ratio est, quia Soter non tenetur ratione iniustæ acceptionis, propter bonam fidem, quam semper habuit: nec ratione rei acceptæ, ex quâ non est factus ditior: nec denique ratione lucri in venditione acquisiti, quia illud non à re alienâ, sed à propriâ industriâ obuenit, vt rectè aduertit Molin. *loc. cit. n. 6.* qualem fructum industrialẽ Laym. *Tr. 4. de Iust. cap. 13. §. 3. n. 25.* futurum fuisse censet, etiamsi Soter absque transportatione equum statim Augustæ prædicto pretio & lucro vendidisset, quidquid secus sentiant plerique alij. Nam si esset fructus naturalis, vel ciuilis, sequeretur, etiamsi dominus recuperâsset rem suam ab vltimo emptore, adhuc istum emptorem medium teneri illi restituere illud lucrum, tanquam fructum rei suæ, quod nemo dixerit.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium; nam quando dicitur, *pretium succedere loco rei*, intelligendum id de pretio debito pro re, quale in præsenti non est penes Soterum, cum nec res amplius in ipsius sit dominio. Constat quoque eundem non debere lucrum restituere, cum illud non res ipsa, sed propria industria fecerit.

LXXXVIII. *Sulpitius mercator dolet apud se paucos emere, multos autem apud Seruilianum vicinum.*

vicinum. Quæritur. Vtrum committat peccatum mortale in vidiæ?

Videtur sic peccare, quia grauiter Charitati proximi repugnat, dolere bonum alterius existere. Ita Coninck *de actib. supernat. D. 30. n. 25.* post Valent. Suar. & alios.

Resp. Si Sulpitius tristetur, quod nõ potiùs apud se emant, non esse inuidiam, sed æmulationem bonam de carentia boni, vt fatetur Coninck *loc cit. num. 23.* quia hoc licitè possum procurare (sed sine fraude & detractione) ergo etiam licitè optare, & si non fiat, dolere: Si verò Sulpitius tristetur, quia hoc est commodum alteri, & ipse inde obscuratur & negligitur, tum esse inuidiam, sed probabiliter solùm venialem, vt docet Lorca *in 22. D. Thom: q. 36. in addit ad art. 3.* quia dolere me de bono tuo, quatenus meum bonum diminuit, non est absolutè dolere de bono tuo, sed dolere de isto, quatenus hunc molestum mihi effectum causat. Ergo talis tristitia & dolor non videtur ex genere suo constituere peccatum mortale.

Vnde ad rationem in contrarium dicimus, inuidiam tunc solùm esse peccatum mortale, grauiterque repugnare Charitati, cùm quis ita vehementer bono proximi inuidet, deque eo tristatur, vt ex illo affectu moueatur ad iniustè remouendum proximi bonum: Secus si absque hoc periculo inuideat, & doleat, vt contingit in casu nostro.

LXXXIX.

LXXXIX. *Tobias Gabelo in extremâ necessitate constituto decem aureos dat mutuos ad paupertatem subleuandam, quos postea ab eodem ad meliorem fortunam evecto repetit. Quæritur. Vtrum Gabelus hos Tobiæ restituere teneatur?*

Affirmant Navarr. *cap. 17. num. 61.* Covarr. Toletus, alij. Negant Valent. 2. 2. *Disp. Quæst. 9. pun.* 4. Suar. Bonac. alij. Priores putant potuisse mero mutuo succurrere: Secus sentiunt posteriores.

Resp. Vel Gabelus omnino pauper fuit, vt nõ solùm hîc& nũc nihil haberet, sed nec paulò post habiturus videretur: Vel nihil quidé habuit, probabiliter tamen paulò post aliquid se habiturum sperauit? *Si prius*, Tobias gratuitâ donatione succurrere debuit, nec iure repetere amplius quidquam potest, quia aliàs non sustulisset necessitatem Gabeli, sed tantùm in aliam mutâsset; & certè si in hoc casu non obligat præceptum eleemosynæ, quando obligabit? *Si posterius*, Tobias mutuò succurrere potuit, idq; repetere iam valet, quia tunc Gabelus non absolutè fuit pauper hoc ipso, quod hæreditate, industriâ, vel aliâ ratione probabiliter polliceri sibi aliqua potuerit. Ita Coninc. *de act. supernat. D.* 27. *n.* 149. & 153. pulchrè oppositas sententias concilians.

Vnde etiam patet ad ipsorum fundamentum. Sed quid si Tobias Gabelo in extremâ necess-

necessitate posito dedisset decem aureos cum obligatione conditionatâ refundendi, si fortè ad pinguiorem fortunam veniret, teneretúrne Gabelus tunc refundere? Respondent probabiliter *affirmatiuè* Vasq. *in opusc. de eleemos. cap.* 1. *d.* 6. *n.* 54. & Less *L.* 2. *de Iust. c.* 16. *dubit.* 1. *n.* 11. rati, absolutam solùm obligationem præcepto eleemosynæ obstare. Verùm etsi hoc minùs durũ sit, nec possit ita improbari in eo, qui cũ aliquâ notabili difficultate donet eleemosynam ex rebus, quibus ipse etiam indigeret; in alijs tamen videtur non satis humanum, & signum nimij affectûs erga pecuniam, atque etiam repugnare sententijs Patrum, qui volunt, eleemosynam dari absolutè & gratis, vt videre est *apud AA. passim.* Quare talis conditionata eleemosyna culpam venialem non facilè euitabit, nisi fiat in bonum aliorum pauperum, vt in Alumnatibus, &c.

XC. *Torpes frequenter non orat ad pulsum Angelicæ salutationis, Agoniæ, & mortis Christi. Quæritur. Vtrum peccet?*

Videtur peccare. Ita aliqui apud Dianam P. 6. *Tr.* 6. *Tr.* 5. *Resol.* 11. quia consuetudo orationis ad pulsum illum faciendæ comũni Christiani populi consensu fuit introducta, & longissimo tempore præscripta. Vnde transgressores puniri à Magistratu solent.

Resp. Torpetem, per se loquendo non

peccare. Quia vniuersim loquendo (quidquid sit in particulari de nonnullis grauibus) consuetudo non obligat in conscientiâ, cuius aliqua lex scripta non extet, quippe hâc deficiente probari illa nequit, quod animo se obligandi, & liberè fuerit à communitate introducta & continuata per quoduis longissimum tempus, vt præclarè docet P. Arriag. *Tom. 4 D.25. num. 6.* Atqui de Oratione ad pulsum Angelicæ Salutationis, Agoniæ, & mortis Christi facienda (par est ratio de multis alijs) non extat lex, nec probari potest, eam animo obligandi fuisse introductã. Ergo, &c.

Vnde patet ad rationem in oppositum. Ex punitione transgressorum non probatur intentum, sed potius contrarium, populum scilicet non liberè, sed metu pœnarum obseruare consuetudinem, iuxta illud: *Oderunt peccari mali formidine pœnæ.*

XCI. *Trophimus filiolum suum recèns natum portat ad Parochiam, vt ibi à Parocho baptizetur; sed in via iuxta flumen aduertit tum ipse, tum alij eius comites, infantem incipere mori, iamque animam agere. Cùm ergo actum de illo apertè videat, nec aqua tam citò ad manum sit, vt anima saltem saluetur, proijcit puerulũ in flumen, simulque pronunciat legitima verba: Ego te baptizo, &c. Quæritur. Vtrum Trophimus rectè fecerit?*

Vide-

Videtur malè fecisse, quia nec validè infans fuit baptizatus defectu eductionis ex aqua, vt docent Scotus, Sylvest, Armilla, Tolet, & alij apud Palao *Tr. 19. D. vnic. pun. 4. n. 9*: nec licitè ratione mortis directè intentæ, vt tenent Palao *loc. cit. n. 12.* Hurtadus *de Baptis. D. 1. diffic. 5.* Dicastillo *de Baptis d. 1. n. 66.* & plerique alij, quos citat & sequitur Diana *P. 10. Tr. 16. Resol. 20.*

Resp. Baptismum pueruli huius & validum, & probabiliter licitum fuisse, vt proinde Trophimus non malè fecerit. I. Pars responsi est planè communis DD. & ratio est, quia ablutio, quæ est proxima Baptismi materia, non requirit intentionem educendi ex aquâ, vel ipsam eductionem, sed solam mersionem seu contactum aquæ. II. Pars est Panormitani, Gabrielis, Rosellæ, quos citat & sequitur Less. *in 3. part. D. Thom. q. 66. art. 7. dub. 3. n. 33. & 34.* Ratio est, quia proiectio pueri iam iam morientis in flumen non est homicidium, cùm moraliter parùm pro nihilo reputetur. Tum quia perditâ iam vitâ corporali recta ratio & charitas suadet, vt omni modo servetur vita animæ.

Ad rationem *primæ* partis constat ex dictis; non enim requiritur intentio elevandi ex aquâ, sed in solâ mersione seu contactu aquæ perficitur ablutio ad essentiam baptismi necessaria. Ad rationem *secundæ* partis itid. constat ex dictis; esto enim mala facienda non

ſint, vt eveniat bonum, quod vnicè vrgent Adverſarij, hîc tamen nullum fit malum, cùm moraliter vita ſit iam perdita; perinde vt in muliere gravidâ ad mortem damnata, quã ſervato iuris ordine ſecari poſſe, ſi Spes ſit, vt fœtus ſic baptizari valeat: periculum verò aliàs, ne ex aliquo morbo ante partum vnâ cum prole moriatur, ex Suarez, & Coninck docet Eſcobar. *Tr. 7. Exam. 2. c. 4.*

XCII. *Tuſcana diuitis viri vxor de bonis communibus liberales facit eleemoſynas, tum in filios ex priori matrimonio, & fratres pauperes, tum in alios, nec reprehenſa idcirco à marito eas omittit. Quæritur. Vtrum peccet elargiendo?*

Videtur peccare. Ita Turrian. *in 2. 2. Tom. 2. D. 23. dub. 5. n. 6.* quia eleemoſynas has non facit ex paraphernis alijsque proprijs, ſed ex communibus bonis, quorum adminiſtratio eſt penes maritum, vt proinde, hoc inuito, nihil ex illis vxor elargiri poſſit.

Reſp. Tuſcanam non peccare, ſi faciat moderatas eleemoſynas pro more aliarum fœminarum ſuæ conditionis, nec vigeſimam partem annuorum prouentuum excedentes. Ita Bannez *in 2. 2. Q. 32. art. 8.* Malderus, & plures, quos citat, & ſequitur Diana *P. 2. Tr. 5. Reſol. 34.* Nam in hoc maritus non poteſt eſſe rationabiliter inuitus; ipſa enim non eſt ſerua, ſed ſocia bonorum; vnde ſpectat ad eius decentiam aliquas eleemoſynas elargiri.

Quin-

Quinimò si assignata quantitas eleemosynæ in filios ac fratres pauperes non sufficiat, ipsa autem Tuscana aliunde iuuare eos nequeat, poterit inuito etiam marito clam plus surripere, & egentibus illis succurrere, vt docent Less. *L. 2. c. 12. n. 88.* Bonac *D. 2. de Restit. Q. 10 pun 2. n. 9.* & alij. Quia ad decentem quoque vxoris statum eiusque honorem spectat, ne filios ac fratres egere permittat, cùm bona habeat, ex quibus subvenire possit. Attamen debet vxor dissoluto matrimonio inter bonorum partitionem cum viri hæredibus computare in suà parte, quæ sic vltra dictam supra quantitatem elargita est, cùm æquum non sit, vt ex alienis subveniat consanguineis, si habeat propria, vt rectè notant *cit. AA.*

Atque ex his patet ad rationem in oppositum; esto enim maritus habeat administrationē bonorū, non potest tamē ægrè ferre, si illorum socia seu Vxor aliquid inde accipiat, & in laudabiles fines expendat.

XCIII. *Tychius Sacerdos ante aliquot annos initiatus recordatur nunquam se dixisse sacra & preces ab Episcopo in ordinatione iniunctas. Nunc anxius de hoc intelligere cupit, qualis sit obligatio. Quæritur. An peccârit mortaliter?*

Videtur sic peccâsse. Ita Azor, Suar. Laym. Less. *L 2. de Iust. cap. 37. n. 46.* & alij. Tum quia Episcopus potest similia sub gravi onere

imponere, & communiter censetur sic facere. Tum quia tenentur Clerici sub mortali die S. Marci & Rogationum ad Litanias priuatim recitandas, si non intersint processionibus. Ergo etiam ad preces & sacra ab Episcopo imposita, cùm consuetudo vtriusque eodem modo per modum legis grauiter obligantis sit recepta.

Resp. Tychium omittendo preces & Sacra ab Episcopo iniuncta non peccâsse grauiter, Ita Sotus, Valent. Palao. *Tom. 2. Tr. 7. D. 2. p. 2. §. 1. num. 1.* Ratio est. Tum quia ex nullo iure hæc obligatio ostenditur. Tum quia Episcopi nolunt ordinandos obligare sub graui culpâ, sed solùm ex quadam honestate & decentiâ, probè gnari, sufficienter ordinatos suo muneri satisfacere, si Ecclesiæ in eo gradu deserviant.

Ad *primum* in contrarium dicimus, esto possint Episcopi bis térue saltem preces ac Sacra dicenda imponere sub graui onere, hoc tamen ipsos defacto facere ostendi nõ potest, & falsum est, sic eos communiter putari facere, vt patet *ex Authorib. cit.* Ad *secundum*, negari probabiliter potest anteced. cum Vasq. *c. 4. de beneficijs §. 1. art. 2. dub. 1.* Molfesio, Homobono, & alijs, quos citat & sequitur Dian. *P. 4. Tr. 4 Resol. 226.* etsi contrariũ tutius putet. Ratio esse potest, quia nullum extat de hoc præceptum; nec constat, hanc consuetudinem

dinè esse receptam per modum legis; grauiter obligantis; id quod maximè locum habet in precibus & Sacris ab Episcopo impositis. Ergo libertas Clericorum est in possessione, quâ meritò se à tali onere subeundo defendunt.

XCIV. *Valentinus Parochus reperit in foribus templi sui infantem cum scheda subscriptâ suscepti baptismi, quem tamen sub conditione rebaptizat. Quæritur. An rectè fecerit?*

Videtur malè fecisse. Ita Palao *Tom.* 4. *Tr.* 14. *pun.* 13. *n.* 6. Dicastillo *de Sacram T.* 2. *D.* 1. *dub.* 7. *n.* 176. Hurtad. *de Sacram Bapt. D.* 1. *diffic.* 12. & alij, vt Diana eos sequens vocet hanc sententiam communem *DD. p.* 9 *Tr.* 6. *Resol.* 35. Ratio est, quia charta talis certum est indicium, parentes esse Christianos iterationem baptismi cauere volentes.

Resp. Valentinum bene licitèque facere, rebaptizando sub conditione expositum puellum, etiamsi adiuncta scheda receptionem baptismi testetur. Ita Antonius Quintanaduennas, Adamus Opatouius, Marchant. & alij apud Dianam *P.* 10. *Tr.* 16. *R* 87. Ratio desumitur ex Rituali Rom. Pauli V. §. *de baptis. paruu.* vbi sic statuitur: *Infantes expositi & inuenti, si re diligenter inuestigatâ de eorum baptismo non constet* (id est clara probatio habeatur) *sub conditione baptizentur.* Atqui non constat, hunc paruulum esse baptizatum; eadem quippe fides habenda schedæ, quæ scribenti,

de quo ferè nihil constat; Ergo Valentinus rectè illum sub conditione rebaptizat. Confirmatur. Ex consuetudine quorundam Parochorum (quam Layman *L. 5. Tr. 2. c. 5.* improbare non audet) pueri ab obstetricibus, parentibus, cognatis ob necessitatem baptizati sub conditione rebaptizantur, & vbique locorum hoc fieri oportere, non pauci DD. tradunt apud Dian. in diuersis locis. Ergò licitè rebaptizati possunt etiam expositi à parentibus cum schedâ; certè maiori ratione de his, quàm de illis dubitari potest. Atque ex his constat ad rationem in oppositum.

XCV. *Varus domum habet Monasterio cuidam contiguam, quæ Religiosis illis bene de ciuitate meritis foret percommoda ad plurium habitationem; at pro iusto etiam pretio acquiri à Varo nequit. Quæritur. Vtrum Magistratus cogere Varum possit ad domum suam Religiosis iusto pretio vendendam?*

Videtur non posse, quia nemo inuitus cogitur rem suam vendere. *l. inuitum. Cod. de contrah. emptione.*

Resp. Posse Magistratum cogere Varum, idque tum ratione fauoris Religionis, tum maximè causâ boni communis, cui ex iustitiâ legali Magistratum æquè ac subditos, postposito proprio commodo, intendere oportet. Ita Rebellus *de obligat. Iust. L. 1. q. 1. s. 2. n. 18.* & teste Layman. *Tr. 4. de Iust. c. 17. §. 5. n. 34.* communis DD.

Ad

Ad rationem in oppositum dicimus, neminem cogi rem suam vendere absque legitimâ causâ, qualis hîc non desideratur.

XCVI. *Vbaldus die dominico Sacri audiendi gratiâ templum ingressus videt binos Sacerdotes in duobus altaribus vnà celebrantes, alterum tamen primùm in introitu, alterum iam in eleuatione S. Hostiæ; & dũ postea iste Sacrũ finit, ille verò eleuat S. Hostiam, ipse Vbaldus iterum egreditur. Quæritur. Vtrum sic vtriq; Sacerdoti simul astando satisfecerit præcepto Ecclesiæ?*

propo 53 damnata ab Innocent XI

Videtur non satisfecisse. Ita Turrian, *in select. p.* 2. *D.* 16. *d.* 7. Coninck. *de Sacram. q.* 83. *art.* 6. *n.* 288. & alij. Ratio est, quia Ecclesia præcipit auditionem vnius sacrificij integri, quod non censentur constituere duæ partes à se omnino independentes.

Resp. Vbaldum satisfecisse. Ita Bonac. *Tom.* 1. *D.* 4. *q. vlt. p.* 11. *n.* 13. Hurtado *de sacrif. Miss. D.* 5. *difficult.* 4. & alij. Ratio est, Tũ quia Vbaldus audit integram missam eas partes audiendo. Tum quia potest quis satisfacere præcepto Ecclesiæ audiendo duas partes Missæ successivè apud duos Sacerdotes, vt concedit Coninck *loc. cit.* Cur ergò non simul? Tum quia ex mente plurimorum Theolog. satisfacit aliquis obligationi audiendi tres missas, si has simul apud tres vnà celebrãtes audiat. Ergò etiam satisfacit præcepto

audiendi missam, si duas huius partes simul apud duos vnà celebrantes audiat.

Atque hinc patet ad rationem in oppositum; negatur enim has duas partes ita à se independetes esse, vt non censeantur moraliter in vnum coire respectu eius, qui vtrique simul interest, id quod suadent allatæ instantiæ.

XCVII. *Venereus longo vitæ tempore mollitiem exercuit, ratus id nullum esse peccatum, cuius notitiam in aliqua deinde concione acquisiuit. Quæritur. Vtrum Venereus exercendo turpitudinem illam peccârit.*

Videtur peccâsse mortaliter; tum quia potuit, & debuit notitiam huius habuisse; tum quia malitia huius peccati prohibetur iure naturæ; ergo eidem naturæ diutiùs incognita esse nequit, vt sentiunt Alexand. Gratian. Durand. Alph à Castro & alij apud Vasq; 1. 2. D. 122. *c.* 1. *n.* 1.

Resp. Venereum mollitie illâ per longum vitæ tempus exercitâ nullum commisisse peccatum. Ita cum multis antiquis & plerisque RR. P. Arriag. *Tom.* 3. *D.* 13. *s.* 2. *n.* 6. Ratio est. Tum quia *nihil volitum, nisi præcognitum.* Ergò cum Venereo, vt supponimus, nullo modo, etiam sub dubio, fuerit præcognita malitia illius actûs, non poterit ipsi vllo pacto neque directè neque indirecte esse voluntaria, adeoque nec peccaminosa. Tum quia si tritum illud (*potuit & debuit scire*) vim habeat, non

non potest statui, quando inconsideratio à peccato excuset, quando non, sed relinquitur res planè inexplicabilis, & mille obnoxia scrupulis.

Vnde ad *primum* in contrarium dicimus, Venereum etiam nec potuisse, nec debuisse scire, cùm neque scrupulus, neque dubitatio occurrerit, quæ est prima radix investigandi. Ad *secundum* negamus consequentiam cum Azor. *L.* 1. *c*, 16. *q.* 5. Bonac. *D.* 2. *de peccat q.* 8. *p.* 3. *n.* 3. Palao *Tr.* 2. *D* 1. *p.* 15. *n.* 6. & alijs, cùm non omnia, quæ Iuris naturæ sunt, ex certis circumstantijs ita lumini naturæ clara sint, vt toto etiam vitæ tempore ignorari nequeant, vt patet in præcepto vnius vxoris, & perpetuitate matrimonij, & alijs, quæ affert Vasquez *D cit. c.* 2. Pro vniuersali igitur, & longè vtilissimâ regulâ de advertentia ad peccatum sic statuimus cùm Arriag. *loc. cit. Si intellectus, dũ peccat, malitiam ac prohibitionem rei nec cognoscit, nec de ea dubitat, nec reflexè advertit, se teneri ad inquirendum aut dubitandum, num res illa mala ac prohibita sit, non potest vllum incurri peccatum.*

XCVIII. *Vrsicius honesti negotij causâ domum suspectam intrauit, ibiq; de eo suspectæ fœminæ fuit locutus. Huius ingressûs delatus ad superiorem, & sub iuramento interrogatus, an domum illam fuisset ingressus, ibique fœminæ locutus, iurat, se hoc non fecisse, subintelligendo tacitè, inhonestæ rei*

causa.

causâ. Quæritur. Vtrum Vrsicius licitè æquiuocatione fuerit vsus?

Videtur malè æquiuocasse. Ita Sotus, Caietan. Arragon. & alij apud Less. *de Iust. c.* 42. *n.* 47. quia oratio illa, quæ exterius profertur, est falsa.

Resp. Vrsicium bene ac licitè æquiuocâsse. Ita Tolet. *L.* 4 *c.* 21. & plures alij, quos citant & sequuntur Less. *loc. cit.* & Lugo *de Iust. D.* 40. *num.* 4. Nam quoties superior aut Iudex iuramentum expetunt ex præsumptione delicti & ignorantiâ veritatis, non petituri, si hoc ipsis constaret, licitè adhibetur æquiuocatio, aut absolutè negatur. Atqui hoc fit in proposito. Ergo &c. Confirmatur hæc responsio ex vniuersali illa regula, quã ad propositum Diana *P.* 3 *Tr.* 5. *Resol.* 66. *ex Portel.* & alijs statuit in hunc modum: *Quotiescunq; factum externum contra legem excusatur à peccato propter aliquam circumstantiam, potest rogatus iuridicè de eo sub iuramento illud negare*, intelligendo de crimine criminoso, seu de opere, quod fuerit peccatum.

Ad rationem in contrarium dicimus, in tali casu non teneri Vrsicium totam mentem suam circa rem, de qua interrogatur, aperire. Ergo non tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperiatur. Ergo oratio exterior non est falsa, quia nec est difformis obiecto suo, nec contra mentem loquentis. Tametsi autem

tē is, qui in vero aliquo sensu iurat, sed alio, quàm alter intelligit, non sit periurus in foro conscientiæ, peccat tamen grauiter, si absque sufficiente causa aut necessitate sic iuret; vnde doctrina hæc cum grano salis adhibenda, ne, quod saluti datum, in pernitiem vertatur.

XCIX. *Zelpha ancilla Christiana occultè deprehendit Balam conseruam suam cum alio domestico in turpi flagitio, quod statim Hero denunciat. Quæritur. Vtrum licitè hoc faciat?*

Videtur non facere licitè, quia agit contra legem & ordinem Charitatis præscriptum à Christo *Matth.* 18. Confirmatur. Non potest sic denunciare Dominam suam in adulterio deprehensam, ergo nec conseruam in simili scelere conspectam.

Resp. Rectè fecisse Zelpham. Ita Caietan. 22. *Q. 73. art.* 2. Molin. *Tr.* 4. *D.* 29 Nauarr. Layman alij. Ratio est. Tum quia Paterfamilias (idem est de Præceptore respectu studiosorum) habet ius puniendi suorū crimina ad conseruandam disciplinam domesticam, idque ex denunciatione vnius fidelis. Tum quia talis delatio domesticorum fit sine graui infamiâ.

Vnde ad *primum* in contrarium dicimus, præuiam monitionem in hoc casu necessariam non esse, tum ob consuetudinem, tum ob exiguam infamiam indesequi solitā. Ad *secundum* negamus consequentiam ob contrariam

rationem,

rationem, quia nec ex consuetudine Dominæ solent deferri ab ancillis, nec infamia aliáque incommoda, quæ inde oriuntur, sunt leuia, sed valde grauia. Quare ancilla sciens Dominam suam occultè adulterari, debet prius secretò eam monere: deinde, si nihil proficiat, alios sceleris obseruatores adhibere cũ comminatione delationis Hero faciendæ, nisi desistere velit, vt rectè Layman. *L. 3. Tr. 3. P. 2. c. 4. n. 13.*

C. *Zoa tanquam Saga in carcerem coniecta, & tormentis subiecta, vt ea euitet, licet sit innocentissima, fatetur tamen se ream, ideóque morti adiudicatur, postea tamen sollicita, ne falsum sibi crimen imponendo grauiter peccárit, hæret num revocet. Quæritur. Quid ei faciendum?*

Videtur teneri revocare. Ita Navarr. *cap. 18. n. 29.* Caramuel. *Fund. 61. §. 1. n. 1278.* & quidam alij. Ratio est, Tum quia Zoa moraliter loquendo se interficit. Tum quia perniciosè mentitur.

Resp. Zoam nec peccare, nec teneri revocare. Ita Angelus, Sylvest. Less. *de Iust. c. 11. dub. 7.* Tanner. *Tom. 3. D. 4. Q. 4. num. 99.* Busenbaum *L. 4. cap. 3. dub. 7.* & alij. Ratio est. Tum quia Zoa non tenetur cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat. Sicut non tenetur permittere tibiam sibi abscindi cum tanto dolore; non etenim tanto est digna dolore salus. Tum quia non est men-

tita

tita perniciosè, cùm, vt recèns dictum, non teneatur tantis tormentis conservare vitam.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium. Sed vrgent Adversarij in hunc modum: Zoa imponens sibi falsum crimen non tantũ partem suam non tuetur, sed perdit, Magistratui dando causam necandi. Ergo peccat mortaliter. Disting. Antec. Zoa non tantùm non tuetur partem suam, sed perdit &c. coactè vi tormentorum, concedimus: voluntariè extra tormenta, & gravem horũ metum, negamus Antec. & consequentiam. Videri possunt Dicastillo *de Iustitia L. 2. Tr. 2. D. 12. num.* 514. Card: Lugo *de Iust. Tom.* 1. *D.* 14. *sect.* 10. *num.* 174. & Diana *P.* 11. *Tr.* 1. *Res.* 14. vbi in hanc nostram responsionem valde inclinant, & posse eam tanquam probabilem practicè teneri, affirmant.

SYNOPSIS

SYNOPSIS
Centuriæ II. Selectorum Casuum Conscientiæ.

1. ACHILOVS locum alienum transiens & casu aliquot in eo centenos florenos inueniens in terrā defossos retinere sibi hos omnes potest, si Dominus eorum sedulò inquisitus non compareat, cum non sit thesaurus.

2. ADO ex crassa ignorantia ætatem requisitam se compleuisse putans, & Sacerdotij Ordinem suscipiens peccat quidem mortaliter, & ante legitimam ætatem suscepto Ordine vti nequit, nullam tamen inde censuram incurrit.

3. AEMILIVS de præsenti coram Parocho & Testibus sed conditionatè cum puella contrahens impletâ postea conditione de nouo prædictum Parochũ & Testes aduocare debet, vt impletio conditionis illis constet.

4. AISTVLPHVS maritus promittit ancillæ matrimonium post mortem vxoris suæ, si iam in adulterium consentiat: consentit illa, quia tamen matrimonium non repromittit, ideo mortuâ vxore Aistulphi nubere huic potest.

5. ALBERICVS in altari priuilegiato celebraturus non benè intelligit ex alio Sacerdote, ad liberandam animam è purgatorio Missam de Requiem dici oportere, cum quælibet alia sufficiat, nisi illa nominatim in Bulla Pontificia exprimatur.

6. AMVRATES miles Turcicus bonis, quæ Christianis eripuerat, iterum spoliatur à milite Romano, qui eadem bona iure quidem naturæ reddere deberet suis Dominis: Cæsareo tamen retinere illa potest.

7. ARNVLPHVS post procuratum concubinæ suæ abortum fœtûs iam animati pingue beneficium acquirit,

acquirit, quod cum per triennium pacificè possideat, tam ipsum beneficium, quàm fructus perceptos retinere potest.

8. Bamba ex Societate Iesv Sacerdos in Monasterium deueniens non potest, per se loquendo, audire Monachum, qui eidem confiteri cupit, nisi adsit Prælati consensus.

9. Barbara deuota Virgo non rectè permittitur quotidie communicare.

10. Barnabas adultum, qui à natiuitate fuit cæcus, surdus, & mutus, sub conditione baptizare potest.

11. Basiliscvs Iudex detentum in carcere Basilium nouit ex priuata & certa scientia innocentem; quia tamen allegata & probata illum ostendunt reum, & adhibita media ad eius liberationem nihil efficiunt, potest eundem morti adiudicare.

12. Bassvs tempore Paschali confessionem & communionem in Monasterio quodam Mendicantium peragens non satisfecit præcepto annuæ communionis.

13. Calao Princeps Aulicis suis spectaculum daturus duobus mortis reis malè mandat, vt armis congrediantur, & sic alter in altero sententiam exequatur.

14. Campanvs Confessarius permittere potest, vt pœnitens statim post confessionem ad S. Eucharistiam accedat, etiamsi priore nocte pollutionem habuerit voluntariè aut inuoluntariè: vel etiam actum coniugalem solùs voluptatis causâ exercuerit.

15. Cassivs quia centum florenos, quos iam soluerat, iterum soluere iubetur à Iudice secundùm allegata & probata procedente, tenetur quidem parere, potest tamen occultâ vti compensatione.

16. Christophorvs beneficium fundans ius Patronatûs reseruauit hæredibus suis, qui id ob ignorantiam 35. annis negligentes productis fundationis

litteris contra Parochum loci interea iure præsentationis vtentem agere iam possunt.

17. CLEOPHAS nimis anxiè in confessionali examinat pœnitentes: subinde etiam de peccandi consuetudine interrogat, ad quod tamen respondere pœnitens non tenetur, si hæc notitia ad futuram eius cautelam necessaria non sit.

18. CODRATVS, quia absolutionem Sacramentalem negat Fabiano, ab hoc reus agitur mortis: nec tamen Codratus dicere potest, ex negata absolutione calumniam sibi factam esse.

19. CRATO absque iniustitia coëmit iam exuuias bubulas vili pretio, vt easdē, dum rariores sunt, maiore pretio vendat.

20. CRESCENTIA iam deflorata in nuptijs pro virgine se vendit, ideóque peccat mortaliter, si vir vitiū comperturus & ægrè laturus putetur: secus si id non putetur.

21. DALMATIVS ruri inueniens Clericum cum fœmina concumbentem egregiè fuste excipit, idque absque excommunicatione.

22. DAMIANVS Medicus in dubia causa ieiunij dispensare non potest.

23. DARA nouit, virum suum ab se discedentem alibi alteram publicè duxisse, ex eaque liberos iam genuisse; quod quidem hactenus tacuit, deinceps autem tacere non potest, sed deferre debet ad Superiorem saltem denunciatione iuridicâ.

24. DATIVS puer ante septennium prodit perfectum rationis vsum, nec tamen idcirco ad annuam confessionem tenetur.

25. DAVINVS ex diuite hæreditate non succurrit Patri, quem nouit adhuc in purgatorio detentum, ideóque peccat mortaliter.

26. DEMOPHILVS vltimo Iulij confessus & communicans primo die Augusti post Vesperas adeundo templum PP. Franciscanorum & requi-

sitas

sitas ibi preces fundendo lucrari potest Indulgentias Portiunclæ absq; noua confessione & communione.

27. Diomedes maleficium se pati sentiens licitè inquirit Magum, petitque ab eo, vt remotis signis illud destruat, & pactum cum dæmone de damno inferendo tollat.

28. Eleazarvs in Sacro iam ad Canonem perueniens malè remittit paruas hostias, quas Minister pro præsentibus consecrandas primùm affert.

29. Elesbaan Rex sub graui pœna statuit vectigalia, quæ defraudans Dunaam Mercator non peccat mortaliter.

30. Eppollonivs iteratis votis ad reddenda iniustè parta in quadruplum se obligat, qui tamen non potest ex iustitia sæpius pro illis satisfacere.

31. Erasmvs post percussum Clericum in Succiam proficiscens, ibique in morbū lethalem incidens validè absoluitur à Sacerdote Apostata.

32. Eventianvs præter consuetam cambij prouisionem pro mille florenis petit insuper 50. florenos, si intra tres menses mille illi floreni non reddantur; quod additamentum non tenere soluere Euentius, etiamsi hoc pactum priùs cum Euentiano inierit.

33. Eutyches ex iusta causa recuperandi debitum suum licitè exigit iuramentm ab Eutyche, etiamsi hunc peieraturum certò sibi persuadeat.

34. Franco valde anxius, vtrum, cum in Sacerdotem ordinaretur, ritè & physicè materiam tetigerit, bene consolationem accipit à Confessario, non requiri physicum, sed sufficere moralem contactum ad Sacramenti valorem.

35. Galatianvs vouet calicem templo prædiuiti, & post factam acceptationem mutat votum, ac calicem illum dat pauperi ædi, idque ex probabili sententia licitè.

36. Gaudentivs ex bonis paternis in Academia

singulis annis facilè 300. florenos expendit, nihilq; studet. Vnde peccat quidem mortaliter contra iustitiam abliguirendo tantum pecuniæ contra patris voluntatem: an autem fratribus teneatur ad restitutionē, ex facultate pātris & huius voluntate pendet.

37. Gelasius licet vinum congelatum consecrando peccârit mortaliter, quod resoluere prius vel mutare debuerat: validè tamen illud consecrauit.

38. Gelasia vxor cognito viri sui adulterio adhuc occulto divortium ab ipso licitè facit etiam ante Iudicis sententiam.

39. Gemesius Religiosus ad curandam rupturam non tenetur admittere sectionem etiam post mandatum Prælati sui.

40. Gennadius equum furtim ablatum vendit in extrema postea sua necessitate superveniente; pro quo idcirco satisfacere amplius non tenetur.

41. Hatto Sacerdos vrgente necessitate celebrans in mortali post præmissam contritionem non curat quamprimùm confiteri, cum posset, ideoque peccat mortaliter.

42. Hermogenes æger præsente iam Parocho cū S. Eucharistia inuenitur à Confessario inualidè ab aliquot annis confessus, qui idcirco, si mors imminet, debet post expositionem aliquot peccatorum & generalem accusationem sac. Viatico muniri: si mors non immineat, debet quoque post contritionem elicitam, & propositum confessionis proximè faciendæ sacrâ Eucharistiâ refici.

43. Hostilius refert, in bello Germanico multorum altarium sigilla seu sepulchra esse fracta, vel etiam amota absque alia iniuria, quæ idcirco reconciliatione non indigent.

44. Indus mercator Catholicus Amstelodami ciuitate hæreticâ quouis hebdomadæ die comedit carnes ex eo solùm, quasi contra præceptum Ecclesiæ ibi esset præscriptū, & cōsequenter illud nō obligaret; vnde per se loquendo peccat grauiter.

45. Kolbertvs Sacerdos cum socio orans & huius pronunciationem non percipiens, præcepto Ecclesiæ non satisfacit.

46. Landrada in actu coniugali post discessum viri suam ipsa illicitè procurat seminationem.

47. Lazarvs ob vinum haustum moritur, quod quia Infirmarius contra Medici præscriptum propinauit, ideo iste peccauit mortaliter.

48. Laelivs peractâ confessione memor peccati priùs obliuione præteriti tenetur ante S. Communionem, per se loquendo, redire ad confessionale: si intra istud adhuc existens recordetur etiam peccati sic omissi, debet quidem de nouo absolui, non autem nouum habere dolorem.

49. Leander crucem Indulgentijs V. SS. præditam penitus quidem confregit; quia tamē mox reintegrari curauit, retinet ea indulgentias.

50. Lembla famulus operibus à Domino præceptis functus multum pecuniæ lucratur arte suâ alijs laborando, quam pecuniam sibi reseruare potest.

51. Leonides contra juramentum reuocat testamentum suum, idque illicitè quidem, attamen validè, teneturq; secundus hæres restituere hæreditatem illi, qui primò hæres fuit institutus, si iste promissionem acceptârit.

52. Leonilla cum ad incestum metu inconstantem fœminam cadente cogatur à consanguineo viri sui, ideo debitum marito suo reddere, & petere ab eodem potest.

53. Leopoldvs Princeps Gumesindo Parocho frumentum contra legem eius extra prouinciam euehēti per Ministros hoc aufert, ipsumq; negotiationis prohibitæ arguit; sed vtrumq; malè; licet aliàs Gumesindus indirectè ad obseruationem legis obligatus venialiter peccârit, non conformando se illi.

54. Maiorianvs postquam rem habuit cum Anna, contrahit cum sorore huius Apollonia igna-

rus impedimenti ex illicita copula, propter quod dispensatione Papæ indiget, vt Apolloniam ducere in vxorem possit.

55. MAGDALENA octuagies circiter se fornicatam fuisse confitens, & postea resciens, centies id fatactum esse non tenetur excessum istum in alia confessione aperire.

56. MODESTVS Religiosus ex Mendicantibus facultate quâdam viuæ vocis oraculo olim Ordini suo concessâ etiamnum hodie vtitur, idque probabiliter non malè iuxta Theologos Germaniæ.

57. MARIOPHILVS Sacerdos ex affectu erga B.V. plures infantes baptizat in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: ac Intemeratæ Virginis Mariæ; quâ additione merè accidentali forma substantialis non destruitur.

58. MAXENTIVS res raras & peregrinas, etsi venales non habeat, malè tamen vendit quocunque potest pretio.

59. NARSES Clericus in bacchanalibus laruatus incedens peccauit mortaliter: eum tamen ex ignorantia percutiens non incurrit censuram

60. NELLVS Confessarius aduertit Othonem bonâ fide confessum se inualidè absoluisse, ei tamen hoc non tenetur significare.

61. NEREVS percutit Achillem, quem nouit esse Clericum, attamen putauit esse Achilleum itidem Clericum, quo errore non euitat excommunicationem.

62. NICANDER Sacerdos ante Sacramentorum administrationem non habet aliam voluntatem, quàm more aliorum Sacerdotum induendi se sacris vestibus, locum designatum adeundi, & cætera consueta faciendi, &c. quæ intentio probabiliter sufficit.

63. ORESTES sæpe labitur cum fœmina, quia tamen occasionem huius lapsûs proximam absque fa-

mæ

mæ nota vitare nequit, cæteraque requisita facit, absolui potest.

64. Osius Episcopus ex longiore mora comparentis Patrini ipse sese Patrinũ designat, simulq; infantem baptizat, alio ad leuandum infantem ex sacro fonte in sui vicem substituto; quorũ illud prius facere potuit: ex posteriore verò cognationem spiritualem contraxit.

65. Palmatius vir consularis ciuem in foro impingentem sibi colaphum statim insequitur, & deprehensum lethaliter vulnerat, idque absque peccato.

66. Papius ponit quidem rancorem contra inimicum, huic tamen non exhibet beneuolentiæ signa, quibus eum etiam ab odio destiturũ novit: nec ad illa cogi potest, si nimis hoc arduum accidat.

67. Pausilippus Emphyteuta licet elapso triennio non soluerit canonem Domino suo, non potest tamen iste rem emphyteuticam ingredi, & illum expellere.

68. Persius Sacerdos in calice nondum consecrato celebrat, qui inde peccat quidem mortaliter, nullam tamen incurrit censuram: calix etiam inde iam est consecratus.

69. Petilianus firmiter statuit, alicui domino furtim abducere equum, quem licet defectu occasionis morantem consensu suo animet Petilius, iste tamen ideirco non tenetur postea ad restitutionem equi, cum quo ille aufugit.

70. Quintilla intra triplam aquæ affusionem sic formam baptismi adhibet: Ego te baptizo in nomine Patris, Ego te baptizo in nomine Filij, Ego te baptizo in nomine Spiritûs Sancti; qui baptismus validus est, & non etiam sub conditione iterandus.

71. Rachaelis parientis proles ex vtero manũ porrigit, & quia periclitatur, licitè & validè baptizari in ea potest.

72. Reyprechtvs in vere præsentis anni illicitè contrahit & emit à Rustico omne hordeum, quod per sequentem æstatem ipsi creuerit proximo autumno tradendum iuxta currens huius veris pretium, etiamsi istud in autumno fuerit maius.

73. Ronsardvs furtim in mensa sublegendo cochleare argenteũ Nobili cuidam, peccat mortaliter, teneturque ad restitutionem saltem locis sacris, vel pauperibus faciendam.

74. Rodopianvs rusticus intelligitur in confessionibus hactenus non addidisse numerum peccatorum mortalium, cui idcirco à Confessario non est imponenda repetitio confessionum talium.

75. Richardvs ob præuisum impedimentum præuenit Paschalẽ communionẽ, vt facere tenetur, si impedimentum illud per totum paschatis tempus duraturum putetur: si verò præter opinionem eodem tempore bona se offerat occasio communicãdi, debet vi præcepti Ecclesiastici in Paschate repetere S. Communionem.

76. Rvfa famula laboribus suis plus sibi mereri videtur, quàm ex conuentione habet, ideòque si non gratuitò & absq; animo cõpensandi eos labores tulerit: & augmentum mercedis aliâ via obtinere nequeat, occultâ compensatione vti potest.

77. Rigobertvs Confessarius malè imponit pœnitentias perpetuas.

78. Romvlvs & Romvla contrahere volunt; inter quos impedimentum occultum intercedere solus nouit Romanus, quod aperire tenetur, si malâ: secus si bonâ fide contrahant.

79. Rvfvs grauia peccata exponit apud Confessarium ignotum: leuia apud Ordinarium, vt constanter bonus huic appareat, idque per se absque confessionis invaliditate.

80. Rvtilivs mercatoris filius ex bonis paternis industriâ suâ multum patri lucratur, otiantibus alijs fratri-

fratribus; vnde aliquam à patre mercedem exigere potest, siquidem aliquid lucri ad ipsum pertinet.

81. SAMVEL Confessarius ex duobus Confessionis filijs non debet vnum laudare, & alterum coram ijsdem audientibus præterire illaudatum: nunquam autem saluo sigillo dicere, se huic homini arduam impósuisse pœnitentiam.

82. SERAPIA dum præcisè dolet, se non dolere, non est disposita ritè ad absolutionem; quamuis ex his verbis legitimus dolor rationabiliter præsumi possit.

83. SERAPHINVS adolescens extra Religionem in statu sæculari vouet paupertatem æquè strictam, atq; obseruant Minoritæ; vnde non acquirit dominium in res mendicando acceptas.

84. SERGIVS dubius de vase quodam argenteo, num ad se potius, quâm ad Sergilium spectet, non potest quidem præscriptionem inchoare, at bene cęptam continuare.

85. SIGEFRIDVS Comes reliquit testamento Canonicis alicuius Ecclesiæ collegiatæ mille florenos pro cuiusque dignitate ac merito distribuendos, quam tamen rationem Distributor non obseruat, ideóque peccat contra Iustitiam Commutatiuam.

86. THARASIVS etsi interdũ veniat primùm ad offertoriũ: vel si ab initio adfuerit, iterũ ante canonem exeat, & post vtramque consecrationẽ iam peractam redeat: aut si maneat tam diu, saltem ante communionem discedat, nullâ tamen harum absentiarum peccat mortaliter.

87. THEODEMIRVS aulicus frequenter meminit apud Principem suum delictorum leuium ab alio aulico commissorum; quo modo peccare potest mortaliter.

88. THEODORVS aduertens se in bello versari iniusto, post animum nocendi positum defendere se potest contra aggressorem, & illum etiam præueniendo occidere.

89. TIMOTHEVS Episcopus malè ait, non posse se ijsdem Ordinandis eodem die conferre quatuor Minores, & Subdiaconatum.

90. TIMOLEON Princeps sæcularis pessimè facit contra immunitatem Ecclesiasticam, Clericos in Minoribus tanquam Laicos tractando.

91. TETRADIVS in iubilæo duas hebdomadas durante ieiunat in priore harum nihil cogitans, aut etiam sciens de iubilæo: in altera dein hebdomade reliqua requisita ad iubilæum præstat; & licet iam ieiunium omittat, nihilominus ratione prioris ieiunij lucratur indulgentias.

92. THEOPHANES adolescens iuxta votum suum syncero animo ingreditur Religionem, & licitè postea pro libitu suo egreditur.

93. TORRELLVS Eremita aiens se ex reuelatione scire se reprobum, potest nihilominus, imò tenetur certo tempore sperare.

94. VALERIANVS Iudex malè facit grauiterque peccat, ex priuata notitia monendo vnam partem ex litigantibus, ex quo capite causam suam firmet, vt Adversario suo præualeat.

95. VENVSTVS & VENVSTIANA coniuges in statu peccati contrahentes vnum tantùm peccatum mortale committunt: de quo peccato, dum dolent, impeditum in Susceptione Sacramenti fructum recuperant, & pro assiduis hactenus rixis pacem impetrant.

96. VIRGILIVS & VIRGILIANVS ineunt contractum Societatis, ille pecuniam, iste operam confert suam; elapso autem triennio nullum reperiunt lucrum, sed solam sortem, quæ ad illum redit, qui eandem posuit.

97. VIVAMANNVS cùm equum conductum, eâ, quâ par est, moderatione fuerit vsus, nihil etiam in conscientia pro eo debet, etiamsi paulò post domum remissus perierit.

98. Wi-

98. WILIBRORDVS Sacerdos diebus, quibus à nullo est mercede pro Sacro dicendo cōductus, celebrat nihilominus pro eo, qui proximè numetatâ pecuniâ Sacrum est postulaturus; idque malè, si fructus sacrificij suspenditur postmodum applicandus: bene, si statim applicetur.

99. ZEBINA ex verecundia vnum peccatum supprimens & alia exponens, si positâ verecundiâ eodem Confessario vtatur, & iste in confuso recordetur status pœnitentis, non tenetur singillatim omnia priora peccata repetere: secus, si alij Confessario confiteatur.

100. ZOËLVS Parochus in cōfessione advertit impedimētū dirimens inter spōsos iam iam accessuros ad S. Eucharistiam, & dein contracturos, quod Zoellus omnibus modis impedire debet; si nihil efficiat, permittere potest.

CEN-

CENTVRIA II.
SELECTORVM CASVVM CONSCIENTIÆ.
CASVS I.

Chilous villam cuiusdam rustici in pago suo transiens advertit propè eam gallinas vehementiùs pedibus radere terram crocitantes, quod admiratus accessit visum, quid obiecti haberent, & conspexit involucrum promicare, quod mox erutum secum asportavit, & aliquot centenos in eo florenos reperit servavitque. Post aliquod verò tempus conscientiâ actus Parocho suo rem narrat, scire volens, quid pecuniâ hâc faciat? Quæritur. Quid Parochus Achiloo dicat?

Videtur ipsi indicandum, pecuniam hanc esse thesaurum fortuitò in loco alieno inventum, ac proinde mediã illius partem Achiloum servare sibi posse: alteram verò partem Domino fundi cedere, vt communiter docent Authores apud Dianam *P. 9. Tr. 5. Res. 3.*

Respondetur. Achiloo dicendum, pecuniam hanc non esse thesaurum, sed bonum quoddam *casu inventum*, ac proinde huius Dominum diligenter inquiri, eique restitui debere, si reperiatur; sin post sufficientem inquisi-

quisitionem non compareat, eam tanquam bonum derelictum seruare sibi posse, iuxta probabilem ac tutam sententiam, etsi meliùs fecerit, si illam pauperibus distribuerit, aut ad pias causas applicuerit, vt in priore centuria casu LXVIII. dictũ. Cæterùm thesaurus *L. Nunquã. ff. de acquirendo rerũ dominio* definitur: *vetus quædam depositio pecuniæ, cuius memoria non extat, vt iam dominum non habeat*; quod autem prædicta pecunia non sit talis thesaurus. Probatur. Tum quia non est vetus depositio, vt patet ex formâ pecuniæ, quæ recentis est memoriæ, ideóque argumentum depositionis non veteris iuxta *L. Authore ff. de rei vendicat.* & alia iura. Tum quia non est depositio, in profundiorem scil: terræ partem, aut locum ab oculis humanis remotiorem iuxta naturam thesauri, sed abscõsio intra fere superficiem terræ. Tum quia non est depositio in crastinum cum intentione ita sibi in futurum providẽdi, quod ad thesaurum requiri, innuit Less. *L. 2. de Iust, c. 5. n. 57.* ex Covarr. & Alciato, sed repentina occultatio ex metu præsentis periculi eam perdendi. Tum denique quia pecunia inventa non præsumitur esse thesaurus, antequam constet de requisitis ad eum constituendum. Baldus *in L. 1. post princ. ff. de rerum diuisione.* de quibus requisitis in nostro casu minimè constare, abunde ex dictis habetur. *Atque sic* etiam patet ad fundamentum opinionis contrariæ.

II. *Ad*

II. *Ado sciens annũ 24. ætatis se non complêsse, sed vnum adhuc diem sibi deesse, putat ex ignorantia planè crassa, hunc defectum sibi non obstare, quo minus in Sacerdotem ordinetur, cùm iuxta tritum proverbium parum pro nihilo reputetur. Affirmat ergo constanter, legitimam se ætatem habere, ideóque in Sacerdotem ab Episcopo ordinatur. Quæritur. Vtrum incurrat Censuram, & Sacro Ordine vti nequeat, antequam cum illo dispensetur?*

Videtur incurrere, & dispensatione indigere. Ita Bonac. *Tom.* 1. Tr. *de Censuris D.* 3. *pun.* 5. §. 1. *n.* 2. Vbi ait, ad hoc, vt quis contra Extrauag. Pij II. quæ incipit, *cùm Sacrorum*, & Sixti V. Quæ incipit, *Sanctum & salutare.* Suspensionem, imò & irregularitatem incurrat ante legitimam ætatem Ordines Maiores suscipiendo, sufficere ignorantiam mortaliter culpabilem, & dispensationem in illis ad Summum Pontificem pertinere. Consentit Pax. Iordanus *L.* 3. *suarum Elucubrat. Tit.* 6. *n.* 216. Vbi putat, prædictam suspensionem saltem incurri, quando immatura ordinatio fit ex ignorantia crassa & affectata.

Respondetur 1. Adonem peccâsse mortaliter suscipiendo Sacerdotium ante inchoatum vigesimum quintum annum ex crassa ignorantia. Ita Communis. Nam omittere omnem diligentiam in re tanti momenti, vtique graue & mortale peccatum est. Respon. 2. Adonem ex prædicta ignorantia crassa susci-

suscipiendo Sacerdotium ante legitimam ætatem non incurrisse suspensionem aut irregularitatem. Ita Navarr. Auila, Sa, & alij, quos refert & sequitur Barbos. *de Potest. Epis. P. 2. Alleg. 16. n. 19.* Ratio est, quia verba illa, (*temerè præsumpserit*) quibus vtuntur prædictæ Pij & Sixti Constitutiones, dolum & temeritatem significant iuxta Glos. penult. *in Cap. solet. de sent. Excommunic. in 6.* quæ temeritas & dolus scientiam, aut saltem ignorantiam affectatam supponunt; vt proinde in eum, qui vel bonâ fide, vel ignorantiâ etiam crassâ procedit, minimè cadant, vt cum pluribus docet Barbos. *Tr. de dictionibus vsu frequentibus Dictione 278. n. 3.* Respon. 3. Adonem susceptum Sac. ordinem Sacerdotij absque mortali peccato ante legitimam ætatem vti, aut celebrare non posse: hâc tamen ætate completâ licitè posse, nec indigere aliâ dispensatione. Ita Hurtado *de Suspens. Difficult. 13. n. 36.* Barbosa *Lo. Cit. n. 22.* Palao *Tr. 27. D. vnic. pun. 7. n. 7.* & alij. Ratio prioris est. Quia faceret in re graui contra præceptum Ecclesiæ, hæc enim prohibens ordinari ante designatam ætatem, consequenter prohibet etiam ante illam ordinis exercitium. Ratio posterioris est. Tum quia non violat Censuram. Tum quia hæc pœna nullibi est in iure expressa, vt præter alios notat Suarez. *Tom. 5. in 3. partem de Censuris D. 31. s. 1. n. 23.*

Atque

Atque ex his patet ad Authores contrariæ sententiæ, qui vnicè verbis constit. Pontificiarum innituntur.

III. *Æmilius contrahens matrimoniũ de præsenti coram Parocho & Testibus simul edicit sponsæ, non aliter valiturum contractum, quàm in eventu, si parens huius intra Mensem ex Italia redeat, & consensum præbeat; quam conditionem acceptat, sponsa, cuius etiã parens elapso mense adest & consentit. Quæritur. Vtrum de novo advocandi sint Parochus & Testes, vt iam intersint, dum parens consentit, adeóque testari possint de eventu impletæ conditionis, & iam perfecti contractûs?*

Videtur, non de novo vocandos este Parochum & Testes, nec hanc impletionem conditionis certò illis constare debere. Ita Sanchez *de Matr. L. 5. D. 8. n.* 24. Movetur, Tum quia nec in matrimonio per Procuratorem contrahendo necesse est, vt Parochus ac Testes litteras Mandati cognoscant, à quo tamen Mandato non minùs pendet Matrimonium, quàm conditionatum ab eventu. Tum quia similiter non est necesse, vt Parochus ac testes inspiciant litteras vel dispensatoriasinter prohibitos, vel Natalitias de cognoscenda contrahentium ætate seu pubertate; & tamen ab his (dispensatione & ætate) non minùs pendet matrimonij valor, quàm ab eventu conditionis. Tum quia sic obtinetur finis Concilij Tridentini, qui est, ne

ne contrahentur secundæ nuptiæ spretis primis, cum enim Ecclesiæ constet de hoc matrimonio, non permittetur alterutri contrahentium transitus ad aliud, donec satis innotuerit, conditioné, à qua prius matrimonium pendebat, non esse impletam.

Respon. Probabilius esse, Parochum ac Testes de novo vocandos, dum consentit Parens, ac de impleta conditione certificandos esse. Ita Coninck *de Sacr. D. 29. à n. 15.* Præpositus *Q. 3. de Matrim. dub 8.* Layman. L. 5. *Tr.* 10. *P 2. c. 7. n. 3.* Gasp. Hurtadus *D. 16. diff 8. n. 24.* & præter alios Martinus Perez *Tom. de Matr. D. 16. f. 14. n. 4.* vbi bene advertit, difficultatem hanc procedere iuxta eorum sententiam, qui sentiunt, contractum matrimonij conditionatum conditione de futuro purificari impletione conditionis absq; nouo consensu; in opposita enim opinione vtique de nouo vocandi sunt Parochus & Testes, & consensus coram his denuo ponendus, vt contractus ille, qui ante impletam conditionem solùm erat Sponsalitius, fiat Matrimonialis. Ratio nostræ resolutionis est. Tum quia ad valorem matrimonij, vbi Tridentinum viget, necessariò requiritur, vt Parochus & Testes intelligant, & testari possint, matrimonium verè perfectèque contractum esse ad vitanda varia in foro externo incommoda. Atqui si sufficeret iuxta contrariam sen-

tentiam, illos interfuisse contractui tantùm conditionato, non possent id præstare in foro externo; facilè quippe alteruter contrahentium negaret conditionem impletam esse. Ergo omnino requiritur, ac necesse est, vt constet ipsis, conditionem fuisse impletam; sic enim contrahentes cogentur simul manere, & qui resilire vellet à matrimonio, huic incumberet probare, conditionem non fuisse impletam, cuius tamen impletionis facilè conuinci posset.

Ad primum in contrarium dicimus, Sanchezium malè supponere, Parochum ac Testes non necessariò cognoscere litteras mandati, cum contrarium probabilius sit, videlicet, necesse esse, vt Parocho ac Testibus quoquo modo sufficienter constet de mandato. Ad secundum satis esse, si Parochus ac Testes intelligant, marem & fœminam verâ *& verbis, signis, litteris, vel mandato* patefactâ voluntate matrimonium contraxisse; esto non intelligant, eos validè contraxisse; siue nullo defectu occulto impeditos fuisse, modò fecerint Testes, quod moraliter ipsis faciendum erat, vt rectè Layman supra. Ad tertium negamus, finem Tridentini aliàs obtineri, quia, vt dictum, alteruter contrahentium facilè negare posset, conditionem esse impletam, cum non posset in foro externo probari, & sic sequerentur omnia incommoda, quæ cupit Concilium euitari.

IV. *Ai-*

IV. *Aistulphus adulter, vt consensum à Zaræ ancilla impetraret, pollicitus est huic nuptias post mortem legitimæ coniugis suæ; ad quam promissionem Zara nihil quidem repromisit, se vicissim obligans, voluntati tamen Aistulphi cessit, & adulterium cum eo commisit. Nunc mortuâ vxore Zara scire cupit, num Aistulpho nubere possit. Quæritur, quid ei dicendum?*

Videtur Zara non posse nubere Aistulpho. Ita Sylvester, Perez, Rebellus, Coninck, Sanchez *L. 7. de Mat. D. 79.* & plures alij *ex C. significasti. & C. vltimo de eo, qui duxit in matrimonium.* vbi deciditur, si adulter puellæ promiserit matrimonium, mortuâ vxore ducere eam non posse; est enim impedimentum hoc dirimens matrimonij.

Respondendum Zaræ, quod nubere possit Aistulpho. Ita Henriquez *L. 14. c. 14. num. 3.* Gardin. Bellarminus *L. vnic. de Matr. c. 22.* & nonnulli, qui existimant, necessarium esse ad hoc impedimentum contrahendum, vt sibi mutuò siue reciprocè fidem dederint, quod in proposito nõ fecit Zara, nihil vicissim repromittens Aistulpho, cui idcirco ex probabili hac sententia nubere potest. Atque sic etiam patet ad opinionem in oppositum.

V. *Albericus Sacerdos in æde B. V. parochiali, & altari huius priuilegiato cupiebat celebrare pro liberanda anima purgatorij: & quia dies erat Dominicus, interrogabat priùs alium sacerdotem*

in eadē Ecclesia, an Missa pro defunctis sive Requiē dicere deberet, cui ille respondit, omnino tale sacrū dici oportere in quovis altari priuilegiato quolibet anni die, si anima liberetur è purgatorio. Quæritur. Vtrum bene dixerit sacerdos iste ad interrogationem Alberici?

Videtur bene dixisse. Tum quia extant declarationes Congreg. Rituum apud Barbosam *Collect.* 478. *n.1.* asserentes, Missam pro defunctis celebratam in altari privilegiato nō suffragari, nisi sit *Requiem*, licet in indulto nō exprimatur. Tum quia hæ missæ singulariter ad id ordinatæ sunt ab Ecclesia. Tum quia in illis speciales preces pro defunctis funduntur; atque hinc easdem missas Sotus *D.* 45. *q.* 2. *art.* 3. vocat magis meritorias & satisfactorias pro defunctis.

Respon. ad quæstionem Alberici Sacerdotem illum non bene retulisse; siquidem ex communi DD. non requiritur, vt ad liberandam animam è purgatorio dicatur in altari priuilegiato missa *de Requiem* sive *de mortuis*; sed sufficit quælibet alia, nisi nominatim Missa pro defunctis in indulto exprimatur, quod tamen non fit nec in Brevi pro ara huius Ecclesiæ, nec facilè in alijs Bullis pro alijs altaribus privilegiatis. Ratio prioris est. Quia Missa de Dominica & sanctis, ac quælibet alia pro tempore occurrens non minus est satisfactoria pro defunctis, quàm illa de Requiem.

Cæterum

Cæterùm putat quidem Gavantus *in Com. Miss. p. 1. tit. 4. n. 3.* Missam votivam (eadẽ est ratio Missæ pro defunctis) non posse dici die Dominicâ. Sed adversatur ei ipsa Rubrica *tit. 4. c. 3.* aiens, Missas quaslibet dici posse pro arbitrio Sacerdotis, quotiescunque officium, non est duplex. Atqui die Dominicâ officium non est duplex. Ergo &c. Imò cum Rubrica Missalis solùm directiva sit, non apparet, cur missæ tam votiuæ quàm de Requiem quouis die festo dici nequeant, modò summa Domini festa excipiantur. Ratio posterioris est. Quia expressio illa determinatæ missæ habet se tanquam requisitum, sine quo posito nec conceditur, nec obtinetur indulgentia, vt rectè Ema. Rodriq. *Quæst regul. Tom. 2. q. 97.* & alij. Vnde si Papa concedit, vt in certo altari per octauam Commemorationis Fidelium defunct: anima è purgatorio liberari possit, celebrando Missam de defunctis, non nisi tali obtinetur indulgentia ista; quæ Missa proinde ipsâ etiam Dominicâ intereand. octauam dici debet, siquidem latere non possit Pontificem, intra illam octauam interuenire diem Dominicam.

Ad primum in contrarium ait Pellizarius apud Dianam P. 9. Tr. 2. resol. 8. Declarationem Cardinalium non facere legem vniuersalem, sed solùm sententiam probabilem. Ad secundũ dicimus, Missas has ab Ecclesia

rectè esse ordinatas pro animabus defunctorum, non tamen velut vnicum esse medium, quo illæ iuventur, posseque maius earum meritum & satisfactionem aliunde compensari, maiore scil. devotione erga sanctos, & istorum precibus ac intercessione. Atque sic patet etiam ad tertium.

VI. *Amurates miles in exercitu Imperatoris Turcici in nupera irruptione in Morauiam ingentem inde retulit prædam. Post aliquot hebdomadas is ipse Amurates venit in manus Leopoldi militis in exercitu Imperatoris Romani, qui eum & vitâ & omnibus bonis ex Moravia asportatis spoliauit. Quæritur. Vtrum Leopoldus bona hæc mobilia Amurati erepta restituere debeat ijs, à quibus iste iniustè eadem priùs in Morauia abstulerat?*

Videtur, teneri Leopoldum restituere ea bona dominis suis. Tum quia bona hæc manent sub dominio priorum dominorum, cum Amurates deprædator nullum in illa ius acquisiuerit. Tum quia si Leopoldus eadem bona ab Amurate emptione vel donatione accepisset, ex communi Theologorum restituere Dominis prioribus debuisset. Ergo etiam iam ad hanc restitutionem tenetur, dum ab Amurate capto abstulit. Tum quia spolijs illis multa erant immixta, quæ ad Ecclesias & Personas Ecclesiasticas spectabāt: item duo iuuenes in seruitutē turcicā tracti. Atqui ista Leopoldus debet restituere. Ergo & alia quæuis ex Morauia exportata. Resp.

Resp. Bona Amurati erepta iure naturæ veris suis Dominis sunt restituenda: iure tamen Cæsareo retineri possunt à Leopoldo. Ita Molina *D.* 118 *tota.* Coninck *de Actib. Supern. D.* 31. *dub.* 7. *n.* 122. & plerique alij Theologi. Ratio prioris partis est. Quia priores Domini in Morauia per iniustam prædatoris turcici ablationem non amiserunt dominium in bona sua, sicuti non amisissent, si per quemuis alium bona illa furtim fuissent asportata. Ratio posteioris est. Quia bona hæc prædacea ex *L. si quid bello* 18. *iuncta postlim.* 5. *ff. de capt. & postlim. reuers.* fiunt capientium, si hostes illa deportârunt ad præsidia, locáue tuta, quia tunc reputantur, ac si essent ipsorum hostium propria. Nec dubium, inquit rectè Tanner *Tom* 3 *D* 2. *Q.* 6. *n.* 76. ob commune bonum, tum ad lites vitandas, tum ad milites exstimulandos posse humano iure introduci, vt res eiusmodi spectent ad capientes, vt in simili patet ex lege præscriptionis.

Ad *primum* in contrarium dicimus, iure quidẽ naturali manere bona hęc siue prędatione siue furto ablata sub dominio priorum dominorũ: iure tamen positiuo Cæsareo ius illorum bonorum prædaceorum transferri in milites recipientes eadem à prædatoribus illis. Ad *secundum* negari anteced. à P. Emanuele Sa in primis editionibus *V. bellum n.* 4. & mordicus à P. Dicastillo de Iust. *L* 2 *Tr.* 2.

D. 10. *dub.* 17. §. 8. *n.* 427. sed quidquid sit de hoc. Negamus consequentiam, quia priuilegium istud est concessum militibus, qui hæc bona hostibus eripiunt: non autem ijs, qui illaemptione vel donatione ab ijsdem accipiunt, vt præter alios aduertit Drulenchius *in Decal. Tom.* 2. *L.* 5. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 5. Non obstat, quod ementi bonâ fide rem furto ablatam dominus pretium restituere non debeat, sicuti tamen debet in præsenti, si pretium illud sit rationabiliter expensum. Non obstat, inquam. Tum quia prædicta bona prædacea supponuntur in gratiam domini empta, non furtiua. Tum quia fur tenetur emptori de euictione, non autem hostis, quem iniquum possessorem fuisse constat. Ad tertium, ab hoc priuilegio militibus concesso eximi tum ipsos homines siue liberos siue seruos, tum bona Ecclesiæ & Ecclesiasticorum, vt rectè Molina *D.* 118. *cit. in fine.*

VII. *Arnulphus Clericus aduertens concubinam suam prægnantem suadet huic, vt abortũ faciat, nî malum vtrique ingens parere velit. Acceptat illa Consilium, & reipsâ abortum, fœtu iam animato, procurat. Sic infamiæ ereptus Arnulphus mox acquirit pingue beneficium Ecclesiasticum, idque annis tribus integris pacificè possidet. Post hæc stimulis conscientiæ actus, rem totam aperit Confessario scire cupiens, num Beneficium & fru-*

fructus retinere porrò tutò possit. Quæritur. Quid Confessarius faciendum dicat Arnulpho?

Videtur Arnulphus teneri ad restitutionem tam beneficij, quàm fructuum perceptorum, nec retinere deinceps posse. Ita P. Layman *L.3.Tr.1.c.8. n.16.* Palao *Tom.2. Tr.13. D.2. pun. 33. n.3.* Cardin. Lugo *de iust. D.7. n.109.* & plerique alij Doctores. Tum quia Arnulphus non habet titulum huius rei acquirendæ. Tum quia ob irregularitatem, quam incurrit, inhabilis est ad præscriptionem faciendam. Tum quia caret bonâ fide; malæ fidei autem possessor nullo vnquam tempore præscribit *c. possessor de reg. Iuris in 6.* Tum quia sic tandem triennalis possessio etiam Hæretico, Iudæo, & Laico prodesset, quod est falsum.

Resp. Arnulphum tutâ Conscientiâ posse beneficium & fructus retinere, nec ad vllam obligari restitutionem. Ita Ludouicus Gomez *Regula de triennali. quæst. 26. §. quibus non obstantibus.* Philip. Probus, & alij, quos citat, & reipsâ sequitur Sanchez *L.7. in Decal. C.29. n.87. & L.2. Consil. moral. c. dub. 31. n.20.*

Ratio desumitur ex Regula Cancellariæ 33. relatâ apud Lugo *n.* 104. Vi cuius, qui beneficium Ecclesiasticum triennij spacio pacificè possedit sine ingressu Simoniaco, violentia, & intrusione, ius in eo acquirit. Atqui Arnulphus beneficium Ecclesiasticum pacificè possedit iusti triennij spatio, non Simoniacus,

non violentus, non intrusus, sive (quod idem est) provisus de beneficio reseruato, reservatione in corpore Iuris clausa. Ergo Ius in eo acquirit. Ergo retinere potest, nec ad vllam obligatur restitutionem. Confirmatur ex praxi Rotæ; dicit enim Gomez *loc. cit.* ita quotidie observari in Rota sine aliqua dubitatione.

Ad primum in contrariũ dicimus cum Sanchez *loco Consiliorum Moral. citato*, Arnulphũ habere titulum Coloratum, qualem habent omnes ad effectũ huius regulæ, qui in eadẽ nõ excipiuntur. *Ad secundũ* hanc infirmitatem, & inhabilitatem ob irregularitatẽ procurati abortûs sanari & tolli per triennalem pacificam possessionem, vt docet Gomez *loc. cit.* Ad *tertium* bonam fidem non requiri ad talem possessorem, vt docent Couarr. *Reg. poßessor* 2. P. *Parag.* 10. *n.* 10. & alij. Ratio est, quia vi huius possessionis non præscribitur titulus in beneficio, sed prohibetur possidentis molestatio, & beneficij impetratio; qui effectus cùm obtineri non possit, si regula solùm possessoribus ex bona fide faveat, vt per se patet, clarè sequitur, Pontificem non requirere bonam fidem ad talem possessorem; quæ tamen bona fides hocipso postea accedit, quod elapso triennio possessor iudicare valeat, salvâ iam conscientiâ beneficium, omnesque reditus possidere se posse. *Ad quartum* Negamus paritatem,

ritatem, quia Hæreticus, Iudæus, Laicus, nec capacitatem habent, inquit Gomez *cit. quæst. §. sed breuiter.* personæ recipientis titulum, quod secus se habet in Arnulpho Clerico.

VIII. *Bamba sacerdos è Societate IESV ex itinere divertit ad monasterimm quoddam, & in hoc pernoctans obseruatur à monacho huius Cœnobij, qui manè nō petità facultate à Prælato suo venit ad illum Patrem, & confiteri eidem in conclavi suo petit. Quæritur. Vtrum Bamba Monachum istum audire & absolvere possit.*

Videtur posse. Quia Paulus III. Pontifex Confessarijs Societatis nostræ facultatem dedit absoluendi quoscunque Christi fideles ad eos vndecunque venientes. &c. Ergo etiam Monachos, aliosque quoscunque Religiosos, vt constat ex compend. priuilegior. *V. Absolutio.*

Resp. Bambam non posse audire, & à peccatis absoluere Monachum huius Monasterij, nisi præsumere possit D. Prælati consensum seu expressum seu tacitum. Ita ex Communi TT. Palao *Tr. 23. D. vnic. pun. 14. n. 11.* Nam quamuis Societas IESV prædicto priuilegio gaudeat, quia tamen plerisque Ordinibus Religiosis peculiari priuilegio à Sede Apostolica concessum est, vt ipsimet regulares nulli confiteri possint sine Prælati sui seu Superioris consensu, adeò vt confessio aliter facta nulla & inualida existat, sicuti testatur E-

lamas

lamas 1. *part. Methodi. c. 7. p. 4.* & ſpecialia priuilegia (qualia ſunt ea, quæ ad bonum regimen Ordinis, & obedientiæ tenorem ſeruandum, peculiariter ipſis conceſſa ſunt) derogant generalibus, è quorum numero cenſeri debet priuilegium Societati conceſſum ad audiendos quoſcunque fideles, idcirco à conceſſione iſta excipiendi ſunt Religioſi aliorũ Ordinum, quos regulariter noſtri Patres abſoluere non poſſunt, niſi à ſuis Superioribus licentiam habuerint. Dixi *regulariter*; quandocunque enim Religioſus ex Superioris ſui licentia iter facit, Abbas cenſetur ipſi permittere, vt, quando ex conſuetudine vel præcepto confitendi aut communicandi tempus adeſt, extra Monaſterium ſuum cuiuis Sacerdoti idoneo etiam non approbato ab Epiſcopo confiteri poſſit, eò qui Tridentinum *ſeſſ. 27. can. 15.* Epiſcopi approbationem non requirat in Confeſſario Regularium, ſed tantùm ſæcularium & ſacerdotum; quamquam in his attendendæ ſint conſuetudines & ordinationes cuiuſque Religionis, ſi enim in quibuſdam conſuetudine vel conſtitutione introductum ſit, vt Regularibus ſuis non liceat confiteri (excepto neceſſitatis caſu) niſi expoſitis in ſuo ordine, id in ſingulis Monaſterijs & Collegijs obſeruari oportet, vt rectè Elamas *loc. cit.* vbi inſuper hæc duo obſeruat. *Primum*, quando duo ex Monaſterio mittuntur

tur peregrinatum, tacitè dari facultatem, vt vnus alteri confiteri possit, si vel vnus vel vterque eorum sit Sacerdos. *Alterum*, quando in Iubilæo vel per Bullam Cruciatam datur generatim facultas fidelibus, confitendi cuiuis sacerdoti approbato & exposito, tale priuilegium non extendere se ad Regulares eorum Ordinum, qui habent speciale priuilegium, vt eorundem religiosi confiteri non possint, nisi ei, quem superior ipsis designauerit. Sed potestne Bamba saltem tacitum Prælati consensum in proposito casu præsumere? Resp. Affirmatiuè. Tum ex bono & spirituali profectu, quem in suis vehementer desiderare quilibet Prælatus iure præsumitur. Tum ex raritate casûs, qui perinde se habet, ac si Bamba facultatem petiisset à Prælato audiendi & absoluendi vnum ex Monachis certissimò concedendam.

IX. *Barbara deuota virgo magno desiderio tenetur Sacræ Eucharistiæ quotidie sumendæ, ideóque assiduis precibus facultatem huius à Confessario impetrare contendit, quam ei tandem concedit; dum autem Barbara hâc facultate vtitur, & quotidie communicare cernitur, varia ex eo hominum iudicia & sermones oriuntur, alijs id laudantibus, vituperantibus alijs. Quæritur. Rectène Confessarius Barbaræ quotidianam Communionem concedat?*

Videtur bene concedere. Ita Ioannes Sancius

cius *in disp. select. vbi à disp.* 22. *vsq; ad* 31. acerrimè quotidianam Communionem propugnat. Petrus Vincẽtius de Marcilla, & Maurus de Valderas duo PP. Benedictini apud Card: de Lugo *de Eucharist. D.* 17. *n.* 6. Mouentur 1. Authoritate SS. Patrum quotidianã Communionem suadentium. Item Concilij Trident. hanc desiderantis in fidelibus *sess.* 22. C. 6. 2. Vsu primitiuæ Ecclesiæ. 3. Fructu magno ex quotidiana Communione percipiendo. 4. Dispositione, quæ vnica requiritur, & in multis quotidie reperitur, nempe puritas conscientiæ à culpa lethali. 5. Exemplo Sacerdotum quotidie celebrantium.

Resp. 1. Posse, per se loquendo, Sac. Communionem singulis diebus etiam feriâ sextâ Parasceues recipi. Ita Communis Doctorum. Quia sumptio Sacræ Eucharistiæ nullo die prohibetur, cum nullum huius prohibitionis præceptum sive diuinum sive Ecclesiasticum extet. Vnde S. Thom. *in* 4. *Dist.* 12. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *Si aliquis*, inquit, *experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare.* Resp. 2. Spectando communnem hominum statum non expedire omnibus in gratia existentibus quotidianam Communionem. Ita S. Thom 3. *part. Q.* 8. *art.* 10. S. Bonavent. *in* 4. *dist.* 12. *p.* 2. *q.* 2. S. Antoninus, Albertus Magnus, Rich-

Richardus, Alensis, Paludanus, Dionis. Carthusianus, Suarez, Henriquez, Coninck & ceteri Theologi tam Veteres, quàm Recentiores plerique. Ratio est, quia ad hoc Sacramentum congruè & decenter excipiendum requiritur non solùm status gratiæ, sed etiam affectus coniunctionis cũ Christo, & reverentia tantæ Maiestatis. Atqui vix vnquam reperire est hominem Laicum, apud quem ob varia impedimenta in quotidiana communione fervor amoris augeatur, & reverentia tanti Sacramenti non minuatur. Ergo, loquendo vniuersim, & considerando communem hominum statum, non expedit omnibus in gratia constitutis quotidiana communio quod pulchrè indicat D. Thom. *loc. cit. in c.* aiens: *Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis dispositionem vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Respon. 3. Loquendo speciatim, quinam vel quotidie, vel frequentius S. Eucharistiam sumant, id arbitrio pij ac prudentis Confessarij relinquendum est. Ita ex communi Cardin. de Lugo *lo. cit. n.* 28. Dicastillo *de Eucharist. D. 9. n. 443.* Palao *Tr. 21. D. vnic. pun. 16.* & alij. Ratio desumitur ex generali & omnibus receptissimo principio, quod in rebus ad spiritum pertinentibus debeat quisque Patris spiritualis consilio stare,

re, nec suo se arbitrio regere, quæ regula si in vllis alijs, certè in frequentatione Sac. Eucharistiæ quàm maximè attendenda est, ne id, quod in bonum animæ datur, in magnum eiusdem malum cedat. Sapiens autem Confessarius vix vlli vnquam quotidianam Communionem permittet, cùm vix animam, licet sanctitatis famâ claram, sit reperturus ritè dispositam ad quotidianam Comunionem, vt testantur Sanctorum historiæ: binam verò, aut etiam ternam Comunionem in vna hebdomade propter cõcurrentia festa concedere subinde per annum poterit, si hoc ex peculiari dispositione, tum ad sumentis spiritualem profectum, tum ad Sacramenti debitam reuerentiam iudicauerit. Cui non obstat *Regula 26. Sacerdotum Societatis nostræ,* in qua præscribitur ijs, vt admoneant propensos ad frequenter communicandum, ne crebriùs, quàm octauo die accedant, præsertim si sint coniugati; nam tunc temporis, cùm regula illa conderetur, tanta erat Sac. Communionis raritas, vt maior frequentia absque perturbatione multorum concedi aliquibus prudenter non posset: nunc verò, mutatis circumstantijs, neutiquam regula illa prohibet Confessarios in concedendo esse liberaliores, vt satis colligitur ex limitatione, quæ de coniugatis additur. In casu ergo nostro, quemadmodũ putamus, Confessarium binam Communionem

nem singulis hebdomadibus benè rectèque Barbaræ concessurum fuisse, ita omnino nobis persuademus, ipsum quotidianam Communionem malè eidem permisisse.

Ad primum in contrarium dicimus, SS. Patres & Concilium Trident: intelligi oportere, si debita adsit dispositio, quam tamen non facilè in Laico reperiri quotidie, aut præsumi posse, ex dictis constat. Ad *secundum* Vsum hunc feruori illius prioris sæculi proportionatum fuisse, qualis hoc æuo non facilè deprehenditur. Adde etiam, tunc vsum illum probabiliter vniuersalem non fuisse, & coniugatis etiam communem. Ad *tertium*. Fructum ex pluribus communionibus minùs feruentibus hauriendum vnâ feruentiore compensari, & tantùm fructûs spiritualis ex vna hac, quàm illis multis acquiri posse. Adde denuò, non tantùm sumentis bonum, sed etiam Sacramenti reuerentiam attendi debere. Ad *quartum*. Positâ dispositione puritatis à lethali posse quidé permitti Communionem sacram, maximè vrgente præcepto, sed non suaderi quotidianam; aliàs eodem etiam die, quo quis adulterium, pollutionem voluntariam, & similia scelera commisit, expediet sacra Communio, modò absolutio Sacramentalis intercedat, quod nemo facilè concesserit, si vnum vnicum Ioannem Sanchez planè hac in re exoticè singularem excipias. Ad *quintum*,

In Sacerdotibus peculiarem esse rationem, eò quod vi statûs sui ministri sint publici Ecclesiæ, vt huius nomine sacrificijs Deum placent, eumq; hominibus propitium reddant, ideóque ipsius Ecclesiæ puritas acceptos illos facit & aptos, si in gratia existant, vt eâ ratione magis deceat celebrare, quàm abstinere, vt bene Dicastillo *loc. cit. n. 463.*

X. *Barnabas dum in gentili quadam prouincia plures ad fidem Christi conuertit, & baptizat, incidit in hominem iam adultum, sed à natiuitate cæcum, surdum, & mutum. Quæritur. Vtrum iste baptizari possit?*

Negat Diana *P. 9 Tr. 6. Resol. 2. §. sed pro Coron.* Ochagauiam secutus. Tum quia, cùm talis capax sit consensûs & dissensûs, exspectari debet eius voluntas. Tum quia potest habere aliquem obicem respectu gratiæ Sacramentalis.

Affirmat Coninck *Tom. de Sacram. Q. 69. art. 12. n. 94.* ratus, vix posse talem habere sufficientem rerum præsentium moralem notitiam ad peccandum, adeóque instar perpetuò amentis esse, quem baptizari posse, communis Theologorum concedit.

Resp. Hominem istum sub conditione baptizandum esse propter dubium de capacitate & requisita dispositione, quod dubium oppositæ sententiæ recèns allatæ apertè mouent. Nam in dubio de capacitate subiecti, si v.g.

si v.g. in monstro solùm caput sit ferinum, cætera autem omnia humanam formam præseferant, plerique volunt, baptismum sub conditione administrari debere, vt videre est apud Layman *L. 5. Tr. 2. C. 6. n. 13.* Item ob dubium debitæ dispositionis in suscipiente Sacramentum Pœnitentiæ in aliquibus casibus administrari potest sub conditione, vt omnes concedunt. Ergo etiam in præsenti ob dubium tum de consensu, tum de dispositione requisita Sacramentum Baptismi sub conditione administari potest; sic enim ex vna parte irreuerentia cauetur Sacramenti: ex altera verò debitè succurritur animæ periculo. Et ex his patet etiam ad fundamenta oppositarum illarum opinionum.

XI. *Basiliscus Iudex ex priuata & certissima sententia scit, Basilium, qui in carcere detinetur, esse innocentem, quem tamen testes & aliæ probationes legitimæ planè probârunt homicidam. Quæritur. Vtrum Basiliscus morti adiudicare Basilium possit?*

Videtur non posse. Ita Abbas, Rosell. Angelus, Lyranus, Sà & alij apud Covarr. *L. 1. variar. c. 1. n. 3. & 6.* quibus accedunt Sylvius *in 2. 2. D. Thom. q 66. art. 2. conclus. 2.* Petrus Navarr *L. 2. de Restit. c. 3. n. 161.* & præter alios Lessius *L. 2. de Iust. c. 29. dub. 10. n. 78.* Mouentur. Tum quia occidere innocentem est intrinsecè malum, sicut cognoscere non

ſuam. Atqui nemo poteſt licitè cognoſcere non ſuam quantumvis, vt talis, per teſtes legitimè probetur, & à Iudice comprobetur. Ergo &c. Tum quia medium, quod fini intento certò cognoſcitur contrarium, non debet adhiberi, etiamſi aliàs communiter adhiberi ſoleat. Atqui allegata & probata, ſecundum quæ alioquin communiter ſententia ferri conſuevit, non ſunt media, vt veritas innoteſcat. Ergo &c. Tum quia per Epykiam in hoc caſu prudenter conijcitur, eam eſſe Legislatoris mentem, vt veritas prævaleat publicè allegatis & probatis.

Reſp. 1. Baſiliſcum, antequam aliquid pronuntiet, teneri adhibere omnia media, quibus innocentem Baſilium è mortis periculo liberet. Sumitur hæc reſponſio ex lege charitatis, quâ iubemur auertere graue damnum proxmi, præſertim iniuſtum; in quem ſenſum intelligendum illud Chriſti Luc. 6. *nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini &c.* Media autem communiter afferuntur iſta: auertere accuſatorem ab accuſatione: teſtes diligenter examinare ad deprehendendum iudicium variationis & falſitatis: providere, vt ijdem per prudentes corrigantur: litem protrahere: carcerem aperire, & dare locum fugæ: cauſam ad Iudicem Superiorem remittere: demum, ſi hæc omnia non ſufficiant liberando reo, abdicare ſe officio &c.

Reſp.

Resp. 2. Si Basiliscus pleraque hæc, aliàque media adhibuit, nihílque ijs effecit: nimis autem incommodum & arduum accidat, officium Iudicis deponere, posse ipsum iuxta allegata & probata procedere, & Basilium, quem priuatim innocentem novit, publicâ sententiâ morti adiudicare. Ita S. Thom. 2. 2. *Q. 67. art.* 2. Caiet. Baunez, Salonius, Aragon. Sotus de Iust. *L. 5. q. 4. art.* 2. Valent. *Tom* 2. *D. 5. q* 11. *pun.* 2. Azor *P.* 1. *L.* 2. *c.* 17. *quæst.* 8. Tanner *Tom.* 3. *D.* 4. *Q.* 4. *dub.* 2. *n.* 51. Covarr. *lo. cit.* Baldellus *L.* 4. *Theolog. Moral. D.* 15. *n.* 24. & hoc teste alij quámplures. Ratio est. Tum quia Iudex in ferenda sententia publicam personam, & quidem ipsius communitatis gerit. Ergo prudenter & rationabiliter vti potest scientiâ publicâ, quæ ipsi communitati probabilis redditur. Tum quia occidens aggressorem in sui defensionem non peccat, vt habet communis Theologorum, cùm directè non intendat occisionem alterius, sed sui defensionem. Ergo etiam Iudex per allegata & probata procedens damnansq; innocentem non peccat, cùm itidem directè non intendat innocentem occidere, sed fungi officio publico, & seruare iuris ordinē. Tum quia ex communi ferè doctrina potest judex secundùm allegata & probata aliquem damnare pœnâ exilij, aut pecuniariâ, quem ex priuatâ scientiâ nouit innocentem. Ergo

etiam pœnâ mortis, quæ enim disparitas? Tũ denique quia charitas non obligat judicem ad liberandum innocentem cum tanto dispendio & incommodo proprio, quando ipse non est in culpa, sed alij, cùm præsertim innocentiæ non consuleretur, etiamsi Basiliscus officio cederet, sed ab alio successore Basilius idem damnum pateretur.

Ad primum in contrarium negamus, intrinsecè esse malum, damnare innocentem, qui legitimè probatur nocens. Negamus etiam institutam paritatem vel ex eo, quod in casu matrimonij omnis omnino desit authoritas, cui coniux practicè se cõformare possit: quod secus est in judice, qui defectus authoritatis signum est latentis intrinsecæ rationis & disparitatis; esto fortè nondum ista sufficienter sit ostensa, vt opinatur Card. de Lugo *de Iustit. D. 37. à num. 43.* qui idcirco cum nonnullis distinguens dissentit à nobis in causis criminalibus: consentit in ciuilibus. Sed iam diximus rationem disparitatis solidam afferri non posse. Ad *secundum* dicimus, medium non adhiberi imprudenter, si ad finem immediatum & minùs principalem est quidem inutile: attamen vtile, imò necessarium ad finem principalem, qui in re præsenti est publica obseruatio iustitiæ & legitimi processũs in humanis iudicijs. Ad *tertium*, non esse locum Epykiæ, vbi constat contrarium tum ex ve

bis legis, tũ ex naturali ratione etiam secundùm præsentes rerum circumstantias.

XII. *Bassus singulari affectu fertur erga certam quandam Ecclesiam Ordinis Mendicantium, in eàque confessiones & communiones suas peragere solet; & cùm nuper festum B. V. Mariæ Annuntiatæ in tempus Paschale inciderit, sumptâ ibidem S. Communione non repetiit eandem amplius in suæ Parochiali Ecclesia. Quæritur. Vtrum præcepto annuæ Communionis satisfecerit?*

Videtur satisfecisse. Ita Rodriquez *Tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 56. art. 3.* Beia *in Respons. part. 4. casu 4.* Sorbo *in compendio priuil. V. Communicare.* Vega 4 *Part. Casuum Conscientiæ. casu 4.* & alij apud Dianam *P. 2. Tr. 14. Resol. 73. & P. 6. Tr. 7. Resol. 58.* Mouentur maximè ex eo, quod Nicolaus V. concesserit Monasterio B. Mariæ de Cuadalupe, vt omnes Christi fideles illuc confluentes possint Eucharistiam ibidem sumere, etiam in Paschate, & satisfacere præcepto annuæ Communionis; quam dein concessionem Pius IV. & Pius V. extenderunt ad omnia monasteria illius ordinis S. Hieronymi. Quo posito, clarè infertur, omnes alios Religiosos per priuilegiorum communicationem eâdem potestate frui. Nec refert, quod fortè priuilegio hoc non fuerint vsi, quia, vt docetur de LL. per non vsum non amittitur priuilegium in grauamen aliorum non cedens, quale est præsens.

Resp. Probabilius esse, Bassum non satisfecisse præcepto annuæ Communionis. Ita Suarez *de Relig. Tom.* 4. *Tr.* 10. *L.* 9, *c.* 3. *n.*8. Nauarr. Azor, Palao *de Euch. Tr.* 21. *D. vnic. pun.* 19 *n.* 5. & communiter alij, in quorum sententiam etiam inclinat Facundez *de* 3. *præcepto Ecclesiæ L.* 1. *c.* 5. *n.* 16. contrariam opinionem approbare non ausus Nam vero-simile est, extensionem factam à Pio IV. & Pio V. non esse admissam à Religiosis S. Hieronymi, siquidem eâ nunquam vsi sunt: & multò minùs admissam esse ab aliis Religionibus, vti de nostra Societate manifestè constat *ex compend. priuileg. V. Euchariſt.* § 21. Priuilegium autem, vt vim habeat, acceptationem requirit, vt docetur de Leg. Refert etiam Diana *part.* 6. *loc. cit.* declarationem S. Congregationis anno 1638. editam, in qua ex mente Summi Pontificis hac de re rogati expressè habetur, omnes Laicos Sacramentum Eucharistiæ de manu proprij Parochi teneri suscipere, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant; intellige absque consensu Pastoris saltem interpretatiuo siue præsumpto, hunc enim sufficere, rectè notat Tambur. *in expedit. commū. c.* 4. §. 4. Atque ex his etiam constat ad fundamentum contrariæ opinionis.

XIII. *Calao Princeps duos ex suis subditis habet homicidij reos, vtrique horum vitam, si vellet, donare posset. Verùm vt spectaculum præbeat Nobilibus*

bilibus ac Militibus suis, mandat, vt armis congrediantur, & alter in altero mortis sententiam iure meritam exsequantur. Quæritur. An hoc Calao imperare: Rei autem exsequi possint?

Videtur vtrumque fieri posse: Ratio est. Tum quia vterque mortem est promeritus. Ergo Iudex potest, si Minister iustitiæ esse velit, alterutri mandare, vt decretum mortis in altero exsequatur. Ergo rei Iudici mandanti parere possunt. Tum quia lex charitatis permittit, vt quis vitam suam præferat vitæ alterius. Ergo si alteruter occidendus sit, permissum est cuiuis, alterũ occidere, ne ipse occidatur. Tum quia Lessius *L. 2. c 9. dub 8. n. 47.* post vtrumque Nauarrum, & alios docet, te iniustè accusatum posse acceptare duellum ab accusatore vel Iudice oblatum ad euitandam damnationem mortis, grauem fortunarum iacturam, &c. cur ergo non in præsenti?

Resp. 1. Calaonem Principem reos homicidij tali duello committere non posse. Ita Maior *in 4. Dist. 15. q. 23.* Comitulus, & alij, quos refert & sequitur Layman *L. 3. Tr. 3. Part: 3. c. 5. n. 1.* Difficile autem est, rationem huius solidam afferre. Præ alijs hæc placet. Iudex non debet abuti potestate suprema puniendi malefactores, cum acceperit eam à Deo in bonum Reipubl. esset autem abusus iste, si malefactoribus decerneret pœnam, vt hominibus ad voluptatem & recreationem

ſpectaculum ederet, præſertim cum tempore inſtantis mortis Rei animum ad Deum intentum habere debeant, non ad alterius necem. Confirmatur. Modus iſte puniendi eſt in Eccleſia prorſus inuſitatus, ac proinde non approbandus. Reſp. 2. Reis etiam licitum non eſſe oblatum à Calaone Principe duellum acceptare. Sequitur hæc reſponſio apertè ex priori; ſi enim Iudex non habeat poteſtatem imperandi aut concedendi eiuſmodi duellum inter duos reos, neque ipſi rei congredi poterunt; ſiquidem nemo poteſt congredi ad alterius necem, niſi publicâ & legitimâ authoritate. Vnde mirum ſanè, in hac parte diſſentire à nobis Laymannum loc. cit.

Ad primum in contrarium dicimus, vtrumque fuiſſe quidem mortem promeritos: & Principem alterutri executionem mandare poſſe, ſed modo debito (qualis non eſt iſte) & ſic reos etiam parere mandati poſſe. Ad *ſecundum* etiam dicimus, id rectè permitti à lege charitatis, ſed cæteris paribus, ſi nimirum legitima adſit poteſtas ad talem congreſſum & modum præferendi propriam vitam vitæ alterius. Ad *tertium* negat Palao *Tr. 6. Q. 5. p. 7. n. 12.* poſt Abulenſem & alios, te in hoc caſu duellum acceptare, aut Principem, vel accuſatorem offerre poſse. Quidquid autem ſit de hoc, diſparitas inter hos caſus clara eſt, quod in priore illo mera intendatur recreatio

inter

inter duos reos: in posteriore autem isto quæratur defensio iusta innocentis ab aggressore & damno graui.

XIV. *Campanus Confessarius ait, accidere subinde, vt aliquis veniat ad confessionem statim inde ad S. communionem sumendam abiturus, qui tamen fatetur, se præcedente nocte pollutionem vel voluntariè fecisse, vel præter voluntatem passum fuisse, aut solius voluptatis causâ actum coniugalem exercuisse: se autem valde hærere, num istud absque vlla veniali culpa fieri permittíve possit? Quæritur. Quid hac in re sentiendum?*

Videtur talem sub veniali per aliquod temporis spatium teneri, abstinere se à sacra communione, ita post Sanchez & alios Card. de Lugo *de Euch. D.* 17. *n* 22. Tum quia olim fuit prohibitum, accedere ad Eucharistiam post actum coniugalem. Tum quia qui per aliquod temporis spatium non abstinet, videtur aliquam Christo puritatis & Castitatis authori facere irreverentiam. Tum quia sicut indecens est, vt pollutus accedat ad conuiuium Principis, ita indecens est, vt carnali peccato pollutus ad tantum sacramentum accedat. Tũ quia huiusmodi actus exercitus nõ parũm abstrahere solet mentẽ à diuinis, adeóque devotionem impedire, cum qua hoc sacramentum sumi oportet.

Respon. Talem, per se loquendo, post prædictos actus accedere ad sacram Eucharistiam,

ſtiam, & à Confeſſario permitti poſſe. Ita Ioannes Sanctius *in ſelectis Diſp.* 23. & poſt alios magni nominis DD. relatos apud Dianam *tum alibi, tum P.* 10. *Tr.* 16. *Res* 33. P. Dicaſtillo *de ſacram. Tom.* 1. *Tr.* 8. *D.* 9. *dub.* 14. *n.* 245. Probatur. Tum quia accedens dignè ad ſac. Euchariſtiam non peccat venialiter. Atqui talis accedit dignè: Ergo &c. Prob. Min. Iuxta Conc. Tridentinum dignè accedit, qui nullius ſibi peccati mortalis eſt conſcius. Atqui talis eſt tam is, qui actum coniugalem ſolius voluptatis causâ exercuit, aut pollutionem præter voluntatem paſſus eſt, quàm qui hanc voluntariè quidem fecit, attamen per confeſſionem ſe probauit. Ergo, &c. Tum quia purificatus per confeſſionem eſt iuſtus, amicus, & Filius Dei. Ergo non facit iniuriam Deo, accedendo ad Euchariſticam huius menſam, nec cenſeri poteſt accedere ad iſtam Principis menſam pollutus. Tum quia ſacra communio multa homini dignè accedenti præſtat bona. Ergo non facilè talis ab eadem eſt arcendus, niſi alia cauſa aliud poſtulet, vnde ſignatè dixi, *per ſe loquendo*.

Ad rationes in contrarium dicimus, ſi quid probent, ad ſumum euincunt congruitatem aliquam, nullam verò obligationem etiam ſub veniali. Præceptum non accedendi ad ſac. Euchariſtiam poſt actum coniugalem, ſi quod olim propter peculiarem aliquam circumſtan-

cumstantiam extiterit, iam pridem cessauit, vt omnes fatentur.

XV. *Cassius debebat Cassandro 100. florenos, eosque soluit, sed non recepit ab eo apocham. Cassandro mortuo hæredes bonâ fide iterum exigunt illos 100. florenos. Cassius destitutus probatione pecuniæ iam semel numeratæ Cassandro à Iudice condemnatur ad soluendum hæredibus. Quæritur. Vtrum Cassius stare hâc sententiâ teneatur, quam scit materialiter iniustam: aut occultæ compensationis viâ vti possit?*

Videtur non teneri: Quia iniusta sententia non inducit obligationem. Nec tamen idcirco vti potest occultâ compensatione, si illos centum florenos iterum soluit. Tum quia ex communi DD. non licet priuato inuadere munus Iudicis, quod in proposito attentaret Cassius. Tum quia sic non solueret, vti tamen iussus est à Iudice.

Resp. 1. Cassius in conscientia obligatus est ad soluendum 100. florenos hæredibus postulantibus. Ita communis, & ratio est, quia legitimæ judicis sententiæ parendum est: neque vnquam permissum est, subdito contra Magistratum potestate suâ legitimè vtentem insurgere siue resistere. In proposito autem casu sententia & condemnatio legitimè fuit lata, vtpote secundùm publicas leges; Iudex enim in mandatis habet, vt secundùm allegata & probata iudicet. Ergo Cassius tenebitur

nebitur obtemperare, neque poterit publicæ & legitimæ poteſtati ſe opponere, ſicuti nominatim docet Suarez *L. 5. de leg. c. 10. n. 3.*

Reſp. 2. Nihilominus Caſſius ius habet poſt factam ſolutionem eoſdem centũ clam ab hæredibus recipere, vel occultâ compenſatione vti. Ita ex communi ferè Leſsius *l. 2. c. 29. d. 10.* Ratio eſt. Tum quia de iure Naturæ & Gentium eſt, vt poſsit quis ſibi ſatisfacere, quando aliâ viâ ſibi debitum habere non poteſt, vt accidit in præſenti. Tum quia ſententia Iudicis ex facta præſumptione ſecundum publica allegata procedens eò quidem ſe extendit, vt condemnatus parere ac ſoluere cogatur, & Iudici reſiſtere non poſſit, vt diximus: non tamen vt factâ ſolutione re ipsâ auferat ius ac dominium innocenti, atque in alterum transferat ante exactum præſcriptionis tempus. Optimè huc Sotus *l. 3. de Iuſt. q. 3. art. 5.* ſententia, inquit, iniuſta (materialiter) ius neque aufert, neque confert. Imò ſi Caſſius etiam iurâſſet ſoluerè, poſſet tamen compenſatione occultâ vti ſine metu periurij, vt poſt plures AA. docet Sanchez *L. 3. Sum. c. 17. n. 15.* quia in iure ſoluiſſe intelligitur non tantum is, qui ſoluit, ſed omnis omnino, qui eâ obligatione liberatus eſt, ſed Caſſius compenſationem occultam faciens, liberatur. Ergo, &c. dummodo non intenderit contrarium iurare, dum iurauit.

Quo-

Quocirca ipsimet hæredes, si post latam sententiam & factam solutionem rei veritatem intelligant, in conscientia tenebuntur restituere acceptum. Nam præsumptio cedit veritati in conscientiæ foro: quod autem attinet ad forum externum, satisfit Iudici ex præsumptione falsa procedenti externâ solutione.

Resp. 3. Si Cassius condénatus moraliter certus non sit, sed quouis modo dubius, num sententia Iudicis iniusta sit materialiter, compensatione vti non potest. Ita Molina Tr. 2. D. 691. Ratio est. Tum quia in dubio pro Superiore & multò maximè pro Iudicis sententia præsumendum, siquidem ad Iudicem pertinet, controuersias definire, eiusque definitione etiam in contrarium standum. Tum quia in dubio melior est conditio possidentis; ille autem, cui secundùm sententiam Iudicis solutio facta est, est possidens. Ergo &c. Atque ex his patet etiam ad rationem in contrarium.

XVI. *Christophorus ante annos 50 fundauit beneficium in Ecclesia quadam Parochiali, reseruato sibi suisq; hæredibus jure patronatûs. Quindecim pòst annis cum Beneficiatus instituendus esset, hæredes ob ignorantiam neglexerunt præsentare, sed solus Parochus præsentauit, nemine contradicente vsque ad hunc diem. Nunc hæredes repertis litteris fundationis, in quibus sibi jus præsentan-*

sentandi competere intelligunt, litem Parocho mouere intendunt. Quæritur. An jure id facere possint?

Videtur non posse. Quia Parochus longi temporis possessione pacificâ videtur præscripsisse. Nam communis DD. sententia est apud Lessium *L. 2. cap. 6. dub.* 10. Molinam T. 2. D. 70. & alios, res immobiles (inter quas connumerantur jura, vel beneficium Ecclesiasticum, vel patronatus, &c.) contra Laicũ præscribi 30. annorum spatio sine titulo. Atqui Parochus 35. annis integris post primam præsentationem fuit in pacifica possessione patronatûs. Ergo videtur iure præscriptionis tutus esse, vt lis ei intentari non possit.

Resp. Hæredes Christophori bonâ conscientiâ contra Parochum agere posse productis fundationis litteris. Nam dato, non concesso, quod Parochus contra hæredes, quibus ex voluntate Fũdatoris ius præsentationis debetur, præscripserit, est tamen probabilis sententia Greg. Tholosani *L.* 40. *syntag. c.* 1. *n.* 8. *& c.* 10. *n.* 2. per præscriptionem legibus ciuilibus introductam non tolli ius & actionem naturalem, quæ cuiuis competit ad suam rem prosequendam; quamuis eiusmodi ius & actio eâ ratione inefficax sit, quatenus per exceptionem elidi possit ex legum ciuilium beneficio: si autem exceptio non apponatur à reo conuento, petitionem institui posse eius,

quod

quod iure naturali debetur. Fieri autem fortè potest, vt Parochus ignarus subtilitatum juris nihil de præscriptione opponat, sed visis fundatoris litteris jure patronatûs cedat, tunc hæredes poterunt se conformare probabili illi Tholosani opinioni in eo fundatæ, quod jura nolint sua beneficia ignorantibus & negligentibus prodesse, licet contrarium huius post Gloss. & Bartolum doceant Layman *L. 3. Tr. 1. c. 8. n. 23.* & alij. Quidquid autem sit de hoc.

Negatur, quod Parochus præscripserit jus præsentandi. Nam seruitutes & iura, quæ habent actus discontinuos v. g. ius agendi currum per alterius agrum, &c. sine titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali, iuxta *l. seruitutes. ff. de seruitutib.* & ex communi docent Sylvester *V. Præscriptio. 1. q. 7. dicto* II. Lessius *l. 2. c. 6 n.* 28. Layman *l. 3. tr. 1. c. 9. n. 5.* & alij. Cuius ratio est, quia, cum actus interrupti sunt, non ita facilè aduertuntur; quamobrem longius tempus requiritur ad præscribendum. Atqui in proposito patronatus habet actus omnino discontinuos, quia fieri potest, vt Parochus non nisi semel atque iterum Beneficiatum præsentârit, hæredibus ignorantibus vel non aduertentibus, &c. Ergo non sufficit tempus 30. aut 35. annorum, sed requiritur immemoriale, vt insinuat etiam Couar. *Reg. Possessor. p. 2. §. 10, n. 8.* At-

que sic etiam patet ad rationem in oppositum.

XVII. *Cleophas Confessarius magnâ anxietate procedere dicitur in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, longoque examine multa plerumque investigare: subinde etiam interrogare consuetudinem præteriti relapsûs non absque gravi fastidio & pudore pœnitentium, qui idcirco conqueruntur, & passim de eo malè loquuntur. Quæritur* 1. *Vtrum Cleophas teneatur examinare pœnitentes?* 2. *Vtrum pœnitens de consuetudine peccandi interroganti Cleophæ teneatur respondere?*

Videtur 1. non teneri Cleopham examinare pœnitentes. Ita Ioannes Medina *Cod. de Confess. q. 23.* quia hoc non requiritur ad integritatem confessionis sufficientis ad veniam à Deo impetrandam, sed satis est, si pœnitens sufficientem diligentiam adhibeat, nec culpâ suâ hanc prætermittat. 2. Obligari pœnitentem respondere Cleophæ Confessario de consuetudine peccandi interroganti. Ita Cardin. de Lugo *de pœnit. D. 14. n.* 172. asserens contrarium esse contra omnes Theologos, contra praxin Ecclesiæ, & finem huius Sacramenti; quia Confessarius tanquam Iudex & Medicus habet jus interrogandi ea, quorum notitia necessaria est ad vtiliorem correctionem, & pœnitentiæ impositionem.

Resp. 1. Cleopham, si vel certò nouit, vel prudenter

prudenter timet pœnitentem ex negligentia examinis siue culpabili, siue inculpabili, adeóque ex mera tarditate aut ignorantia integrè non confessurum, nisi examinetur, obligari ad interrogandum, & peccata in memoriam ei reducendum. Ita plerique Theologi, quos citat & sequitur Cardin. de Lugo de pœnit. D.22. n. 17. Ratio est, quia Confessarius est Iudex, ac proinde, quando aliud non obest & facilè potest, tenetur efficere, vt omne crimen deferendum ad suum tribunal & in eo iudicandum ritè deferatur, & iudicetur. Atqui in nostro casu potest facilè fieri, & nihil obest, quò minùs fiat. Ergo obligatur interrogare; quippe ipsius est, præcauere defectum pœnitentis, non solùm, quantùm pertinet ad formalem integritatem ex parte ipsius pœnitentis, sed etiam materialem, si commodè potest, & aliud non obstat, vt causam ipsam totam, sicuti reuera est, cognoscat.

Obseruat tamẽ prudenter Vasquez *in 3. part. Q. 93. art. 3. dub 7.* in rem præsentem hæc quatuor puncta. 1. Cùm videt Confessarius, moraliter sufficientem diligentiam esse adhibitam à pœnitente, nõ esse necessarium interrogare, etiamsi fortè interrogationibus suis aliquid aliud esset reperturus. 2. Nõ esse necessariũ interrogare, quando nouit Confessarius, pœnitentem satis scire ac intelligere, quæ ad substantiam confessionis requirantur; secus

est de rustico aut quouis ignorante, si omittat necessaria, & indistinctè sua exponat; tunc enim Cõfessarius ex officio suo Iudicis & Medici tenetur causam & morbũ pœnitentis exactiùs inuestigare. 3. Interrogationes à Confessario non debere esse molestas, longas, & enucleatas, sed statui & qualitati cuiusq; pœnitentis conuenientes. 4. Rusticos aliosque rudiores homines, si absque præuio examine ad confessionem accedant, non facilè remittendos esse, vt secum ipsi examen priùs instituant, sed paucis interrogationibus citò expediendos. Atque hæc obseruanda, quia minùs fortè obseruat Cleophas, sibi laborem, alijs verò molestiam grauem creat, malèque de se loquendi ansam præbet.

Resp. 2. Pœnitentem non teneri respondere Cleophæ de consuetudine peccandi interroganti, si sciat, non indigere se directione Confessarij ad cautelam in futurum. Ita Ioannes Sanchez *in Disp. selectis. D 9. n. 6.* Nauar. *C. 21. n. 38.* Caspar Hurtadus *D. 9. de pœnit. Difficult. 4. §. Obseruandum.* & alij apud hos. Ratio est. Tum quia non potest pœnitens cogi ad confitenda bis eadem peccata, vt omnes concedunt. Ergo nec ad aperiendam peccandi consuetudinem, cùm hoc aliud non sit, quàm eadem peccata iterum confiteri. Tum quia esto pœnitens pessimam habeat consuetudinem, si tamen verum habeat dolorem, & emenda-

emendationis propositum, sitque moraliter de cautela in futurum certus, absolui potest à peccatis, quæ modò clauibus subiecit absque vlteriore indagatione circa consuetudinem peccandi, vt ipsimet docent Aduersarij, cùm in nullo statu peccati maneat. Ergo etiam nõ respondens interrogationi de eadem consuetudine absolui debet, cùm notitia huius consuetudinis malæ non sit necessaria ad directionem pœnitentis: & iste ius habeat, vt ceptum in se Sacramentum pœnitentiæ per absolutionẽ perficiatur, si absolutè hoc dignus reperiatur.

Theologi omnes, Praxis Ecclesiæ, & finis Sacramenti huius non volunt, pœnitentem teneri ad quælibet interrogata respondere Confessario, sed ad ea solùm, quibus iste indiget ad illius directionem. Atqui in proposito non indiget Cleophas notitiâ consuetudinis peccandi, cùm, vt ponimus, directionẽ eius in futurum pœnitens non habeat necessariam. Atque ex his patet ad argumenta in contrarium.

XVIII. *Codratus Sacerdos est à confessionibus Fabiano equestris ordinis & magnæ authoritatis viro, quem malè dispositum cum absoluere nollet, adeò id Fabianus sensit, vt vindictam sumpturus de grauissimo crimine Codratum accusaret, & in apertum vitæ periculum conijceret; quo facto Codratus hærere cepit, num ad vitæ suæ defensionem*

nem manifestare posset negatam à se absolutionem tanquam vnicam causam illatæ calumniæ & præsentis miseriæ. Quæritur. Vtrum Codratus facere hoc licitè possit?

Videtur posse. Tum quia ex comuni Theologorum obligatio sigilli sequitur ex confessione, quæ hoc ipso non est peracta, quia absolutio negata. Tum quia Fabianus grauissimis suis calumnijs non meretur silentium tam arctum, vt non potius liceat vim vi repellere. Tum quia Card. Pallavicinus *in assert. Theolog. L. 7. c. 35. n.* 330. & nonnulli admittunt, licere confessario vti scientiâ confessionis ad tuendam vitam, si inde neque peccatum reveletur, neque pœnitenti damnum immineat grauius. Atqui in proposito Codratus nullum revelat peccatum, nec periculum damni tale Fabianus incurrit, vt facile evadere nequeat. Ergo &c.

Resp. Codratum ad suæ defensionem vitæ dicere non posse, se Fabiano absolutionem Sacramentalem negâsse, atque ex hoc capite calumniam sibi falsò illatam fuisse. Ita post Veteres plerosque omnes Suarez *D. 33. de Pœn. sect. 7. n. 6.* Card. Lugo *D.* 23. *n.* 110. Dicastillo *D.* 3. *n.* 157. & alij RR. communiter. Ratio est, quia ex hac manifestatione negatæ absolutionis sequeretur damnum pœnitenti, & Confessio redderetur valde odiosa, vt per se patet.

Ad

Ad primum in contrarium dicimus, sigillum arctissimum confessionis obligare etiam ex intentione recipiendi absolutionem, etiamsi defacto ob indispositionem pœnitentis non fuerit secuta; vt ex communi omnium DD. tradit Suarez *Dis. cit s. 2. n. 8.* *Ad secundum* esto Fabianus dignus non sit, cui secretum seruetur, adeoque ex hoc capite potius vim vi repellere liceret, Sacramentum tamen dignum est, vt ob eius reverentiam non violetur sigillum, sed alijs modis defensio legitima procuretur, aut vita æterna pro iactura vitæ temporalis à DEO speretur. *Ad tertium* Cardin. Pallauicini & quorumdam doctrinam tolerabilem putant nonnulli in casu, quo actiones ex notitia confessionis exercitæ non sunt signa peccati in Confessione percepti, nec damnum pœnitenti inde evenit: secus si ista eveniant, uti fit in casu nostro, Fabianus enim inde grauium peccatorum & apertæ calumniæ reus agitur. *Dixi non nullos tolerabilem putare doctrinam oppositam*; plerique n. TT. absolutè, & iure merito illam negant ob rationem in responsione nostra adductam?

XIX. *Crato diues mercator, cùm in ciuitate sua abundantiam videret exuviarum bubularum, & vili admodum pretio has vendi, coëmit illas, quotquot venales reperit, eo fine, vt factâ eorum penuriâ cariùs iterum easdem venderet, quod & fecit, maximumque inde tulit lucrum. Quæritur,*

Vtrum Crato monopolium hoc iustè exercuerit?

Videtur non licitè istud instituisse. Ita Sylvest. *V. Emptio. q. 10.* Ioan. Medina *de Restit. q. 30. & 36.* Layman *L. 4. Tr. 4. c. 17. n. 41.* Pet. Navarr. *L. 3. c. 2. n. 83* & plures alij, quos refert & sequitur Salas *Tr. de Empt. dub. 38. n. 5.* Mouentur. Tum quia sic iniustè compelluntur emptores ad augendum pretium. Tum quia iniuria fit Reipublicæ, dum subducitur ipsi pretium rerum infimũ & medium. Tum quia magistratus potest punire Cratonem ob talem suppressionem mercium.

Resp. Probabilius esse, Cratonem prædicto monopolio nihil egisse contra iustitiam. Ita Ludouicus Molina *de Iust. Tom. 2. D. 345. n. 5. Conclus. 3.* Lessius *L. 2. c. 21. n. 151.* Filliuc, Turrianus, Bonac. Palao *Tr. 32. de Iust. commut. D. 5. pun. 34. n. 6.* & alij apud hos, & Salas *Lo. cit. n. 4.* relati. Ratio est. Tum quia hoc reipsâ præstitit Ioseph Patriarcha *Genes. 41.* cùm tempore abundantiæ frumenta emit vili pretio, & postmodum cariùs vendidit, qui tamen nullibi idcirco iniustitiæ arguitur. Tum quia Crato ex vna parte omnes exuuias bubulas coëmens non impedit alios, quin & ipsi emant: ex altera verò parte reseruando illas exuuias ad aliud tempus vtitur iure suo. Ergo ex neutra parte iniustitiam committit. Tum quia nullibi iubetur abstinere se à tali emptione & reseruatione. Tum quia emit has

has merces pretio currente; & eodem iuxta prudentum æstimationem iterum vendit; quæ ergo iniquitas?

Ad primum in Contrarium negamus, emptores iniustè compelli ad augmentum pretij, cùm nullâ lege talis emptio & reseruatio sit prohibita. *Ad secundum* Itidem negamus, Reipublicæ iniuriam fieri propter rationem recèns allatã. Adhæc si quod reipublicæ damnum ex augmento pretij videtur inferri, sufficienter compensatur illud mercium copiâ, quæ tempore necessitatis habetur; subinde etiam in similibus casibus augmentum illud pretij non proueuit ex emptione mercatorũ, merciumque reseruatione, sed ex sterilitate temporis. *Ad tertium* dicimus, si id concedamus cum Lessio, nihil inde concludi aliud, quàm tale monopolium esse aliquo modo contra bonum publicum. Verùm rectiùs negatur, Cratonem puniri idcirco posse, cùm neque contra legem aliquam, neque contra charitatem agat, sed merè vtatur iure suo, donec aliud à magistratu iubeatur, vt rectè Dicastillo *L. 2. Tr. 9. D. 3. Dubit. 10. de 2. genere Monopolij.*

XX. *Crescentia sciens se defloratam nihilominus tanquam virginem adhuc se exhibet, in conventibus locum virginum occupat, in vestibus more virginum caput corollâ ornata incedit, alijsque pluribus modis cæterùm licitis iacturam vir-*

ginitatis tegit, tandem tanquam virgo nubit. Quæritur. Vtrum peccet mortaliter?

Videtur sic peccare. Ita Sotus *in* 4. *Dist.* 29. *Q.* 2. *art.* 3. *post* 3. *conclusionem.* Probatur. Tum quia matrimonium est instar venditionis, teste Tiraquello. *de retract. Conuent. ad finem tituli n.* 70. Venditor autem ex iustitia tenetur vitia rei venditæ saltem occulta indicare, vt cum S. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. docent Authores comuniter. Tum quia mendacium non solùm in verbis reperitur, sed etiam in factis, iuxta D. Thom. 2. 2. *q* 111. *art.* 1. *in Corp.* Atqui Crescentia factis & signis se falsò iactat virginem. Ergo mentitur & decipit virum, cùmque deceptio ista sit in re graui, erit mendacium lethale. Tum quia in vita B. Stanislai Martyris legitur, fœminam aliquam cœlitùs fuisse punitam eò, quod iam corrupta nihilominus instar virginis corollam in capite gestauerit, & ad S. Martyris illius sepulchrum venerit.

Resp. 1. Crescentiam peccare mortaliter, si vir probabiliter putetur defectũ virginitatis cõperturus, & valdè ægrè sensurus. Ita Sanchez *L.* 6. *de Matr. D.* 27. *n.* 9. Dicastillo *de Sacram. Tr* 10 *de Matr. D.* 6. *n.* 387. Perez *de Matr. D.* 24. *sect.* 5. & alij. Ratio est, quia dat occasionem grauem & causam actiuam scandali, ac multorum malorũ inde enasci solitorum, quæ vel lege charitatis, vt vult Perez, vel varijs

rijs alijs titulis, vt putat Dicastillo, vitare tenetur. Resp. 2. Eandem Crescentiam non peccare, si vir non putetur defectum illum deprehensurus, aut deprehensum non adeò sensurus. Ita cit. Authores. Ratio est. Quia absolutè nec contra charitatem, nec contra iustitiam, nec contra aliam facit virtutem; sciunt quippe omnes, solere in matrimonijs vltrò citròque intercedere similes fraudes, vt proinde quoad hoc coniuges cedant juri suo. Adhæc cùm nimis durum & intolerabile onus foret fœminis, vel detegere virginitatis suæ iacturam, vel innuptas perpetuò manere, non videntur vllâ lege ad eam manifestationem obligari, siquidem nec vir solet, aut debet suos proprios defectus propalare, & par vtriusque meritò censetur conditio.

Ad primum in contrarium negamus, eandem esse rationem in cæteris contractibus, cùm non perinde in illis, sicut in matrimonio & ludo communi consensu & vsu receptum sit, vt quisque vitia occulta celare possit. *Ad secundum* dicimus, Crescentiam vsam fuisse illis medijs non animo fingendi se virginem, sed tantùm suum vitium tacendi & celandi, atque ita vtendo iure suo nullum commisisse mendacium, quia, vt ait S. Thom. *art.* 1. *cit. n.* 4. tacere, & bonis medijs occultare vitium, non est mentiri. At verò si media adhibuisset, animo se fingendi virginem, menda-

cium

cium quidem fecisset, sed non lethale, nisi in casu primæ partis responsionis nostræ. Atque hoc animo fingendi se virginem gessit fortasse in capite corollam virginitatis signũ fœmina illa iam corrupta, quæ idcirco accedens ad sepulchrum Sancti Martyris Stanislai meritò fuit cœlitùs punita, esto etiam mortaliter non peccauerit. Et sic patet *ad tertium.*

XXI. *Dalmatius ciuis cùm in campum exiret fructus agrorum suorum inspecturus incidit ibi in Sacerdotem rem cum fœmina quadam habentem, quo viso adeò indoluit, vt mox ipsum invaderet, & fuste, quem in manu gerebat, egregiè excipperet, absque tamen graviore vulnere inflicto, aut sanguine effuso. Quæritur. Vtrum incurrerit excommunicationem?*

Videtur incurrisse *ex Can. Si quis suadente, 17. q. 4.* cùm neque excusetur ex obiecto, siquidem fœmina non fuit ipsius vxor, soror, aut filia, cum quibus solis deprehensum Clericum absque excommunicatione percuti, imò (licet non absque peccato) occidi posse ex communi tradit Bonacin. *Tom. 3. D. 2. Q. 3. pun. 6. sect. 4 n. 6:* neque ex modo, cùm percussio fuste facta omnium iudicio censeatur violentia corpori illata: neque ex ignorantia, cùm probè nouerit, & Clericum esse, & huius percussionem prohiberi, vt ponimus.

Resp. Dalmatium probabiliter non incurrisse

currisse excommunicationem ex contrario fundamento, quod nihil fecerit contra *citatum Canonem.* Tum quia, quando percussione Clerico nulla infertur vis, nihil agitur aduersus illum Canonem, ut communiter docent Theologi, & patet ex ipso textu. Atqui percussione ob defensionem alieni corporis factâ nulla Clerico infertur vis, vt deciditur *C. si verò, &c. ex tenore de Sent. excommunicat.* Ergo &c. Ad talem autem defensionem in proposito facta est percussio Clerici, qui videbatur iniustus aggressor fœminæ. Tum quia, vt percussio Canoni aduersetur, debet & externa læsio esse iniuriosa statui Clericali, & internus animi affectus mortalis, vt benè notant Suarez, Henriquez, Sanchez, Layman *L. 1. Tr. 5. P. 2 C. 5. n. 5.* & alij. Sed neutrum fuit in proposito, cùm percussio ista cõtigerit ex subitâ animi passione, & dolore commissi sceleris, quod statum Clericalem adeò dedeceat, DEVM offendat, homines scandalizet. Ergo, &c.

Ad rationem in contrarium dicimus, Dalmatium excusari ex modo, quia illius percussio neque iniuriosa fuit statui Clericali: neque ex mortali animi affectu processit, sed ex Zelo quodam, licet indiscreto, & subitâ passione non plenè aduertente; quam excusare à Censura, tradit etiam Palao *de Censur. D. 3. pun. 23. §. 2. n. 3.*

XXII.

XXII. *Damianus Medicus in Catholica quadam Ciuitate circa ieiunium vernum ait, in dubia causa se dispensare, & vniversim acquiescere affirmantibus, ieiunare se non posse absq; vlteriore huius indagatione. Quæritur. Rectène hoc faciat?*

Videtur rectè facere. Ita nonnulli apud Fagundez *in 4. præcept Ecclesiæ L.1 c.9. n.2.* Tum quia habent Medici non minùs quàm Parochi ex consuetudine potestatem, vt in ieiunij præcepto dispensare valeant. Tum quia in hoc casu Medici ratione artis vtique melioris sunt conditionis, quàm alij Doctores. Ergo cum isti interpretari possint, in talibus circumstantijs ieiunium non obligare, poterunt & illi in eodem dispensare.

Resp. Damianum prædicto modo dispensando & indulgendo malè facere. Ita ex communi Fagundez *loc. cit.* Ratio fundamentalis est, quia quicunque non est capax iurisdictionis spiritualis, ille non potest dispensare in ieiunio, cùm actus iste procedat ex iurisdictione spirituali. Atqui Damianus Medicus non est capax iurisdictionis spiritualis, vtpote Laicus. Ergo non potest dispensare in ieiunio, sed tantùm debet declarare, illud in his circumstantijs non obligare; quod fieri non posse in causa vel dubia, vel non sat cognita.

Probatur. Nemo potest alterum eximere à lege temerè seu pro libitu, cùm lex sit in possessione. Ergo habere causam, & hanc cognoscere

gnoscere debet. Ista ergo causa vel est euidens, vel dubia, vel non sufficiens? si primũ, potest Medicus declarare, quod ieiunium hîc & nunc non obliget: si secundum, & tertium, non potest, sed requiritur iuris relaxatio, quam facere solùm potest habens iurisdictionem, vt communiter docent Authores.

Ad primum in contrarium negamus, Medicos vel vnquam præscripsisse consuetudinem seu potestatem, vel præscribere eam potuisse; cùm consuetudo etiam immemorialis nihil faciat, quando incapacitas est in possidente, vt notat *Glossa recepta in C. 1. de præscript. in 6. V. non extat.* qualis incapacitas est in Medico Laico respectu iurisdictionis spiritualis ad dispensandum in ieiunio. Ad *secundum* negamus consequentiam, cùm melior conditio Medicorum in hoc solùm consistat, vt in hoc negotio præ alijs consulantur, & dispensans illorum potius iudicio, quàm aliorum acquiescat.

XXIII. *Dara peregrina mulier narrat Confessario suo in jubilæo, maritum suum annis omnino 14. à se abesse, & alibi cum alia agere celebratis cum hac publicè nuptijs: se quidem hactenus tacuisse iudicio doctorũ virorũ à se consultorũ, nũc autẽ denuo anxiam scire velle, quid porro faciat, maximè cũ absque periculo mortis cohabitare marito redeunti nequeat. Quæritur. Quid faciendum dicat Confessarius Daræ?*

Videtur

Videtur Dara tacere deinceps posse, sicut hactenus. Tum quia viri docti hac de re consulti ita sentiunt. Tum quia ex communi Doctorum Filius non debet accusare Patrem, servus Dominum, sed tacere potest. Ergo nec vxor maritum, cui subdita esse debet, accusare tenetur, sed tacere potest, cùm non magis apud illos, quàm apud hanc indecentia quædam in accusatione deprehendatur. Tum quia ex communi sententia, etiamsi vxor aliqua sciat, maritũ suum esse veneficũ, homicidam &c. nõ tenetur eum accusare, sed potest tacere. Ergo nec in nostro crimine Dara accusare tenetur maritum, sed tacere potest. Tum quia omissâ accusatione aut denuntiatione iuridicâ potest vti denuntiatione charitatiua. Ergo omnino etiam tacere potest, cum ad hanc denuntiationem charitativam nemo teneatur, vbi nullus speratur fructus, magnum autem incurritur incommodum, sicuti accidit in præsenti.

Resp. Daram tacere non posse, sed teneri crimen mariti ad superiorem deferre, saltẽ denuntiatione iuridicâ. Ita planè communis Doctorum, dum aiunt, succurrendum esse proximo aut communitati grauiter indigenti, etiam per accusationem, si non sufficiat denuntiatio. Probatur 1. si crimen vergit in detrimentum vel corporale vel spirituale Reipubl. aut alicuius tertij, ex naturali lege tenetur

tur hoc deferre vel per modum accusationis, vel saltem denuntiationis is, qui illud certò novit, & probare potest. Atqui crimen in proposito casu est tale, & certò constat Daræ. Ergo &c. Ma. traditur communiter à Theolog. vt videre est apud Valent. *Tom. 3. D. 5. Q. 12. p. 1.* & desumitur ex illo Leuit. 5. *V. 1. Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam*; vbi naturale præceptum indicari, tradit cum aliis cit. author. Min. patet. Nam secundæ nuptiæ spretis primis vergunt in graue damnum spirituale Reipubl. Christianæ, quod idcirco Trident. *sess. 24. c. 1.* adeó cauere laborauit, vt in irritando matrimonio clandestino, & requirendis ad valorem matrimonij Parocho & testib. præsentibus non habuerit alium finem, quàm vt caueret tales secundas nuptias spretis primis. Insuper maritus duarum simul vxorum habetur infamis, vt ex vtroque iure affirmat Valensis *l. 4. tit. 4. n. 4.* quâ infamiâ nemo notatur nisi ob crimé graue valde Reipublicæ. Prob. 2. quia vnusquisque debet auertere malum spirituale vel temporale, à communitate aut proximo, quo potest modo. Atqui transitus iste ad secundas nuptias est tale malum graue. Ergo Dara auertere illud tenetur vel accusatione vel saltem denuntiatione iuridicâ, cum alius modus non supersit.

Maior inde constat, quod iure diuino & naturali vnicuique mandatum sit de proximo suo, vt scil. auertat malum ab ipso, maximè verò à communitate, optimo quo potest modo. Min. Prob. Tum ex dictis. Tum quia secundæ nuptiæ vergunt in peculiarem ac stabilem contemptum Sacramenti Matrimonij. Tum quia grauis in ijsdem latet contemptus Ecclesiæ, & suspicio hæresis. Tum quia valde per easdem decipitur secunda vxor, & liberi ex hac enati in magnam calamitatem conijciuntur. Tum quia si casu aliquo innotescant, magnum oritur scandalum & perturbatio in foro etiam externo.

Ad primum in contrarium dicimus, viros hos Doctos hîc non esse curandos, nec sufficientes, vt ipsorum authoritate porro stet Dara (etsi hactenus non malè illorum iudicijs acquieuerit) cum nullâ solidâ ratione contra communem aliorum nitantur, & fortè nihil aliud velint, quàm à viâ accusationis abstineri, & mitius medium, nempe denuntiationis, vsurpari posse. Ad *secundum* negamus 1. consequentiam, cùm vxor in nullo jure excipiatur etiam ab accusatione. 2. Negamus etiam anteced. in publico enim crimine nemo repellitur ab accusatione, multò minùs à denuntiatione; quia ad publicam vtilitatem maximè spectat, illud puniri, vt patet *ex L. 1. & seq. ff. de publ. judicijs.* inductio autem

secundæ

secundæ vxoris supra priorem adhuc viuentem est publicum crimen, cum sit contra res diuinas, nempe Sacramentum matrimonij, & in detrimentum Reipubl. Christianæ vergat, vt patet ex loc. cit. Ad *tertium* negamus inprimis consequentiam. Tum quia vxor non potest probare veneficium contra maritum negantem. Tum quia homicidium iam est transactum, & occultum; vtrumque autem secus se habet in proposito casu. Deinde negamus etiam anteced: nam potest etiam vxor deferre per modum denuntiationis maritum veneficum aut homicidam; imò etiam tenetur, nisi fortè homicidium sit iam omnino transactum & occultum, vt benè Dicastillo *de Iust. l. 1. disp. 7. n. 18.* cur autem denuntiare, non verò accusare possit, ratio est, quia ad denuntiationem non requiritur probatio, sicut ad accusationem, vt notat Layman *L. 3. T. 6. c. 3. n. 4.* quam illa probationem facere nequit, vt diximus. Ad *quartum* concedimus, posse Daram vti denuntiatione Euangelicâ, si rei omnino mederi se posse putet; cùm autem moraliter certa sit, se hoc nõ effecturã, tacere prorsus non potest propter rationes allatas, sed maritum vel accusare, vel saltem denuntiare iuridicè Magistratui debet,

XXIV. *Datius præcocis ingenij puer statim post quintum ætatis annum in principijs fidei Catholicæ & litteris instruitur, in quo vtroque studio*

ita proficit, vt ante sexennium non tantùm perfectum rationis vsum prodat, verùm etiam in hoc, & litterarum profectu excellat. Quæritur. Vtrum teneatur ad annuam Confessionem?

Videtur teneri, Nam communis doctrina est DD. *ex Concil. Lateranensi relato Cap. Omnis vtriusque sexûs de pœnit. & remiss.* & Trident. *sess.* 14. *c.* 5. *de reformat.* omnes fideles, cùm ad annos discretionis peruenerint, si mortali peccato grauentur, obligatos esse confiteri. Censetur autem fidelis ad annos discretionis peruenire, inquit Palao *Tr.* 23. *D. vnic. pun.* 20. §. 2. *n.* 1. cum rationis vsu inter bonum & malum distinguere valet, quod arbitrio prudentis Confessarij relinquendum, qui non tam ex ætate, quàm ex ingenio & conditione id colligere debet. Ergo cum in Datio rationis vsus clarè iam eluceat, tenetur suo se Pastori sistere, & statum conscientiæ declarare, etiamsi nullum adhuc commiserit peccatum mortale.

Resp. Datium ante septennium completum non teneri ad annuam Confessionem, vt vt rationis vsu excellat. Ita Ioan. Sancius *in select. D.* 51. *n.* 31. Palao *Tr.* 3. *D.* 1. *pu.* 24. §. 2. *n.* 3. & alij, quos refert & sequitur Diana *P.* 10. *Tr.* 12. *Resol.* 37. Ratio est, quia leges Ecclesiasticæ in obligando procedunt humano modo, ideoque neminem adstringunt ad sui obseruationem, nisi habeat rationis vsum,

quem

quem nunquam præsumunt ante septennium expletum; leges quippe positiuæ, inquit optimè Sancius *loc. cit.* attendunt ad ea, quæ communiter contingunt. *L. nam ad ea. ff. de legib.* Cùm ergo communiter non contingat vsus rationis ante septennium, non debet ante illam ætatem is, cui ex accidenti aduenit, obligari. Quare Datius, antequam septennium expleat, nec ad præceptum confessionis, nec ad alia Ecclesiastica tenetur, sed potest diebus prohibitis vesci carnibus, diuinis interesse tempore interdicti, monialium claustra ingredi, omittere sacrum die festo, &c.

Ad ea, quæ in oppositum allata sunt, dicimus intelligenda esse, supposito septennio; post hoc enim completum (non ante) obligantur omnes fideles vsum rationis habentes: secus si hunc nondum acquisiuerint; imò D. Antonin. 2. *part. Sum. tit. 9 c. 18. §. 1.* Hostiensis *in cap. omnis vtriusque sexûs, de pœnit. & remiss* Sotus *in 4. distinct. 12. q. 1. art. 11. in fine.* & nonnulli putâtunt, pueros ante duodecimum ætatis annum non teneri ad confessionem, quæ tamen sententia communiter ab aliis reijcitur, cùm ex praxi & vsu Ecclesiæ pueri ante hanc ætatem ad alia præcepta Ecclesiæ obligentur, v. g. ad audiendũ sacrum die festo, ad abstinendum à carnibus in quadragesima, &c. Cur ergo à præcepto Confessionis maximè necessario eximantur? Atque

que in hunc ſenſum intelligendus Palao *ex Tract. 23 ſuprà* allegatus, niſi ſibi *in Tract. 3. itidem citato* contrarietur.

XXV. *Dauinus opimam nuper hæreditatem à defuncto patre adijt, quâ iam ad omnem vitæ licentiam fruens vſque adeò ingratus exiſtit, vt, licet moraliter certus ſit, patrem adhuc in piacularibus flammis detineri, nullis tamen ſacris, nullis eleemoſynis, nullis alijs pijs operibus ſuccurrere eidem laboret. Quæritur. Vtrum peccet mortaliter?*

Videtur non peccare. Ita Ioan. Sancius *in ſelect. D. 4. n. 6.* Tum quia præceptum charitatis & pietatis erga parentes ſolùm obligat, dum ipſi viuunt. Tum quia pater iuſtè in igne purgatorio detinetur; filius autem, vniuerſim loquendo, non tenetur ſuccurrere patri per iuſtam ſententiam damnato.

Reſp. Dauinum peccare mortaliter, non liberando patrem à pœnis purgatorij, cum abſque grauiore ſuo incommodo, aut maiore bonorum detrimento poſſit. Ita Azor. *Tom. 2. Inſtit. Moral. L. 2. c. 3. quæſt. 9.* Sayrus *L. 7. Clauis Regiæ. c. 5. in fin.* Dimas *Tr. de purgat. c. 29.* apud Sancium, vbi vniuerſim affirmat, fideles ex præcepto charitatis teneri animas fidelium defunctorum orationibus, Miſſarum Sacrificiis, & aliis operibus iuuare. Pelliccionius *in Quinquagena quæſt. vtrius juris. q. 42.* & alij, quos refert & ſequitur Diana *P. 9. Tr. 9.*

Tr. 9. Resol. 60. Ratio desumitur ex quarto præcepto Decalogi: *Honora Patrem & Matrem tuam,* vi cuius tenetur filius ex communi Doctorum opem ferre parentibus in graui necessitate constitutis: item eos liberare ex carcere, si inibi detineantur. Cur ergo non obligetur ijsdem succurrere summâ necessitate pressis, & in flammeo carcere detentis, vbi merè pati, nihil autem facere pro se possunt?

Ad primum in contrarium patet ex dictis, & planè absque fundamento à Sancio astruitur. Ad *secundum* dicimus, filium teneri succurrere patri etiam iustè damnato, si vllo modo seruare, aut liberare illum possit, cùm ius naturale ad hoc obliget, à quo non eximitur per Iudicis sententiam, vt rectè præter alios tenet Fagundez *L. 4. in Decalog. c. 2. n. 4.*

XXVI. *Demophilus vir pius vltimo die mensis Iulij S. Ignatio Societatis Iesu Fundatori sacro in tēplo eiusdē Societatis pro lucrandis indulgentijs Confessionem & Communionem peregit: postridie verò ad alias indulgentias S. Mariæ de Portiuncula lucrandas visitavit quidem templum Patrum Franciscanorum, in eoque preces persoluit, confessionem tamen & communionem non repetijt, cum maximè nullius gravioris culpæ sibi conscius esset. Quæritur. Vtrum Demophilus absque non a confessione & communione consecuta lucratus sit indulgentias B.V.M. de Portiuncula?*

Videtur non fuisse eas lucratus. Tum quia

Indulgentiæ iuxta verba Bullæ & concessionis sunt explicandæ. Ergo si ibi confessio & communio exigitur, lucraturum has præstare oportet. Tum quia si ex duabus indulgentijs singulæ requirunt eleemosynam, non sufficit paulò ante pro vnis dedisse. Ergo nec confessio & communio pro prioribus peractæ sufficiunt. Tum quia in dubio non est recedendum à proprietate verborum. Ergo cùm expressè requirantur confessio & communio, obire debet hæc Sacramenta, quisquis indulgentias lucrari cupit; hinc non pauci Theologi, quos sequitur Layman *L. 5. Tr. 7. c. 6. dub. 5. assert. 3.* docent, quando in Bulla exprimitur confessio, non sufficere statum gratiæ absque confessione. Cur ergo in casu nostro status gratiæ absque confessione sufficiat, cum hæc expressè requiratur?

Resp. Demophilum absque noua confessione & communione lucratum fuisse indulgentias cætera requisita peragendo. Ita Aloysius Turrianus *in select. Part. 2. D. 31. dub. 64.* & Dedicastillo *Tom. de Pœnit. Tr. 9. D. 2. n. 158.* vbi testatur, multos viros doctos in Hispania hac de re interrogatos sic sentire. Ratio est. Tum quia confessio & communio requiruntur in ordine ad dispositionem animæ, vt existens in gratia possit lucrari indulgentias, quæ dispositio cùm habitualiter adhuc perseueret, non est opus iteratâ confessi-

one

one & communione. Tum quia confessio & communio, quæ proximè ante tempus lucrandis indulgentijs designatum factæ sunt, moraliter censentur intra hoc tempus peractæ fuisse, cum in hisce tempus præfixum non mathematicè sed moraliter sumi soleat. Tum quia vsus fidelium docet, confessionem & communionem paulò ante determinatum indulgentiarum tempus factas sufficere ad illas lucrandas; quando enim in aliquibus Ecclesijs indulgentiæ per modum iubilæi à primis vesperis alicuius festi vsque ad occasum solis sequentis diei indicuntur, multos videmus in pervigilio illius festi matutino statim tempore confessionem & communionem peragere, ac vesperi deinde aut sequenti die templa visitare, ibique orare, quas nemo idcirco reprehendit, quia scil. communi hominum iudicio in hisce moralib. parùm pro nihilo reputatur.

Ad primum in contrarium dicimus, confessionem & communionem paulo ante peractas iuxta verba Bullæ sufficere, cum ista moraliter, non mathematicè explicanda sint, vt diximus. *Ad secundum* negamus consequentiam, disparitas est, quod eleemosynæ non habeant pro primario effectu emundare animã à peccato, sive disponere ad lucrandas indulgentias, sed sublevare aliorum indigentiam, quod idcirco pro duabus indulgentijs requi-

ſitum bis fieri oportet vt rectè Turrianus *loc. cit.* *Ad tertium* ex dictis, conſtat, non recedi hîc à proprietate verborum. *Ad id,* quod ibid. fuit adiectum, diſparitatem damus, quod in hoc caſu confeſſio moraliter non præceſſerit: ſecus in noſtro; quamuis nec in illo priore omnes confeſſionem requirant, rati ſufficere contritionem cum propoſito confitendi, vt videre eſt apud Dedicaſtillo *loc. cit. n.* 153.

XXVII. *Diomedes poſt peractas nuptias, quas Viduus cum Georgia virgine celebrârat, comperit ſe impotentem ad matrimonium conſummandum, atque inſuper aduertit, magnam corporis ſui mutationem, melancholiam & tædium erga nouam nuptam. Adhibentur omnia media, quæ malo curando apta videntur, ſed fruſtra; vnde gravis latentis maleficij oritur ſuſpicio & cupido illius per Magum diſſoluendi. Quæritur. Vtrum Diomedes Magum inquirere, & deſtructionem maleficij, remotis ſignis, poſtulare ab eo licitè poſſit ſpe ſanitatis recuperandæ illectus.*

Videtur non poſſe. Ita Daniel Sennertus *in medicinis pract. L. 6. P. 9. c* 8. vbi citat Eſthium *in* 4. *Sum. D. Thom. Diſt.* 34. *n.* 8. Ioann. Heſtels à Lovanio *in Prælectionibus in* 4. *Sent.* & alios. Mouentur; Tum quia Diomedes requirendo medium à mago, petit id à diabolo, quod non licet. Tum quia tribuit ſignis vim nocendi, quam non habent. Tum quia effectus recuperandæ valetudinis ex amotio-

ne

ne signorum non est â Deo, nec à bono Angelo, nec à causa naturali. Ergo à diabolo. Tum quia consentit pacto, quod Magus cum dæmone habet. Tum quia diabolus etiam, dum prodesse videtur corpori, nocet animæ.

Resp. Diomedem licitè inquirere posse Magum, ab eoque postulare, vt remotis signis maleficium destruat, & pactum cum dæmone de damno inferendo dissoluat. Ita Sanchez *L. 7. de Matr. D. 96. n. 3. Et l. 2. in Decalog. c. 41. n. 19.* Suarez *Tom. 1. de Relig. L. 2. de Superstit. c. 17.* Less. *L. 2. de just. c. 44. dubit. 4.* Delrio *Disquis. Mag. L. 6. c. 2. sect. 1. q. 3.* Palao *Tr. 17. D. 1. pun. 11. n. 8.* & allj communiter. Probatur 1. Destructio signorum ex se non est alligata vni fini, sed potest illam Magus ex pluribus finibus vel ad hunc, vel ad illum dirigere. Ergo potest in illa præcisè intendere dissolutionem pacti cum dæmone de damno inferendo, & neutiquam eius pacti conseruationem. Confirmatur. Si Diomedi data fuissent aliqua signa vana, quibus ex dæmonis pacto promissa est securitas alicuius nocumenti, numquid posset illa destruere? vtique, cum illa retinendo, amicitiam cum Diabolo conseruare: destruendo autem, dissoluere illam censeatur. Ergo destruere maleficium eo fine, vt pactum cum dæmone dissoluatur, est licitum. Probatur 2. Tam intentio in hac destructione, quã illius executio est optima,

&

& ab omni superstitione libera; Quid enim, quæso, mali est, præcisè per remotionem signorum attendere ad dissolutionē pacti cum dæmone, & nocumenti cessationem, nihilque penitus aliud circa diabolum curare? Ergo talis destructio est omnino libera. Probatur 3. Ex praxi (etsi nobis non probata) Iudicum, qui Sagorum & Magorum pilos subinde radi curant, ne in his maleficium fortè lateat, quo insensibiles in tortura reddantur, quod planè nihil est aliud, quàm velle remotis signis maleficium occultum destruere. Ergo talis destructio est honesta & licita. Imò non solùm licitum est hæc signa diabolica destruere, sed ex charitate debitum in eo, qui illa nouit, vt rectè Suarez *lo. cit. n.* 13. cùm quilibet teneatur, si commodè possit, peccata impedire, & pro diuina reuerentia & gloria contra dæmones pugnare. Addit vlterius Lessius *n.* 45. licitum quoq; esse signum contrarium opponere, quo posito, dæmon se obligauit, à nocendo desistere, dummodo signum oppositum sit bonum, aut saltem indifferens, atque eo fine assumatur, vt cesset dæmon à nocendo, & dissoluatur confœderatio facta. Quare Sagam percutientem te, licitè repercutis.

Ad primum in contrarium negamus, Diomedem quidquam petere a Diabolo, cùm aliud non intendat, quàm ut tollatur incentiuum,

quod

quod ille ad nocendum habet. Ad *secundum* dicimus, signis nullam penitus vim tribui, sed illa reputari solùm conditiones, quibus positis vel sublatis, velit diabolus nocere, vel à nocendo desistere. Ad *tertium* concedimus, effectum recuperandæ valetudinis per accidens à dæmone prouenire, quamuis Diomedes illum effectum, quatenus spe consequendæ sanitatis fuit illectus, destruendo maleficium directè & immediatè consequi neutiquam intendat, sed solùm remotè & indirectè. Ad *quartum* negamus, Diomedem consentire pacto cum dæmone, quia per Magum eo solùm fine destruit maleficium, vt solvatur pactum cum dæmone: minimè verò ut aliciatur dæmon ad pactum de damno non inferendo seruandum; quam distinctionem, cùm non obseruet Sennertus, imperitè sæpius nostræ sententiæ Authores impietatis arguit, homo aliàs minimè religiosus. Ad *quintum* iterum negamus, diabolum hîc per se prodesse, cùm non excitetur ad beneficium concedendum, sed destructione maleficij dæmonis excitatio potius cauetur ad nocumentum ab illo porrosustinendum.

XXVIII. *Eleazarus Sacerdos in Sacro iam venerat ad Canonem, cùm adest minister porrigens quasdam paruas hostias pro præsentibus consecrãdas, qui id valde flagitant. Sed remittit has Eleazarus, aiens, serò nimis illas fuisse allatas. Quæritur. Vtrum bene remiserit?* Vi-

Videtur bene remisisse. Ita Bonac. *de Sacram. D 4. Q. vlt. pun. 2. n. 6.* Quia ad idem sacrificium pertinent, ad quod hostia grandior. Ergo simul adesse vtrasque oportet.

Resp. Eleazarum malè neglexisse adstantiũ preces, & remisisse hostias paruas, cùm licitè illas (oblatione earundem priùs mente conceptâ) consecrare cum maiore hostia potuisset. Ita Possevinus *de offic. Curati c. 2. n. 17.* Marchinus & Megalius, quos refert & sequitur Dian. *P. 6. Tr. 6. Resol. 7.* Nam oblatio paruarum hostiarum neque ratione Sacrificij, neque vi præcepti coniungi debet cũ maioris hostiæ oblatione, sed sufficit, vtrasq; simul in eodem Corporali reperiri tempore Consecrationis, vt omnes ijsdem verbis consecratorijs æqualiter obijciantur. Non dissentit Barthol. Gauantus *in comment. ad Rubr. Missal. Tom. 1. part. 3. tit. 10. n. 19.* Vbi hoc admittit ante præfationem; sed cur non etiam post, cùm in neutro casu lex aliqua obstet?

Atque ex his patet etiam ad rationem contrariam.

XXIX. *Elesbaan Rex certo in loco Regni sui statuit vectigal, idque sub graui pœnâ corporis & fortunarum exigit. Dunaan mercator sæpius hoc præterit, nihilque soluendo periculo se mercesque suas committit. Quæritur. Vtrum Dunaan defraudãdo vectigal peccet mortaliter, teneaturque ad restitutionem?*

Vide-

Videtur peccare mortaliter, teneriqúe ad restitutionem. Ita Couarr. Sylvest. Armilla, Tolet. Io. Medina, Arragon. Azor. Præpositus, Amicus, Suar. de Leg. *L 3. c. 26. & L. 5. c. 3.* Bonac. *D. 1. de Leg. q. 1. pun. 7. §. 2. num. 2.* Diana *P. 10. Tr. 15. Resol. 46.* & alij plures apud hos relati.

Mouentur 1. Quia de ratione legis & præcepti est, inducere obligationem. 2. Quia leges pœnales non procedunt vniformiter, sed subinde leues, subinde graues pœnas transgressoribus imponunt, quod signum est, tenuiorem vel grauiorem culpam agnosci. 3. Quia pœna supponit culpam *ex C. 2. de Constit. in 6.* 4. Quia lex mixta obligat sub culpâ, ergo etiam purè pœnalis.

Resp. Dunaanum probabiliter non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem. Ita Mart. Nauarr. *in Manuali C. 23. à n. 55.* Reginald. *in praxi Tom 1. L. 15. C. 6. S. 6. num. 50.* Arriaga *Tom. 4. de Leg. D. 21. n. 25.* Palao *Tom. 1. Tr. 3. D. 1. pun. 15. n. 12.* & alij, quibus supra iam *Centuria 1 casu 48.* consensimus. Probatur hoc præcipuo fundamẽto, quod lex non obliget vltra intentionem & voluntatem Legislatoris in materia etiam graui. *L. non omnis. ff si certum petatur. & cap. vlt. de præbend.* Atqui Legislatores in materia purè pœnali præcipiẽtes, vel prohibẽtes aliquid sub pœnâ externa corporis, aut fortunæ, non videntur

habere

habere voluntatē obligandi ad culpam, sed tantùm ad pœnam, ita vt circa obiectum versentur hypotheticè v. g. *fiat hoc, vel homo soluat talem pœnalitatem seu incommodum*: Aut sic: *si non fiat hoc, homo subeat talem pœnalitatem*. Ergo &c. Minor rationabiliter præsumitur, & colligitur ex triplici Capite. 1. Quia hoc nunquam expresserunt, neque etiam de facto in talibus legibus exprimunt. Ergo nō videntur aliter, quàm ad pœnam obligare velle; nam qui ex duobus positis vnū tantùm affirmat, alterum implicitè censetur negare, vt docet Caspens. *ex L. præter ff. de iniurijs.* 2. ex communi regula, quod in dubio sit benignior interpretatio de voluntate Principis presumenda: item quod lex explicari debeat de minori pœnâ, quando nimirum maior non exprimitur *cap. in pœnis* 49. *de reg. Iuris in* 6. 3. Ex fine talium legum, qui cùm temporalis tantùm sit, Reipublicæ felicitas & tranquillitas non postulat peccati coram DEO reatum, sed meris pœnis sufficienter obtinetur. Confirmatur responsio ex vsu; testatur enim Caspensis, quod huc vsque non sit receptum, leges pœnales ad culpam obligare.

Ad primum in Contrarium dicimus, de ratione legis esse, inducere obligationem saltem ad pœnam subeundam propter eius transgressionem, si imponatur. *Ad secundum* ad pœnam Ciuilem sufficere culpam Ciuilem,

Ad

Ad tertium Diversitatem pœnarum non prouenire ex diuersitate culpæ moralis, sed ciuilis & politicæ. *Ad quartum* Disparitatem esse, quod in lege mixta aliquid pœnis absolutè prohibeatur, vel præcipiatur, & deinde primùm pœna statuatur in transgressores, quod non fit in lege purè pœnali; vnde ex illa non possumus colligere talem voluntatem obligandi ad solam pœnam, sicuti ex ista, etsi nõ desint, qui culpam non agnoscant etiam in lege mixta, vt videre est apud Dian. *P. 1. Tr. 10. Resol. 20.* Non obstat, quod Dunaan defraudans vectigalia peccet, exponendo se periculo tam grauis pœnæ subeundæ, v. g. mortis, mutilationis &c. Nam obligatio cauendi hoc malum non prouenit ex vi legis positiuæ, sed naturalis, quâ tenemur vitare pericula mortis, vt bene Palao *lo. cit.* quamuis nec semper peccatum sit exponere se periculo tali, vt communiter notant Authores.

XXX. *Eppollonius Mercator iteratis sæpius votis obstrinxit se ad omnia iniustè parta in quadruplum restituenda. Quæritur. Num revera in hoc casu possit sæpius satisfacere ex justitia?*

Videtur posse. Ita *Card. de Lugo D. 1. de Iust. sect. 2. n. 27.* Tum quia omnis virtus potest elicere aliquos actus promotiuos perfectionis solùm ex consilio seu supererogationis, vt vult P. Sparza *de Iustit. Q 1.* Tum quia pro eodem peccato potest quis sæpius satisfacere, &

plura audiendo sacra idem Ecclesiæ præceptũ implere &c. Confirmatur exemplo Zachæi, qui Luc. 19. ait ad Dominum, reddere se quadruplum, si quid aliquem defraudauit.

Resp. Eppollonium non posse sæpius satisfacere eidem Iustitiæ debito. Ita Card. Pallauicinus *de Iust. c. 4. n. 33.* Dicastillo *de Pœn. D. 1. n. 135.* & communiter alij TT. Ratio est. Tum quia Iustitia vnicè æqualitatem intendit tribuens vnicuique jus suum. Vnde sic licet argumentari. Illa actio nõ potest fieri ex motiuo iustitiæ, quæ æqualitatem, quam inducere ex se intendit, iam invenit inductam. Atqui talis est actio secunda, tertia, & reliquæ post primam, quæ illam iam induxit, hoc ipso quod vi suâ inæqualitatem sustulerit. Ergo &c. Tum quia quod iam extinctum manens extinctum non est capax vlterioris extinctionis: & debitum solutione aut dimissione sublatum tolli amplius nõ potest. Tum quia sic etiam vota sæpius renouata plures inducerent obligationes contra S. P. N. Ignatium *P. 5. Const. c. 4.* Ait fortè Card. Lugo ad priora duo argumenta, sufficere, inæqualitatem & debitum præteriisse. Sed hoc ipso, quòd præteriit, iam non est. quomodo ergo tolli iterum potest? Ad tertium verò, factâ sui traditione non esse in potestate vouentis denuo se tradere. Verùm cum vouens post omnimodam sui traditionẽ possit adhuc alia

vota

vota facere, maximè quæ religioni non præiudicant, cur non priora reiterare, vt nouam inducant obligationem, cum istud sacro ordini nihil officiat? Item quomodo potest aliquis extinctum & solutum debitum iterum iterumque extinguere & soluere, & non etiam factam sui traditionem denuo facere, quoties lubet?

Ad primum in contrarium dicimus, non perinde quamlibet virtutē, ac Iustitiā vnico actu suo totum attingere & extinguere obiectum, vt apertè de gratitudine docet S. Thomas 2. 2. *q.* 106 *art.* 6. quod si alicui certò constet, se iam suo actu satisfecisse præcepto Ecclesiæ, culpam & pœnam deleuisse, non poterit is amplius velle satisfacere, sed alterius rationis actum eliciet, vt rectè Dicastillo *n.* 140. Atque sic patet etiam ad *secundum.* Ad confirmationē dicimus, Zachæum vel egisse id ex præscripto legis *Exod.* 22. vt multi volunt Patres: vel ex abundante charitate, vt sentit Maldonatus *in cit. Lucæ locum.* Quodsi hoc etiam solùm vel simile quid intenderit Eppollonius, & ad id vnicè iuramento se obstrinxerit, vtique tunc (licet alio iam actu, quàm iustitiæ) ad reddenda in quadruplum iniustè parta vi iuramenti obligabitur.

XXXI. *Erastus Mercator Catholicus negotiorum causâ in Suetiā discessit, ubi in grauem incidens morbum, vitaque suæ diffidens sacerdotem petiit, qui eum & à peccatis &*

ab excommunicatione percuſsi nuper Clerici abſolueret, ſed cum alius non adeſſet, quàm Iuliamus ex Religioſo olim presbytero Apoſtata factus, iſte audiuit illum confitentem, & abſoluit. Quæritur. An validè?

Videtur non validè id feciſſe Iulianum. Ita Sotus *in 4. Diſt. 18. q. 4. art. 4.* Navarr. *in ſum. c. 26. n. 26. & c. 27. n. 272.* Ledeſma & alij. Tum quia Iulianus eſt turpis Apoſtata carens fide, adeóque fundamento requiſito ad iuriſdictionem, quæ eſt neceſſaria ad legitimam abſolutionem. Tum quia periculũ mortis ex itinere ſponte ſuſcepto proveniens non eſt articulus mortis, vt docet Sanchez *Tom. 1. L. 2, c. 12. n. 13.* qui tamen articulus hîc vnicè videtur attendi. Tum quia Hermenegildus Filius Regis Hiſpaniæ laudatur à S. Gregorio, quod mori maluerit, quàm Eucharistiam de manu Epiſcopi Ariani accipere.

Reſp. Eraſtum validè fuiſſe abſolutum à Iuliano hæretico & apoſtata. Ita Præpoſit. *in 3. Part. q. 7. dub. 5. n. 40.* Hurtadus *de Pœn. Diſp. 5. diff. 8.* Caſpenſis *ibid. D. 5. ſect. 16* & de Cenſuris *D. 2. ſ. 12.* Card. de Lugo *D. 18. ſ. 2. §. 1. n. 18.* Dicaſtillo *D. 10 n. 360.* & alij. Ratio eſt, quia Eccleſia potuit hanc poteſtatem concedere omnibus omnino ſacerdotibus etiam excommunicatis, degradatis, Apoſtatis, Hæreticis &c. quod autem de facto illam etiam conceſſerit, teſtantur verba hæc Concilij

Tridentini

Tridentini *sess.* 14. *c.* 7. sic vniversaliter & sine vlla limitatione loquẽtis: *piè admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absoluere possint.* Confirmatur. Quia aliàs Erastus in apertum salutis suæ æternæ discrimen conijceretur, quod tamẽ concilium speciatim cauere intendit.

Ad primum in contrarium, negamus, fidem esse fundamentum iurisdictionis, cùm non sit fundamentum characteris, & ita neque clavis in ordinatione collatæ, adeòque nec iurisdictionis actualiter habentis materiam sibi subditam. *Ad secundum* articulum mortis hîc censeri communiter ab AA. probabile eius periculum v. g. ante prælium, longam navigationem, partum &c. vnde vnde proveniens; quia si articulus mortis rigorosè accipiendus esset, iterum saluti multorum non esset ab Ecclesia provisum. *Ad tertium*, Sacramentum Eucharistiæ non esse ita necessarium, ac Pœnitentiæ; & illam Eucharistiæ sumptionem Hermenegildi futuram fuisse quandam Arianismi professionem; quodsi Erastus ex confessione sua apud Apostatam hæreticum graue etiam scandalum eventurum videret, similiter abstinere teneretur, quia aliàs grauiter peccaret non evitando tantum scandalum, & consequenter confes-

sio illa nec valida esset, vt rectè Granadus *in 3. Part. Contr 7. Tr 10. D. 4. § 2 n 9.* In quem sensum intelligendus S. Thom *in 4. D. 10 q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3.* & alij, quando aiunt, non posse validè recipi hoc Sacramentum ab excommunicato non tolerato,

XXXII. *Euentianus campsor Venetus mille florenos numerat Euentio Mediolani post annum soluendos ea lege, vt si solutionem ad 3. menses differat vltra prædictũ annum, præter consuetam cambij prouisionem addere teneatur 50. florenos pro periculo damnorum, cui campsorem exposuit. Quæritur. Vtrum campsarius, si solutionem mille florenorum ad id temporis vltra annum differat, illud interesse saltem in foro conscientiæ soluere teneatur, supposito, quod attentis periculo damni & spe lucri cessantis ab initio sit iustè taxatum, si solutionem mille florenorum ad id temporis vltra annum differat: item quod Bulla Pij V. tale determinatum interesse prohibens in prædictis locis sit recepta.*

Videtur teneri. Ita Navarr. *in Manuali c. 30. n. 301.* Molina, Valentia & nonnulli alij. Quia lex ista fundatur in præsumptione vsuræ, quâ cessante in foro Conscientiæ cessabit obligatio.

Resp. Eventium Campsarium non teneri soluere illud interesse ab initio in pactum deductum. Ita Less. Salas. Filliucius, & alij, quos refert & sequitur Card. *de Lugo D. 28. de Iust.*

Iust. n. 111. Nam licet pactum illud non sit irritum, quia Pontifex non irritat, est tamen illicitum, cum lex non fundetur in falsa præsumptione, sed in veris periculis & occasionibus peccandi, ad quas impediendas prohibet Pontifex vniversim eiusmodi pactum in cambio. Quod idem de alijs legib. humanis cambium vetantibus intelligi debet. *Atque sic etiam patet ad rationem in oppositum.*

XXXIII. *Eutyches debet* 1000 *aureos Eutychio, quos tamẽ præfractè negat, offeriqúe juramẽtum etiam coram Magistratu suæ immunitatis, quod juramentum falsò ipsum præstiturum esse, nouit Eutychius, qui interim ægrè fert tanti debiti iacturam. Quæritur. Vtrum Eutychius siue extra siue intra judicium exigere possit juramentum ab Eutyche, quem scit falsò esse juraturum?*

Videtur non posse. Ita Syluius *in* 2. 2. *q.* 98. *art.* 4. *conclus.* 2. Sotus *de justit. L.* 8 *quæst.* 2. *art.* 14. Basilius Pontius *de Matr. L.* 5. C. 18. *n.* 58. *& num* 60. 61. *&* 62. & plures alij Doctores, quos refert P. Thomas Sanchez *L.* 3. *in decal.* c. 8. *n.* 5. Prob. Tum authoritate S. Augustini *relati in Cap. ille qui. & Cap. qui exigit* 22. *q.* 5. vbi absolutè affirmat, eum, qui cogit alium ad iurandum, quem scit, falsò iuraturum, peccare, & peiorem esse homicidâ. Tum quia in iuramento falso, quatenus falsum est, nullum est bonum. Ergo exigi nequit.

Resp. Eutychium ex iusta causa recuperandi

randi debitum suum licitè siue in iudicio siue extra istud exigere posse iuramentum ab Eutyche, quem scit peieraturum. Ita Less. *L. 2. de Iust. c. 42. n. 49.* Suarez *Tom. 2. de Relig. Tr. 4. L. 3. c. 14. n. 16.* Sanchez *lo. cit.* Bonac. *Tom. 2. D. 4. Q. 1. pun. 11. n. 1.* & plures alij. Ratio est. Quia in petitione iuramenti absolutè nihil mali inuoluitur, cùm possit optimè fieri; quod autem Eutyches iuret falsò, huius malitiæ tribuendum est, non petitioni Eutychij, qui eam malitiam impedire non tenetur cum tanto suo detrimento. Confirmatur. Iudex potest licitè exigere iuramentum in tali occasione, requirente id actore. Ergo petitio talis non est intrinsecè mala. Ergo potest ab ipso etiam actore fieri.

Ad primum in contrarium dicimus, S. Augustiuum loqui de eo, qui postulat, vt iuret alter falsum, ad quod scitur esse determinatus, vt explicat illum Suarez *n. 14.* quod non licere hinc patet, quia ex illa petitione conuincitur aliquis petere iuramentum non absolutè, sed vt iniquitate vestitum. Videtur quidem sentire Sanchez *n. 27.* etiam hoc licere, sicut petere quis potest mutuum ab vsurario sub vsuris, quando aliâ viâ mutuum obtinere nequit. Verùm disparitas est, vt bene aduertit Palao *Tr. 14. D. 1. pun. 10. n. 10.* quia concessio mutui & petitio vsurarum sunt res distinctæ, ac proinde potest quis licitè petere concessionem mutui,

mutui, & permittere vsurarum petitionem; at iuramenti falsitas vel iniquitas ab ipso iuramento non distinguitur. Ergo dari nequit iuramenti petitio, quæ simul non sit petitio falsitatis vel iniquitatis. Ad *secūdum* dicimus, non posse quidem iuramentum falsum exigi, quatenus nullum est bonum: at bene, quatenus aliquam secum trahit vtilitatem, sic enim quemadmodum in iudicio, ita etiam extra hoc licitè exigitur.

XXXIV. *Franco aliquot iam annorum sacerdos magnâ angitur anxietate animi circa tactum materiæ, quasi hunc, cum in sacerdotem ordinaretur, non habuisset physicum: eoque iam devenit, vt actum nullum sacerdotij aliorumque sacrorum Ordinum exercere velit, tanquam invalidè consecratus. Confessarius, vt malo huic medeatur, iubet illum sine solicitudine esse, aitque materiæ contactum physicum non esse de essentia ordinationis ex parte ordinandorum. Quæritur. An verum sit hoc fundamentum, ex quo Confessarius consolationem suam petit?*

Videtur non esse verum, sed physicum & saltem mediatum contactum materiæ requiri. Ita S. Thomas *in 4. Dist. 24. q. 1. art. 1. quæstiunc. 5. ad 3.* Et in supplem. *q. 34. art. 5. ad 3.* Valentia, Sa, Coninck, Bonacina, Palao. & multi apud Dianam *P. 2. Tr. 16. Res. 3. & P. 3. Tr. 4. Res. 185.* Mouentur. Tum ex praxi Ecclesiæ, & sollicitudine tam ordinantium,

quàm ordinandorum circa contactum materiæ physicum præstandum. Tum quia verba illa Episcopi: *accipe potestatem* tradito eius symbolo indicant contactum illum; traditio autem symboli innuit istud ab ordinãdo physicè tangi oportere, sicuti realiter accipitur potestas illo symbolo cõmunicata. Tũ quia Christus potuit sic traditionẽ pro materia ordinationis instituere, vt non cẽseatur perfecta, neque in suo esse constituta, quousque ordinandus symbolum traditum physicè tangat?

Resp. Verum esse fundamentum, ex quo Confessarius solamen hausit, & contactum materiæ physicum etiam mediatum de necessitate & substantia sacramenti non esse. Ita Albertus Mag. *in* 4. *Dist.* 24. *art.* 38. *ad* 2. Scotus *in* 4. *Dist.* 24. *q.* 1. *art.* 1. Caietanus, Victoria, Armilla, Reginaldus, Vasquez, Layman, Dicastillo *Tr.* 6. *D* 1. *n.* 703, & plures apud hos relati. Prob. Tum quia Eugenius IV. Papa in decreto Florentini materiam proximam non solùm appellauit *traditionem* & *dationem*, sed etiam *porrectionem* & *assignationem*, vt scil. innueret, ad Valorem ordinationis non esse necessariam traditionem, sed sufficere porrectionem & assignationem, maximè cùm ipsa vox Traditio soleat etiam significare non translationem ipsius rei, sed porrectionem & oblationem. Tum quia traditio instrumentorum tantùm deseruit ad determinandam potestatem, quæ datur. Atqui

qui ad hoc non requiritur contactus physicus, sed sufficit ostensio præsens cum signo acceptiuo; etenim verè dicitur quis accipere equum, licet illum non tangat, modò præsens sit ostensio, quâ tradatur ab vno, & acceptetur ab altero. Tum quia potest acquiri possessio, & vera interuenire traditio absque reali apprehensione, modò sit aliquod signũ exterius loco illius apprehensionis realis, vt patet tum in aliis, tum in ipso matrimonio, quod non requirit contactum corporis, sed alia signa mutuæ traditionis & acceptationis exhiberi possunt. Ergo &c. Ad hæc si naturalis acceptatio significata ad valorem Sacramenti necessariò requiritur, sequitur, parvulos, qui vsum rationis nondũ habentes huiusmodi acceptationis signum edere nõ possunt, invalidè ordinatum iri, consequens repugnat communi DD. sententiæ. Ergo, &c.

Ad primum in contrarium dicimus, ex praxi Ecclesiæ & sollicitudine Ordinandorum plus colligi non posse, quàm quòd talis cæremonia tangendi materiam ab Ecclesia præcipiatur, vt bene advertit Layman *loc. cit ad 2.* patet ex dictis. *ad 3.* concedimus vtique Christum physicum materiæ contactum requirere ad Sacramenti valorem potuisse: de facto autem talem non requisiuisse, ex omnibus hactenus luculenter constat.

XXXV. *Galatianus calicem argenteum vo-*

ver

vet templo S. Laurentij, quam promissionem acceptat Ecclesiæ Rector, sed quia Galatianus audit, Ecclesiã S. Laurentij prædiuitem esse, ædem verò S. Stephani in tanta esse paupertate, vt non nisi vnicum ex stanno calicem habeat, commutat votum suum, & promissum calicem argenteum Ecclesiæ S. Stephani destinat, & præsentat, ratus hanc commutationem voti sibi licere, tanquam in melius, Deoque gratius factam. Quæritur. Vtrum Galatianus commutationem hanc propriâ authoritate facere potuerit?

Videtur non potuisse. Ita Thomas Sanchez *Tom 1. in Decalog. L.4. c. 41. n. 13.* & communiter alij. Prob. 1. Authoritate Bullæ Greg. XIII. *editæ anno* 1575. in qua conceditur Sacerdotibus Societatis IESV facultas commutandi vota etiam iurata, cùm hac tamen expressa restrictione, dummodo ea commutatio non fiat in præiudicium alterius. Ergo sentit Pontifex, post acceptationem acquiri ius illi tertio; vnde Probatur 2. quia factâ acceptatione votum transit in contractum, & acquiritur ius illi tertio acceptanti, quod ipso inuito remitti nequit. Prob. 3. Si vouens commutationem statim facere possit, vbi apparet melius Deoque gratius. Ergo potest etiam commutare in actum amoris diuini valdè intensum, & ita etiam omnino retinere suum calicem, quod vtique nemo concedet.

Resp. Probabile esse, Galatianum propriâ

Autho-

Authoritate commutationem illam facere potuisse. Ita Caietan. 22. *quæst* 88. *art*, 12. Petrus Nauarr. *L*. 2. *de restit*. *c*. 1. *dub*. 3. *n*. 18. & nonnulli, quorum opinionem refert, & probabilem etiam censet Facundez *L*. 2. *in Decalog*. *c*. 49. *n*. 11. Ratio est. Quia vota pia vltimatè & principaliter dirigunturin DEVM, tanquam in finem *cuius*: minùs verò principaliter & accessoriè in hanc vel illam personam tanquam finem *cui* promissio fit. Ergo per accidens est, quod hæc vel illa persona ius aliquod post acceptationem acquirat, siquidem acquisitio huius iuris fit dependenter à Dei beneplacito, propter quem per se & tanquam finem principalem promissio fit. Ergo in commutatione voti præcipua ratio DEI est habenda, non huius, vel illius personæ. Cum igitur Deus maius obsequium semper habeat gratius, potest vouens suâ authoritate etiam post acceptationem comutare votum suum in id, quod est euidenter melius. Confirmatur. Galatianus, si in aliqua Religione professionē fecisset, adeòque Deo & religioni se tradidisset, posset nihilominus post acceptationē à Religione factam transire ad strictiorem, etsi petitam licentiam nō obtinuisset, vt habetur *Cap*. *licet*. *tit*. *de Regularibus*. quia nimirum votum perinde quodlibet ex natura sua semper in melius etiam post acceptationem potest commutari, vt re-

Cè Caiet. *l. cit n.* 70. aiens, nihil *in cit. cap.* noui juris statui, sed naturam voti solummodo declarari.

Ad primum in contrarium dicimus, Pontificem tanquam priuatum Doctorem in contraria sententia locutum fuisse, nec aliud inde sequi, quàm eandem doctrinam maximè ab Authoritate probabiliorem videri, quod vltro damus, hoc solo contenti, opinionem nostram suâ non destitui probabilitate. Ad *secundum* distinguimus, transit in contractum absolutum, & acquiritur jus tertio absolutum, negamus: dependens à Dei beneplacito, concedimus; cùm autem Deo maius obsequium semper magis placeat, absque vlla iniuria tertij, commutari in illud potest. Ad *tertium* negamus sequelam; nam esto actus amoris in se sit melior, Deoque gratior, quàm oblatio promissi calicis, commutatio tamen voti huius in illum actum non foret euidenter in melius, hoc est, vtilius spirituali profectui vouentis, Deoque gratius, certè hoc nobis minimè euidenter apparet.

XXXVI. *Gaudentius Studiosus ex bonis Patris sui singulis annis per integrum quinquennium in Academia trecentos florenos insumpsit prorsus inutiliter, quippe parum aut nihil in studijs proficiebat, sed solùm cum socijs ludebat, potitabat &c. Quæritur. Vtrum contra justitiam peccarit mortaliter, teneaturque in conscientia ad restitutionem aliquam fratribus faciendam?*

Vi-

Videtur mortaliter peccâsse, teneriqúe ad restitutionem. Ita præter alios Nauarrus *c.17. n.164.* quia Gaudentius non sine iniuria Patris tantùm pecuniæ malè absumpsit in damnum aliorum fratrum.

Resp. Certum esse, Gaudentium peccâsse mortaliter aduersus iustitiam, quando tantam pecuniæ summam contra patris voluntatem abligurijt, quia pater non tantùm quoad absumendi modum, sed quoad rem ipsam inuitus est. An autem idcirco fratribus obligetur restitutionem facere, siue post mortem patris, quæ à se præter alimenta necessaria malè insumpta fuerunt, in partem hæreditatis suæ afferre ac numerare, attendendum esse tum ad facultatem patris, tum ad eiusdem voluntatem, vt rectè docent Lopez *part. 2. Inst. c.* 21. Molina *tract. 2. D.* 242. Layman *L.3 tr.4.c.12.n.7.* & alij. Nam potest pater suo arbitratu in vnum ex liberis maiora & liberiora alimenta quoad victum, vestitum, recreationes &c. conferre, quàm in alios liberos, adeò vt pater, si sit diues, vni filio versanti in Principis aula vel Academia 300. florenos pro sumptibus & alimentis definire queat, cum tamen in alios singulos non nisi 100. expendat, consequenter tametsi Gaudentius 300 illos florenos malè & inutiliter impendat, potest tamé pater illi condonare sine iniuria vel præiudicio reliquorum liberorum,

rum. Vtrum autem pater tali casu præsumendus sit, velle condonare ac remittere, vt in partem hæreditatis malè absumptæ connumerari non debeant, quæstio est facti ex circumstantiis prudenter dijudicanda & examinanda, v. g. an parens liberalis & valdè affectus fuerit erga Gaudentium: an verò tenax & seuerus, vt si sciret, ita insumpta fuisse, nullo modo condonaret filio; præcipuè enim casus iste in foro conscientiæ locum habet, si pater & fratres nesciant, pecunias à Gaudentio malè inutiliterque fuisse absumptas, tunc enim prudentis viri iudicio ex circumstantiis iudicandum est, quænam fuerit mens patris; alioquin si pater & fratres sciant, pecunias malè expensas fuisse, & non repetant, censentur condonare. *Atque sic* etiam patet ad rationem opinionis contrariæ.

XXXVII. *Gelasius Sacerdos hisce diebus acerrimè frigidis cum in sacro ad consecrationem pervenisset, infusum calici vinum advertit congelasse, idque nihilominus consecrauit. Quæritur. 1. Rectène fecerit Gelasius? 2. Si malè, quid facere eum oportuerit? 3 An saltem validè consecrarit?*

Videtur Gelasius & illicitè & invalidè cõsecrasse. Ita Ioã. Caramuel *in Theol. fundamentali fund. 67. §. 1. n. 1325.* Ledesmam, Alanũ, Armillam & nonnullos secutus. Idem tenet novissimè Lessius *in 3. P. q. 74. art. 5. n. 24.* Ratio est. Tum quia vinum congelatum non est potabile.

tabile. Tum quia vinum vuis adhuc inclusum est ineptum consecrationi: item aqua congelata inepta habetur baptismo. Ergo & vinum congelatum non est idoneum consecrationi.

Resp. 1. Gelasium peccasse mortaliter cõsecrando vinum congelatum. Ita fere omnes sentiunt Doctores, vt testatur Palao *Tr. 21. D. vnic. pun. 4. n. 8.* Ratio est, quia in re graui à communi Ecclesiæ consuetudine recessit, & periculo non conficiendi Sacramenti se exposuit. Resp. 2. Gelasium vel resoluere prius debuisse vinum congelatum, si facilè potuit, nullâque accidentium mutatio apparuit: vel illud mutare, si penitus congelatum sit, ac denuo offerre, vt cum alijs docet Layman. *l. 5. Tr. 4. c. 2. n. 5.* Resp. 3. Gelasium validè nihilominus consecrasse. Ita Suarez, Coninck, Præposit. Layman. Palao, Dicastillo *Tom. 2. de Sacram. Tract. 4. D. 2. d. 5. n. 86.* & plerique alij. Ratio est, quia materia consecrationis est vinum. Atqui vinum congelatum absolutè & simpliciter est vinum, cum plerumque huius substantia maneat, vt ex resolutione apparet. Ergo &c. Confirmatur. Sanguis Christi potest conseruari sub speciebus vini congelati, vt affirmauit Pius V. *in Rubr. Missalis de defect. Miss. §. in hyeme.* Cur ergo sub vino congelato non possit primò produci?

Ad primum in contrarium dicimus, vinum

congelatum ſuâpte naturâ potabile eſſe, eſto per accidens ſecundum præſentem ſtatum (qui tamen facilè mutabilis eſt) proximè potari non poſſit, perinde fere vt panis valde durus abſolutè mandibilis eſt, etſi priùs comedi non poſſit, quàm humectetur. Ad *ſecundum* negamus conſequentiam propter diſparitatem; nam vinum adhuc incluſum vuis moraliter habetur vt cibus potius, quàm vt potus, quod ſecus eſt in vino congelato: Item baptiſmus eſſentialiter conſiſtit in ablutione, quæ per glaciem fieri nequit: Euchariſtia verò eſſentialiter non conſiſtit in ſumptione ſeu potatione, quippe perficitur & perfecta manet extra illam; quid ergo mirum, ſi ad hanc materia apta ſit vinum congelatum: non verò ad illam aqua congelata?

XXXVIII. *Gelaſia vxor in cognitionem venit adulterij à marito ſuo commiſſi, ob quod etſi prorſus adhuc occultum ab ipſo diſcedit, & non exſpectatâ ſententiâ divortium facit tam quoad thorum, quàm quoad cohabitationem. Quæritur. An licitè id faciat?*

Videtur illicitè facere. Ita D. Thom. *in 4. Diſt. 35. q. 1. art. 3.* S. Bonauentura, Richardus, Turrecremata & alij, quos refert & ſequitur Baſil. Pontius *L. 9. c. 18. à n. 6.* Tum quia matrimonium Eccleſiæ authoritate eſt celebratum. Ergo abſque huius authoritate diſſoluendum non eſt, vt videtur traditum *c. ſæculares.*

sæculares. c. historia 33. q. 2. c. porro de diuortijs. Tum quia nullus in causa sua iudex esse, sibique ius dicere potest. Tum quia diuortium est pœna nocentis, quam ius ipso facto non imponit, sed judici imponendum remittit.

Resp. Gelasiam secluso scandalo licitè id facere. Ita post plures Sanchez *L. 10. D. 12.* Coninck *disp. 52. n. 2.* Gaspar Hurtadus *D. 11. diff. 6. n. 21.* Pallao *D. 3. de Matr. pu. 6. §. 4.* & Dedicastillo *D. 10. de Matr. dubit. 6.* Prob. Tum quia Christus Matth. 19. absolutè affirmat, licitam esse dimissionem vxoris ob fornicationem. Tum quia *c. dixit Dominus 32. q. 1.* dicitur, *vbicunque est fornicatio, vel suspicio huius, liberè dimittitur vxor.* vbi vox *liberè*, inquit præter alios Dedicastillo *n. 71.* idem est, ac *sine alicuius licentia, aut sententia.* Tum quia nullo iure positiuo prohibetur fieri diuortium absque sententia judicis. Tum quia ea est natura matrimonij, vt coniuges sibi obligentur, donec diuidant carnem suam in alienam. Ergo hâc factâ diuisione cessat obligatio, sicuti cessat quælibet alia promissio cessante conditione, sub quâ fuit tacitè facta. Tum denique quia ius diuertendi non nascitur ex publicitate, sed ex debito; publicitas autem solùm ad scandalum vitandum requiritur.

Ad primum in contrarium dicimus, cum natura matrimonij, vt diximus, obligationem

inducat solùm conditionalem, donec scilicet caro diuidatur in alienam, & Ecclesia hanc naturam approbet, etiam huius authoritate dici potest, prædictum diuortium fieri, nec requiri aliam specialem judicis sententiam. *in cap. sæculares*, sermo est de sæuitia, quæ, cum ab Ecclesia introducta sit tanquam causa sufficiens diuortio faciendo & latitudinem habeat, judicis operam requirit ad hoc, vt de eius sufficientia constet. *c. historia* præcipit vxorem restitui, quia de adulterio non sufficienter constabat. *c. porro* loquitur de solutione matrimonij quoad vinculum, & libertatem alteri copulandi. Ad *secundum*, Gelasiam non dicere sibi ius, sed iure sibi ex natura matrimonij concesso vti. Ad *tertium*, negamus, diuortium esse propriè pœnam, cum sit cessatio obligationis; quamuis vulgariter videatur pœna, & in hanc etiam assumatur.

XXXIX. *Gemesius Religiosus grauibus rupturæ incommodis vexatur breui conficiendus judicio Medicorum, nisi sectionem admittat, quam præcipit Prælatus, hortantur ad eandem alij: ipse verò mavult mortem, quàm illam sectionem sustinere. Quæritur. An bene?*

Videtur malè facere. Nam homo non est dominus vitæ suæ, vt cum S. Thom. 2. 2. *q. 64. art. 5. c.* docent communiter Theologi. Ergo Gemesius non potest de illa disponere pro nutu, sed debet eam licito modo administrare

strare ac conseruare, adeòque in proposito per tolerantiam sectionis iudicio Medicorum necessariæ: multò minùs recusare eam potest, si accedat mandatum Prælati, cuius voluntati iuxta regulam suam se totum tradidit, vt docet Lessius *de justit. c. 9. dubit. 4.* P. Nauarrus *l. 3. c 3.* & plures alij.

Resp. Gemesium non tenere admittere sectionem, etiamsi Prælatus hanc præcipiat, adeòque non malè facere recusando illam. Ita Salonius 22. *q. 65. art. 1.* Dedicastillo *de just. Tr. D. 10. n. 554.* Card. de Lugo *de just. D. 10. n. 21.* & alij. Prob. Tum quia actus iste ob acerbitatem doloris est nimis arduus, & (vt loquuntur) nimis heroicus. Tum quia nemo, per se loquendo, tenetur media extraordinaria & difficilia valde ad vitæ conservationem adhibere, cum iuxta commune adagium *non sit tanto digna dolore salus:* Tum quia res tam acerbæ non minùs ob verecundiam, quàm dolorem, non cadunt sub regulas Ordinis, in quibus Religiosi obedire Prælato præcipienti tenentur, vt bene Lugo & Dedicastillo *lo. cit.* vbi tamen addunt hanc limitationem, nisi Religiosus necessarius esset Reipubl. vel communitati, ac remedium foret omnino securum & certum, quod in casu nostro non est. *Atque ex his* patet quoque ad rationes in contrarium allatas,

XL. *Gennadius elapso belli tempore equum cuidam furtim surripuit, & aufugit. Sed mox in morbum incidens extremè egere cepit, vt cogeretur equum vendere, & præsenti necessitati mederi, quod & fecit. Inde verò ad meliorem fortunam rediens angitur de equo ablato. Quæritur. An restituere pro illo iam aliquid teneatur?*

Videtur teneri. Ita Vasquez *Opusc. de Eleemosyn. c. 1. dub. 8. n. 68.* Pet. Lorca *in 2. 2. D. Thom. q. 32. art. 9. sect. 3. D. 38. n. 14.* Bonac. *D. 3. Q. 4. de charit. pun. 6. n. 16.* & ceteri ita communiter, vt Vasquez affirmet, neminem contradicere. Ratio est. Tum quia ad necessitatem subleuandam opus non est, debitum extingui, sufficit eius restitutionem impediri. Ergo manet obligatio. Tum qnia equus in necessitate illa potuit tantùm mutuo saltem imperfecto & conditionato concedi; cùm Charitas solùm obliget ad subleuandam necessitatem proximi, vt docet Card. de Lugo *de just. D. 15. n. 168.* quæ subleuatio sufficienter etiam fit per talem conditionatam concessionem.

Resp. Gennadium probabiliter non teneri. Ita Petrus à Nauarra *de Restit. L. 4. c. 4. n. 24.* Coninck *de Actibus supern. D. 16. n. 166.* Palao *Tom. 1. Tr. 6. D. 2. pun. 10. n. 3.* & alij Recentiores. Ratio est. Quia Gennadius in hac extrema necessitate equum expendens satisfecit obligationi restituendi antea contractæ, cùm

cùm illum impenderit eo modo, quo tenebatur velle Dominus, illum expendi, si apud ipsum staret. Confirmatur. Si Gennadius in extrema sua necessitate equum Domino suo clam restituisset, eumque statim iterum accepisset, nõ fuisset vnquam obligatus eundem restituere. Ergo nec in priore casu ad hoc tenetur. Nam si res furto sublata apud furem sine eius culpa pereat eo tempore, quo restituta Domino eodem modo apud hunc periisset, fur liberatur restitutionis onere, vt ex communi docet Less. *de just. c. 12. D. 15.* Atqui in nostro casu apud Gennadium ita periit equus; quia, etiamsi Gennadius eum Domino restituisset, & statim, vt poterat, recepisset, eodem modo absque ipsius culpa periisset; quippe Dominus tenebatur illum Gennadio in tali extrema necessitate donare.

Ad primum in contrarium negamus, debitum non extingui in casu nostro, cùm equũ Gennadius expenderit, sicut Dominus eum expendi velle debuit. *Ad secundum* dicimus, esto Dominus potuerit in tali necessitate mutuo conditionato equum concedere. Atqui reipsâ tale pactum non intercessit, vt proinde nullum ex eo remaneat restituendi onus. Deinde plerique Theologi negant, id fieri potuisse, nixi maximè authoritate S. Script. & Patrum, vt videre est apud Palao. *D 2. cit. pun. 4. n. 5.* Certè extremè egens non obligatur ad

ineundum tale pactum, esto fortè, si in illud consentiat, postea eodem stare teneatur.

XLI. *Hatto Sacerdos vrgēte necessitate absq; præuia cōfessione celebrat in peccato mortali solā huius procurans contritionem: nec factâ hâc celebratione confiteri quamprimum properat, sed tam diu differt, donec (præter opinionem quidem) iterum in defectu Sacerdotis ad sacrum dicendum cogatur. Quæritur. Vtrum Hatto ex eo solùm peccauerit mortaliter, quod post celebrationem in peccato mortali quamprimùm confiteri non maturauerit?*

Videtur non peccasse mortaliter. Ita Ledesma & Villalobos, quos citat & eorum opinionem probabilem censet P. Thomas Tamburinus *opusc. de expedita commun. c. 1. §. 6. à n. 45.* Rationem desumunt ex Trident. *sess. 13. c. 3.* non præcipiente, sed hortante solùm ad celerem confessionem, quod suadent. Tum quia particula illa (*quamprimum confiteatur*) non est præcipientis, sed suadentis solùm: sicut nec vocula (*debet*) quâ vtitur Pontifex in Missali, necessariò præceptū mortale importat. Tū quia in dubio melior est conditio possidentis libertatem contra tale onus. Ergo cum non constet, num Concilium intenderit præceptum, an merum consilium, pronuntiandum pro libertate. Tum quia leges præsertim grauiores non ferendæ sunt facilè, ne multitudine illarum peiores Hebræis reddamur, vt sapienter advertunt S. Thomas & D. Augu-

Augustinus *apud cit. Authorem.* Ergo moderatio talis rationabiliter præsumitur apud Sac. Trident. Concilium adhibita.

Resp. Hattonem, per se loquendo, peccasse mortaliter ex eo, quod post celebrationem in mortali peccato non fuerit quamprimum confessus. Sumitur ex Trident. *loc. cit.* vbi habentur hæc verba circa finem: *si vrgente necessitate Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur*; in quibus verbis contineri præceptum & quidem grave seu obligans sub peccato mortali. Probatur. Tum quia ita sentiunt omnes Theologi tam Scholastici, quàm Morales, præter tres citatos, vt testatur Arriaga *Tom. de Eucharist. Disp. 46. n. 45.* & plures illorum enumerat Barbosa *in cit. locum Tridentini*; tantum autem consensum in legis alicuius interpretatione maximi esse faciendum, docetur de legibus. Tum quia Pontifex *in Rubr. Missalis de defectibus dispositionis animæ* apertè declarat præceptum, dum menti Concilij insistens de tali Sacerdote ait, *debet confiteri*, quo loquendi modo sedulò abstinet in aliis, vbi non est præceptum, vt videre est ibidem Tum quia finis Tridentini in allatis verbis haud obscurè & præceptum & grauitatem huius ostendit; voluit enim, inquit Barbosa, cauere irreuerentiam Sacraméti, & consulere Sacerdotum conscientiæ & puritati, qui aliàs, nisi quam-

primum confiteantur, periculo se exponunt, ob similem necessitatem inopinatò ingruentem iterum in mortali celebrandi ante præmissam confessionem; quod vtique est graue, & dignum, quod à Magistratu Ecclesiastico per præceptum apud Sacerdotes caueatur. Vnde sic argumentari licet. Modus imperandi, & particula necessitans quandocunque versantur circa materiam grauem, innuunt præceptum graue, vt comuniter docent DD. Atqui in præsenti adest modus imperandi à Concilio (*confiteatur*) & particula necessitans à Pontifice (*debet confiteri*) & hæc versantur circa materiam grauem, periculum scil. celebrandi in mortali ante præmissam confessionem. Ergo innuunt præceptum graue. Tum denique quia aliàs nullum erit discrimen inter Sacerdotem & Laicum, cùm Concilium frequenter etiam Laicos hortetur, vt conscientiam habentes peccati mortalis in quouis casu confiteri istud non differant.

Ad 1. *Argumentum in contrarium* patet ex dictis. *Ad* 2. dicimus, non apparere vllum dubium de præcepto graui per Tridentinum lato vel apud ipsos Sacerdotes, qui vbique istud in scholis docentur, & probè nôrunt & agnoscunt: vel apud Authores, cum contra omnes Antiquos iuxta ac Recentes vnus & alter aut tertius non sint æstimandi, vt rectè Dedicastillo *de Euch. Tr.* 4. *D.* 9. *n.* 148. maximè

mè si nullum afferant argumentum ab alijs non priùs bene expensum, vti fit in præsenti. *Ad 3.* hanc moderationem in ferendis legibus adhiberi debere, probè sciuit Tridentinum, & nihil contra eam facere se in statuto hoc nouo censuit.

XLII. *Hermogenes ager simul vocat Sacerdotem Religiosum, qui Confessionem suam excipiat, ac Parochum, qui dein se Confessione expiatum mox Sacro viatico muniat. Verùm Confessarius deprehendit Hermogenem à multis annis malè esse confessum, & iam indigere longiore tempore ad defectum hunc resarciendum. Quæritur. Quid cum ipso faciat Confessarius, præsente iam Parocho cum S. Eucharistia eidem ægro porrigenda?*

Videtur Hermogenes admitti non posse ad S. Eucharistiam. Quia iuxta Trident. *sess. 13. c. 7. Et can. 11.* Sac. Eucharistia non potest permitti indisposito. Atqui Hermogenes est indispositus, vtpote existens in peccatis mortalibus, quæ necdum fuit confessus. Ergo &c.

Resp. Cum Granado *de Sacram. Contr. 7. Tr. 9. D. 5. s. 3. n. 20.* si ægro mors immineat, ita vt non supersit tẽpus integrè Confessionis faciendæ, Confessariũ audire debere illa peccata, quæ pro ratione temporis exponi possunt, & deinde factâ generali cæterorum accusatione Hermogenem absoluere, ac statim ad sumendum viaticum admittere: Si verò

mors

mors non immineat, nec ſpatio dimidiæ horæ integra Confeſſio fieri poſſit, debere Confeſſarium excitare Hermogenem ad perfectam contritionem eliciendam, & indicatâ obligatione Confeſſionis integræ alio tempore faciendæ eundem quoque ad S. Euchariſtiam ſumendam admittere: Ratio prioris eſt, quia ſic occurritur omnibus incommodis; nam ſubuenitur infirmo per Confeſſionem & abſolutionem, porrigitur Euchariſtia, & vitatur ſcandalum. Ratio poſterioris eſt, quia ex vna parte eſſet ſcandalum, ſi æger non comunicaret: ex altera verò eſt minùs inconveniens communicare abſque Confeſſione, quàm cum ea præproperè facta.

Ad rationem in contrarium dicimus, Hermogenem pro his circumſtantiis ſufficienter per contritionem elicitam eſſe diſpoſitum, vt abſolutè non dicatur indignus, & cum irreuerentiâ ad S. Euchariſtiam accedere, perinde ferè, ut ille, qui proximè altare recordatur peccati mortalis, nec recedere abſque nota famæ poteſt, ex communi Authorum non cenſetur indignus aut cum irreuerentia S. Euchariſtiam ſumere, ſi contritionem prius eliciat, & Confeſſionem proximè faciendam proponat.

XLIII. *Hoſtilius refert, ſuperioribus germanici belli annis in pluribus altaribus Sigillum, ſeu Sepulchrum fractum, vel etiam amotum fuiſſe, etſi nulla*

nulla de cætero iniuria vel ipsis altaribus vel templis inferretur. Quæritur. Vtrum prædicta altaria post solam illam fractionem aut amotionem Sepulchri reconciliari debeant, antequam Sacra in ipsis denuò peragantur?

Videtur reconciliari debere: Ita Canonistæ, Durand. Angel. Sylvest. Henriquez, Garcias, Emauuel Sa, *V. Altare. n.* 1. & alij. Probatur tum *ex Cap.* 1. *de Consecratione Ecclesiæ.* Tum quia Sigillum istud videtur de essentia & forma altaris.

Resp. Propter solam fractionem aut amotionem Sigilli altaria non esse necessariò reconcilianda. Ita Sotus *in* 4. *Dist.* 13 *q.* 2. Suarez, Vasquez, Coninck, Lugo *de Euch. D.* 20 *n.* 75. Dicastillo *Tom.* 1. *de Sacram. Tr.* 5. *D.* 4 *n.* 146. & alij plures. Quia Sigillum illud non est de necessitate altaris: nec in eo forma huius consistit; cùm ex recepta iam consuetudine altaria consecrentur absque vlla dependentia à reliquijs, ob multitudinem fortè altarium, & paucitatē exploratarum reliquiarum. *In Cap. cit.* non dicitur, altaris consecrationem amitti, si Sigillum frangatur, sed si lapis siue mensa consecrata frangatur, in qua Sigillum seu receptaculum reliquiarum continetur. *Atque ex his* patet ad argumenta in contrarium.

XLIV. *Indus Mercator Catholicus Amstelodamum ciuitatem hæreticam delatus comedit ibi*

cum

cum cæteris carnes quouis die hebdomada, cum nec periculum, nec alia causa gravior vrgeat, solùm ideò, quod putet, legem Ecclesiasticam de abstinentia carnis hîc locorum non obligare, vtpote pridem præscriptione & contrario vsu abrogatam: postea tamen ad suos rediens, mordente conscientiâ, scire vult ex Confessario, num rectè id fecerit. Quæritur. Quid Indo dicendum?

Videtur approbandum ipsius factum. Ita Caramuel *in Theolog. fundamentali fundam. 19. q. 2. n. 147.* Tum quia contra legem etiam Ecclesiasticam præscribi potest spatio 10. annorum, vt tenent non pauci, quos citat & sequitur Palao *Tr. de LL. D. 3. p. 2. §. 2.* Tum quia si maior pars populi non seruat legem, poterunt alij absque scrupulo ei conformari; quippe supponitur talis lex inutilis, vt docet Dian. P. 7. *Tr 11. R. 23.* Tum quia leges pendent ab acceptatione, vt cum aliis docet Caspensis *Tr. de LL. D. 1. §. 5. n. 60.* Atqui lex ieiunij & abstinentiæ à carnibus non est acceptata Amstelodami. Ergo &c.

Resp. Indo dicendum esse à Confessario, ipsum malè fecisse, & grauiter peccasse. Ita habet communis Theologorũ apud Dianam *part. 11. Tr. 1. Res. 6.* Tum quia hæretici absolutè subsunt jurisdictioni Ecclesiæ, & huius legibus obstringuntur propter characterem baptismalem, vt ex communi aliorum docet Arriaga *Tom. 4. Theolog. D. 20. §. 6. n. 30.* Tum

quia

quia legesPontificiæ, imò etiam ciuiles non pendent ab acceptatione, vt verior & comunior habet sententia Theologorum apud Suarez *de leg. l.3. c.19. n.4.* Vasq. 1. 2 *Disp.156. c 5.* Layman *L.1. Tr.4. c.3. n 1.* & alios. Tum quia in terris hæreticorum consuetudo totius populi comedendi carnes diebus vetitis, & violandi ieiunia etiã per mille annos continuata abrogare nequit præcepta Ecclesiæ, vt optimè Rebell. *de obligat. Iustit. P.1. l.1. q 5. n.14.* cum prorsus irrationabilis sit, eiq̃ue continuò reclametur.

Ad primum in contrarium dicimus, cum hæretici bonâ fide & legitimo titulo alijsq; conditionibus ad præscribendum requisitis destituantur, nunquam eorum procedere præscriptionem contra aliqua præcepta Ecclesiæ. Ad *secundum*, hoc admitti solùm posse in legibus ciuilibus, si Princeps sciat & taceat, tunc enim reuocare censetur leges illas: minimè verò in Ecclesiasticis præceptis, ijs præsertim, quæ non in dies emanant à Pontificibus, sed iam olim ab ipsa Ecclesia promulgata, & à toto populo Christiano vsu sunt recepta, postea verò ab hæreticis eius hostibus in odium eiusdem absque vlla iusta causa pertinaciter non obseruata & contempta fuerunt. *Atque sic* etiam patet ad *tertium.*

XLV. *Kolbertus Parochus Officium diuinum legere solet cum Cooperatore suo, sed ob grauem*

suum

suum auditum & submissiorem Socij pronunciationem nihil ferè percipit de verbis Socij, idque anxius exponit suo Confessario. Quæritur. Vtrum Kolbertus nihil ferè de Socij pronunciatione percipiens satisfaciat præcepto, & absque sollicitudine pergere ita cum Socio possit?

Videtur satisfacere, & pergere posse. Ita Caramuel *in Theolog. fundamentali fundam. 35. n.* 1097. Mouetur. Tum quia Sacerdos, cum solus orat, non tenetur se ipsum audire, vt plerique docent. Tum quia orans nec seipsum nec Socium tenetur audire cum interna attentione. Ergo omnino nec auscultare hunc Socium tenetur.

Resp. Kolbertum non satisfacere præcepto, nec pergere posse cum Socio, si nihil fere de pronunciatione huius intelligat. Ita ex communi Theolog. Baldellus *Tom. 2. Theolog. Moral. lib. 3. D. 33. n. 15 & 16.* Ratio est, quia Kolbertus sic nec ratione sui, nec ratione Socij totum breuiarium recitat; non ratione sui, vt patet, cùm medium duntaxat pronunciet: non etiam ratione Socij, quia auditus succedit pronunciationi, nec initur Societas cum altero nisi quoad prolationem vocis perceptibilem. Ergo si pronunciatio Socij non percipitur, non iuuat Societas. Ergo orans pronunciatione Socij non perceptâ nec ratione sui, nec ratione Socij totum breuiarium persoluit, & consequenter non satisfacit præcepto integras horas requirenti.

Ad

Ad primum in contrarium negamus consequentiam. Nam esto orans se non audiat, pronunciat tamen verba sufficienter, vt supponimus. Atqui orans, si Socium non percipiat, tum mediam partem nec audit, nec pronunciat. Ergo non satisfacit. *Ad secundum* negamus itidem consequentiam; quidquid enim iam sit de interna attentione, si orans non percipit Socium, tunc respectu mediæ partis nec externam habet horarum requisitam pronunciationem, cum loco huius saltem auditio adesse debeat

XLVI. *Landrada vxor in actu coniugali seminationem habere tam citò nequit, sicut eam habet vir suus; hoc ergo recedente ipsa mox eandem suo marte procurat. Quæritur. Num licitè?*

Videtur licitè id facere. Ita Sanchez *l.9.de Matr. D.17. n.9. & 10.* Bonacina *de Matr. q. 4. p.6. n 15.* Lessius *L. 4. c.3. dub 7. n. 55. & dubit. 14. n. 94.* atque alij apud Dianam *P. 2. Tr. 17. R.38.* è quibus Carolus de Baucio apud eund. *P. 10 T 13. Res. 42.* vlterius progressus ait, etiam virum manibus suis vxori in prodicto casu procurare seminationem posse. Probant. Tum quia satis probabile est, semen muliebre ad generationem esse necessarium: certum verò, esse conuenientissimum. Ergo sic mulier merè complet ceptam copulam, quod vtiq; est eidem licitum. Tum quia aliàs fœminæ periculo non minùs frequenti,

quàm graui expositæ forent, si ita libidine irritatæ continere semen deberent.

Resp. Landradam illicitè id facere. Ita communis Theologorum, à qua non audet recedere Diana *loc. cit, & P.II. Tr.I. R.II.* maximè postquam in operibus Sanchez contraria opinio deleta fuit: & sententia Baucij malè etiam olere cepit apud Sac. Congreg. Indicis. Lessius quoque in sola editione Parisiensi pro contraria sententia habetur, non in Antuerpiensi. Ratio nostra est. Tum quia viro recedente consumata iam est copula coniugalis. Ergo mulierem tunc solam emittere semen, est peccatum molliciei. Tum quia & authoritate & ratione probabilius est, semen muliebre generationi necessarium non esse. Tum quia coniugibus ea solùm copula licita est, per quam efficiuntur vna caro. Atqui per illam muliebris seminis effusionem non fiunt vna caro, cum iam sint à se mutuò separati. Ergo &c.

Ad primum in contrarium patet ex dictis, quibus solùm addo, Auicenam apud Dianam *Res. II. cit.* putare, muliebrem seminationem esse prorsus frustraneam, quando vir priùs iam seminauit. *Ad secundũ* dicimus, nõ deesse alias vias huic periculo occurrendi, idque auertendi. Quamuis autem ex his sententia nostra multò probabilior videatur, contraria tamen per eam suâ non destituitur probabilitate,

tate, quam præter citatos absolutè docet P. Dedicastillo *de Matr. Disp. 9. n. 71.*

XLVII. *Lazarus graui morbo detinetur, cui Medici vinum interdicunt, prohibentque domesticis eius, ne quis hoc in exigua etiam quantitate ipsi porrigat. Infirmarius aduertens vires ægro defluere, & causam huius in defectum vini referens, simulque Lazari precibus victus vinum ipsi affert, quo hausto æger breui moritur. Quæritur. Vtrum Infirmarius peccârit mortaliter?*

Videtur non tam grauiter peccâsse siue ratione mandati violati, cùm non teneatur Medico obedire, tanquam Superiori: siue ratione damni, quod non intendit, sed leuamen morbi.

Resp. Infirmarium mortaliter peccâsse. Ita P. Palao *Tom. 1. Tr. 1. D. 2. pun. 9. in fine.* Ratio est, Quia qui exponit ægrum absque ratione manifesto periculo mortis notabiliter accelerandæ peccat mortaliter. Atqui Infirmarius cõtra præscriptum Medici ministrans Lazaro vinum exposuit istum absque ratione manifesto periculo mortis saltem notabiliter accelerandæ. Ergo peccauit mortaliter. Atque hanc sententiam supponunt Couarr. Nauarr. Henriquez, Auila, & alij, cum quibus citatus Author *Tom. 6. Tr. 29. D 6. pun. 15. §. 5. n. 6.* docet, talem Infirmarium, seu quemvis alium, qui assistit ægro, & mortem huius ministrando prohibitum potum aut cibum nota-

biliter accelerat, incurrere irregularitatem, nisi ignorantiâ excusetur, quia scilicet actione peccaminosâ ad mortem infirmi cooperatur.

Vnde patet ad rationem in oppositum; tenebatur quippe Infirmarius obseruare præscriptum Medici, ne, eo neglecto, ægrotum in manifestum mortis periculum conijceret, esto non damnum illius, sed leuamen morbi intenderit.

XLVIII. *Lælius Confessionem Sacramentalem peracturus sedulò quidem ad eã se parat, plerumq; tamen post acceptam iam absolutionem recordatur alicuius peccati grauis ex obliuione præteriti, illudque vel adhuc in Confessionali existens, vel ad hoc rediens aperit absque nouo, vt apparet, dolore, quamuis non sine molestia Confessarij inde perplexi, quid faciat. Quæritur* 1. *Vtrum Lælius teneatur post Confessionem & Absolutionem peractam iterum confiteri tale peccatum obliuione præteritum, antequam ad Sacram Eucharistiam accedat?* 2. *Vtrum, si illud peccatum in ipso adhuc confessionali existens aperiat, de nouo absolui à Sacerdote debeat?* 3. *Vtrum novus etiam dolor requiratur, si de nouo sit absoluendus?*

Videtur 1. Non teneri Lælium confiteri peccatum ex ignorantia invincibili omissum, antequam ad S. Communionem accedat. Ita Reginald. *Tom.* 2. *L.* 29. *c.* 6. *q.* 4. *sect.* 1. *n.* 105. *in fine*, quia peccatum illud non solùm contri-

tione,

tione, sed etiam absolutione Sacramentali remissum est. 2. Opus non esse nouâ absolutione, si Lælius mox post absolutionem adhuc in Confessionali flectens nouum peccatum, quod priùs non occurrebat, prioribus adijciat, siquidẽ confessio hæc posterior moraliter eadem censetur cum illa priore, & consequenter eadem absolutio vtrorumque peccatorum. 3. Requiri novum dolorem, si Lælius ad Confessionale rediens peccatum priùs obliuione omissum de nouo confiteatur, & absoluatur. Ita Dian. *P. 3. Tr. 4. Resol. 116.* Tum quia semper debet adesse novum motivum erubescentiæ & doloris, quoties quis confitetur. Tum quia aliàs etiam vna Confessio potest sufficere ad duplicem absolutionem, quod nemo dicet.

Resp. 1. Lælium teneri peccatum ex obliuione omissum subijcere clauibus, antequã ad S. Communionem accedat. Ita Palao *Tom. 4. Tr. 21. D. vnic. pun. 12. num. 4.* Wiggers *in 3. Part q. 80. art. 5. dub. 3.* Caspensis *Tom. 2. Tr. 22. D. 9. S. 2. n. 25.* & alij communiter. Ratio est, quia præceptum Sac. Trident. Concilij *Sess. 13. c. 7. & Can. 11* obligat non tantùm ad confitendum ante Comunionem, sed simpliciter ad confitenda omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius fuerit; Lælius autem reuera se conscium nouit peccati nondum clauibus subiecti. Ergo &c. *Nec refert,* quod

tale peccatum iam sit remissum in Confessione legitimè facta. Hoc quippe non impedit, quin debeat supponi clauibus, aliàs nec, qui contritum se putaret, ad peccatorum suorum confessionem amplius teneretur, quod est contra Trident. *c. 7. cit.* Resp. 2. Lælium de nouo absoluendum esse, etiamsi immediatè per priorem absolutionem peccatum obliuione omissum aperuerit. Ita supponunt planè omnes, & ratio clara est, quia in puncto finitæ absolutionis finitus & peractus est actus iudicialis huius Sacramenti. Ergo non potest amplius cogitari moraliter existere, & extendi ad peccatum subiunctum. Aliud est in Baptismo v. g. quando prolatâ formâ physicè non existit ablutio seu materia proxima, sed moraliter tantùm est ei coniuncta, quia ante moralem hanc coniunctionem nondum est Sacramentum Baptismi peractum, sed quasi suspensũ, quod secus se habet in Sacramento Pœnitentiæ & casu nostro. Resp. 3. Lælium non debere nouum dolorem elicere pro nouo Sacramento, sed sufficere priorem vel physicè vel moraliter adhuc permanentem. Ita Card. de Lug. *de Pœnit. D. 14. n. 27.* Ratio est, quia, per se loquendo, eadem materia, adeóque in præsenti idem dolor adiungi potest diuersis formis; & fuisse sub vna, non tollit capacitatem ad alteram, quæ enim huius repugnantia? An quia nouũ adesse debet motiuum

tiuum erubescentiæ? nequaquam; sicut enim prior dolor, ita prius motiuum huius doloris sufficit, cùm hoc in illo inuoluatur. An quia sic vna etiam Confessio sufficere potest duabus absolutionibus? minimè; quia absolutio noua tanquam sententia judicialis stare non potest absque accusatione noua: at bene absque dolore nouo. Vnde dixi, *per se loquendo*, vnam materiam subesse posse diuersis formis, vt innuerem, hoc in Confessione respectu absolutionis sacramentalis ex peculiari ratione repugnare ob actum iudicialem, qui, si nouus sit, & accusationem & sententiam nouam habeat oportet, quod secus se habet in dolore. Confirmatur hæc Responsio ex praxi Ecclesiæ & Confessariorum, cùm vix vllus sit, qui pœnitentem in tali iterata confessione de nouo dolore admoneat. Ergo signum est, priorem sufficere. *Atque ex his* constat etiam ad rationes in oppositum allatas.

XLIX. *Leander crucem Indulgentijs V. Sanctorum præditam è collo suspendit, ne scil. facilè sic eam perderet, cum ex restrictione Indulgentiarum per Papam Alexandrum VII. facta intellexerit, loco vnius talis rei perditæ deinceps aliam pro ijsd. Indulgentijs restitui non posse. Verùm non multis post diebus nescio quo casu crucem illam penitus confregit; ne igitur simul Indulgentiarum facerent iacturam, mox apud aurifabrum redintegari*

eam curauit. Quæritur. Vtrum crux illa ita redintegrata priores Indulgentias retineat?

Videtur non retinere. Ratio est, quia species crucis, vt ponimus, prorsus perijt. Ergo & Indulgentia, si quidem hæc non soli metallo, sed formâ crucis insignito fuit concessa.

Resp. Crucem prædicto modo redintegratam retinere priores Indulgentias. Ita P. Gobat de Indulg. *num.* 320. Ratio est, quia adhuc moraliter censetur planè eadem crux & perinde iam se habet, ac si nunquam fuisset fracta. Confirmatur. Ecclesia penitus diruta mox tamen in eodem situ reædificata retinet priorem Indulgentiam, cum moraliter eadem censeatur, vt cum pluribus Authoribus docet Dian. *part.* 11. *Tr.* 8. *Res.* 9. cur ergo etiam crux denuo refecta priores Indulgentias non conseruet? Dubitat de Ecclesia & consequenter de cruce refecta Cardin. de Lugo *tom. de pœnit. D.* 27. *n.* 131. sic arguens; templum penitus destructum, esto in eodem situ fuerit reædificatum, perdidit tamen consecrationem. Ergo & Indulgentiam. Sed negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia consecratio ob peculiares physicas actiones, quibus confertur, idem etiam physicè templum ad sui consecrationem requirit; quod secus se habet in collatione Indulgentiarum; vnde ab illa nulla ad has est argumentatio. *Arg.* sic patet etiam ad rationem in contrarium.

L. Lem-

L. *Lembla famulus peractis operibus à Domino præceptis multum pecuniæ lucratur per annū arte suâ, laborando alijs pro pretio, quod nesciens dominus pecuniam illam ab eo exigit, aut stipendium promissum eidem denegare vult. Quæritur. Vtrum Lembla pecuniam extraordinario labore partam reddere domino debeat?*

Videtur teneri. Nam par est ratio huius famuli mercede conducti, atque aliorum seruorum; hos autem domino acquirere, quidquid acquirant, habetur *in §. item nobis. Instit. per quas personas nobis acquiritur &c.* & cum alijs Authoribus docet Card. Lugo *Disp. 3. de just. num. 45.*

Resp. Lemblam non teneri reddere Domino pecuniam extraordinario labore citra detrimentum sui famulatûs partam: nec dominum absque iniuria eandem exigere ab eo posse. Ita Molina *de just. Tom. 1. Tr. 2. D. 38.* Fagundez *in Decalog. Tom. 2. lib. 7. c. 12. n. 7.* P. Nauarrus *de Restit. l 3. c. 1. num. 219.* & alij. Ratio est, quia Lembla absolutè est capax dominij, & vi contractûs cum domino initi, tenetur solùm ad operam à domino præscriptam. Ergo si vltraneo labore alijs exhibito aliquid acquirat, verè sibi acquirit; aliàs instar fundi, prædij, ac iumenti se haberet, quæ semper domino fructificant; quod nec *de mancipijs* dici potest, cum & ista dominij capacia sint, vt constat *ex l. 53. ff. de judicijs.*

vbi datur seruis actio contra dominos, si dicant, quod suis nummis se redemerint, & contra fidem datam manumissi non fuerint. Quare si dominus vi pecuniam aufert, aut stipendium negat, potest Lembla occultâ compensatione vti, sicut docet Lessius *lib. 2. de just. c. 4. dubit. 4 n. 17.*

Ad argumentum in oppositum negamus in primis paritatem, quia Lembla, etsi famuletur, absolutè tamen liber est: non autem sic liberi sunt serui propriè dicti, qui idcircò sicut libertatem, ita jus sibi aliquid acquirendi perdidisse videri possunt. Deinde dicimus, etiam mancipia perditâ libertate non prorsus simul omnia iura perdidisse, vt patet *ex l. 53. cit.* adeòque sibi etiam acquirere perinde, vt alij famuli, quidquid simili labore extra operam domino debitam acquirant, vt docent *cit. Authores.* Iura, quæ statuunt, seruos Domino acquirere, quidquid acquirant, intelligenda sunt, inquit Molina *loc. cit.* regulariter: vel certè, vt tenet Wiggers *Tr. 1. de just. c. 3. n. 18.* per consuetudinem sic mitigata sunt.

LI. *Leonides vir diues & absque liberis promittit Diomedi amico suo, quod velit ipsum hæredem instituere, & juramentum addit, se testamentum conditum non reuocaturum, quam tamen reuocationem postea facit à quibusdam ad id persuasus. Quæritur. Vtrum Leonides reuocationem testamenti sui contra juramentum suum licitè fecerit?*

Vi-

Videtur licitè fecisse. Ita Bartolus *in l. si quis in principio testamenti. ff. de legatis 3.* Antonius Gomez, Benedictus Ægidius, Azor, *p 3. l.11. c.7. q.7.* & alij plures relati à Couarr. *de testam. 2. part. n. 15.* Mouentur. Tum quia testamentum suâ naturâ & conditione est reuocabile, quamdiu testator viuit; non enim confirmatur, nisi morte testatoris. Ergo contra naturam & substantiam eiusdem est, vt reuocari non possit in vita, ac proinde iusjurandum adhibitum contra substantiam testamenti non valet. Tum quia promissio hæc est contra bonos mores *ex l. stipulatio hoc modo concepta. ff. de verbor. oblig.* Ergo absque peccato non potest obseruari. Tum quia iuramentum sequitur naturam actûs, cui adijcitur, nec obligat ad plura, quàm ipse actus, licet plus obliget ratione religionis. Ergo cùm testamentum sit de se reuocabile, iuramentũ additum non importat irreuocabilitatem.

Resp. 1. Leonidem reuocationem testamenti sui contra iuratam promissionem non posse licitè facere. Ita Couarr. *lo. cit.* Vasquez *de Testam. c. 2. dub 3. n. 15. & 16.* Molin. *D. 151. §. contrariam sententiam.* Dicastillo *l. 2. de just. Tr. 19. D. 1. n. 263.* Cardin. de Lugo *D. 24. de just. n. 25.* Palao *Tr. 14. P. 2. pun. 8.* & alij Theologi communiter. Ratio est, quia non reuocare testamentum non est ex se illicitum, aut prohibitum, sed licitum; esto fortè aliquan-

da

do consultum foret, vt reuocaretur, & in aliquid melius disponeretur. Ergo si Tò non reuocare testamentum alicui iureiurando in eius bonum promittatur, obligabit eiusmodi iuramentum, cùm nō sit de re illicita ex parte iurantis. Confirmatur. Si testamentum esset ad pias causas, & iuramento confirmaretur, obligaret, nec leges ciuiles possent illud annullare in tali materia; esset enim votum Deo factum, circa quod nihil leges ciuiles statuere possunt. Cur ergo non obliget quodcuis aliud iuramento confirmatum?

Resp. 2. Si Leonides priùs testamentum reuocauit, condito secundo, etsi id fecerit illicitè, vt diximus, validè tamen præstitit. Ita cum pluribus Dicastillo *n. 266.* Nam qui iurauit, se alteri non venditurum ædes, si postea vendat, illicitè quidem, sed tamen validè vendet. Item qui iurauit, se Mariam ducturum in vxorem, si postea ducat Añam, validè ducit, sed illicitè; est autem eadem ratio in casu nostro. Ratio esse potest, quia iuramentum non aufert potestatem ad testandum, quam ius gentium & ciuile concedit, sed solùm facit, vt sis periurus, si aliud condas.

Resp. 3. Si Leonides iuratam & à Diomede acceptatam promissionem reuocârit, & alium hæredem instituerit, iste secundus hæres vi promissionis tenetur postea restituere hæreditatem illi priori. Ita Molina, Lessius,

Dica.

Dicastillo, Lugo *n.* 34. & alij. Ratio est. Quia Diomedes, qui prius fuerat institutus hæres, acquisiuit per acceptationem iuramenti ius ad bona testatoris, & iste contraxit obligationem realem ad hæredes transmissam. Ergo hic secundus hæres institutus tenetur implere promissionem realé à testatore factam, & à promissario acceptatam.

Ad 1. *in contrarium* distinguimus antec. est reuocabile per se nudè consideratum, concedimus: est reuocabile post factum iuramentum de reuocatione non facienda, negamus. *Ad* 2. Itidem distinguimus; est contra bonos mores naturales, negamus: contra ciuiles esto; quia iure naturæ non prohibetur, sed solùm lege ciuili, cuius definitioni standum non est in hac materia, quæ reuerentiam iuramenti tangit; quamuis Dicastillo, Palao *lo. cit.* & nonnulli velint, nihil hîc fieri etiam contra legem ciuilem, quæ reuocationem testamenti permittit solùm, non prohibet, quam opinionem tenet etiam Diana *part.* 10. *Tr.* 15. *Resol.* 11. *Ad* 3. dicimus, Iuramentum sequi naturam actûs principalis quoad tacitam conditionem, si non addatur iuramentum excludens illam conditionem, concedimus: secus, negamus; in proposito autem iuramentum additum excludit conditionem reuocabilitatis, quando dicitur conditio testamenti, quid ergo mirum, si hæc conditio ab actu principali separetur?

LII.

LII. *Leonilla cognoscitur à Consanguineo mariti sui, ab hoc ad incestum illum metu graui & inconstantem fœminam cadente coacta. Nunc anxia hæret, quomodo erga virum suum rei inscium se gerat? Quæritur. Vtrum Leonilla debitum coniugale exigere à marito suo possit?*

Videtur non posse. Ita Sanchez *L. 9. de Matr. D. 31. n. 4.* Basil. Pontius *L. 10. c. 7. n. 6.* Mart. Perez *D. 52. sect. 4. n. 4.* & alij. Fundamentum vnicum est, quod in eo casu non cessauerit culpa incestûs; tenebatur quippe vitam exponere, ne consentiret. Ergo nec excusabitur à pœna illa. Confirmatur. Metus non excusans participantem cum excommunicato à culpa non excusat eundem à pœna excommunicationis *C. in Sacris. de his, quæ vi.* Ergo etiam Leonilla non erit libera à pœna illa ratione metûs, cùm propter istum non excusetur à culpa?

Resp. Leonillam debitum marito suo & reddere, & exigere ab eodem posse. Ita nonnulli apud Pontium *lo. cit.* Ratio est, quia vniuersim loquendo, metus grauis excusat à transgressione & contumacia contra Ecclesiasticam legem, cùm præcepta Ecclesiæ benignè sint accipienda; nec credibile fit, Ecclesiam velle obligare cum tanto rigore. Ergo idem metus excusat quoque ab incurrendis censuris, cùm pœnæ istæ non incurrantur, nisi ob transgressionē & contumaciam contra legem, vt apertè docent Nauarr. *c. 27. Sum. n. 63.*

n. 63. Salas *de Leg. D.* 11. *sect.* 1 Auila, Coninck, Filliuc. & alij, quos refert & sequitur Bonac. *Tom.* 1. *Tr. de Cens. D.* 1. *Q.* 2. *pun.* 3. *n.* 1. Confirmatur, Remigantes seu inseruientes Pyratis non incurrunt excommunicationem, si metu graui ad eam adigantur; esto spectato iure naturæ obligati sint abstinere ab ea cooperatione etiam cum graui vitæ periculo, vt docent Nauar. *in C. quorumdam de Iudæis notabili* 11. *n.* 18. Tolet. Sayr, Suarez, & alij, quos citat & sequitur Palao *Tr.* 29. *D.* 3. *pun.* 4. *in fine.* Similiter si adulterio annexa esset censura incurrenda, non incurreret hanc mulier, quæ ex graui metu adulterij ream se faceret, vt cum pluribus alijs docet Bonac. *lo. cit. n.* 5. Cur ergo Leonilla ob similem metum à pœna Ecclesiastica non eximatur?

Ad 1. *in contrarium* negamus consequentiam, cùm pœna hæc sit merè Ecclesiastica, quæ, vt diximus, non nisi in contumaces statuitur, qualis non est Leonilla. *Ad* 2. Iterum negamus consequentiam propter disparitatem; nam quandocunque metus grauis incutitur in contemptum Ecclesiæ, tunc sicuti non excusat à peccato, ita neque à censura, vt docent Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *part. D.* 6. *sect.* 93. *n.* 3. *& seq.* Coninck, Bonac. Filliuc. *Tr.* 11. *c.* 8. *q.* 18 &, hoc teste, communiter alij. Cùm ergo metus grauis incutiatur participanti cum excommunicato in contemptum Ecclesiæ,

minimè

minimè verò Leonillæ, mirum non est, illum pœnæ Ecclesiasticæ subijci, non autem istam.

LIII. *Leopoldus Princeps ob annonæ Charitatem mandat in tota prouincia, grauiterque obligat singulos, ne quis frumentum exportet. Gumesindus Parochus haud ignarus huius legis, illectus tamen maiore pretio, quo extra prouinciam venditur frumentum, evehit istud in magna copia, sed deprehensum tandem à Ministris Leopoldi auferitur. Contra quod dum vehementer conqueritur Gumesindus, obijcitur ipsi, quod non tantùm contra mandatum Principis fecerit, sed negotiationē suâ etiam Priuilegio Clericali se priuauerit? Quæritur 1. Vtrum Gumesindus Parochus teneatur lege sæcularis Principis. 2. Vtrum non parendo peccârit. 3. Vtrum in hoc casu negotiationem prohibitam exercuerit?*

Videtur directè, & per se potestate directiuâ ligari. Ita Palao *Tr. 3. de legib. D. 1. pun. 24. §. 6. n. 6.* plures pro se referens. Ratio est, quia Clerici sunt Ciues & partes præcipuæ ciuilis Reipublicæ, ac proinde Gubernatori politico Reipublicæ debent esse subiecti. Atqui Gubernator politicus iurisdictionem temporalem in illa Republica habens est Princeps sæcularis. Ergo iste leges imponere potest, quæ & eorum statui & reipublicæ conuenientes sint; aliàs etiam non tenerentur Clerici leges, & valorem contractuum, monetarum, merci-

mercium &c. obseruare, quod omnes negant. Quare peccant Clerici mortaliter, non parendo, inquit *cit. Author n. 2.* cui consentit Dian. *P. 6. Tr. 8. Resol. 4. in fine* cùm non appareat, vnde minuatur eis obligatio, si concedatur semel, illos legibus astringi. Hæc sententia valde probabilis est. Nihilominus

Resp. 1. Gumesindum Parochum non obstringi directè ex vi directiua ad obseruandam legem Leopoldi Principis sæcularis; sed solùm indirectè ex vi rationis naturalis dictantis conformitatem cum ceteris personis eiusdem Reipublicæ. Ita æquè probabiliter Azor, Vasquez, Suarez, Filliuc. Bonac. & plures alij, quos citant & sequuntur Tanner *Tom. 2. D. 5. Q. 6. n. 28.* Layman. *L. 1. Tr. 4. c. 13. n. 6.* & Augustinus Barbosa *L. 1. iuris Ecclesiastici vniuersi. c. 39. n. 53.* Ratio primæ partis est, quia nemo tenetur directè legibus eius, qui non habet in ipsum iurisdictionem *L. fin. ff. de Iurisdictione omnium Iudicum.* Sed Principes sæculares non habent in Clericos iurisdictionem, vt determinat Innocent. III. *in C. Ecclesia S. Mariæ. de Constit.* Ergo &c. Ratio secundæ partis est, quia ipsum ius naturæ & æquitas exigit, vt Clerici in ijs, quæ spectant ad bonum Communitatis (cuius aliquo modo membra sunt) & libertati eorum non præiudicant, se conforment, cùm turpis sit omnis pars, quæ dissidet à suo toto, seu quæ in pari

causa nõ consonat toti. Ergò cùm nõ teneantur directè, seu vi legum politicarum, saltem indirectè ex consequenti ijsdem obligabuntur. Accedit, quod Summi Pontifices, alijque Ecclesiastici Prælati, vt pax communis seruetur, eiusmodi leges Principum approbent, & Clericis omnibus seruandas præcipiant; imò verò etiam velint secundum eas in foro Ecclesiastico iudicari, vt rectè Layman *Lo. cit.* Respon. 2. Gumesindo frumentum, quod exportare extra prouinciam volebat, auferri à ministris Principis non posse. Ita communis ferè DD. Tum qui talis ablatio habet rationem pœnæ. Ergo illam contra Clericum nullo pacto Iudex sæcularis infligere potest. Tum quia sicut Laici nullam habent iurisdictionem in personas Clericorum, ita neque in eorum bona; hæc enim bona sequuntur personam. Resp. 3. Gumesindum non parendo legi politicæ Leopoldi peccâsse probabiliter solùm venialiter. Ita Salas *de Leg. D.* 14. *Sect.* 10. *n.* 11. *in fine.* Bonac. *de Leg. D.* 1. *Q.* 1. *pun.* 6. *n.* 53. Caspensis *Tom.* 1. *Tr.* 13. *de LL. D.* 4. *Sect.* 2. *n.* 15. & plures alij. Ratio est, quia difformitas partium Communitatis in proposito non est gravis per se, secluso scandalo, vel graui damno Reipublicæ. Ergo nec ipsa grauiter obligat, nec summus Pontifex, cùm voluntas huius obiecto commensurata præsumatur *Resp.* 4. Gumesindum exportando frumentum non com-

commisisse negotiationem prohibitam. Ita Bonac. *Tom. 3. in Bullam Cœnæ D. 1. Q. 19. pun. 3. n. 6.* Tanner *Tom. 3. D. 4. Q. 7. dub. 2. n. 69.* Palao *Tom. 2. Tr. 12. D. vnic pun 9. n. 16.* & alij. Ratio est, quia non omnis negotiatio lucratiua est interdicta Clericis, sed ea solùm, in qua res non meliorata maiore pretio venditur, quàm fuerit empta.

Ex his patet etiam ad rationem in contrarium. Nam Clerici sunt quidem ciues & partes Reipublicæ: at non quomodocunque, sed sunt ciues & partes exemptæ, ideóque præcipuæ. *Ad id,* quod adiectum fuit de Legibus & valore contractuum, monetarum, mercium &c. dicimus, tales leges directè cadere in res ipsas, quarum proinde valore constituto apertè contra iustitiam delinquit, qui earundem rerum valorem excedit, vt rectè Barbosa *Loc. cit. n. 50.* Tanner & alij.

LIV. *Maiorianus nobilis juvenis cum Anna paris nobilitatis puella rem habuit; & quia ex affectu erga hanc sæpe ad eius ædes divertit, familiaritatem etiam contrahit cum Apollonia illius sorore, quæ cùm multò pulchrior sit, quàm Anna, transfert paulatim totũ affectum suum ille in hanc, & in vxorem etiam ducere cupit invincibiliter ignorans, impedimentum se ex illicita copula cum Anna habita contraxisse. Quæritur. An indigeat dispensatione Pontificis, vt Apolloniam ducere in vxorem possit?*

Videtur non indigere. Ita Paludanus *in 2. sent. D.34. q. 1. n.17.* Maior *ibid. Dist.37. q.1. art.4.* Baucius *in Miscellaneis Casuũ cõscientiæ Tom.2. opusc. 1. q.176.* Fernandez *in Medulla Casuum conscientiæ P.3 c.16 § 5. in fine,* vbi relatus à Dian. P.10. Tr.13. Res. 51. ait, hanc opinionem esse cõmuniorem. Prob. Tum quia huiusmodi impedimentum est impositum ab Ecclesia in pœnam delicti. Atqui pœnæ non incurruntur ab ignorante illas inuincibiliter. Ergo &c. Mai. constat inde, quod impedimentum exigendi debitum ex eadem causa sit pœna culpæ vt cum pluribus docet Sanchez *L. 9. de Mat. D.30. n.1.* Minorem ex communi docet idem Sanchez *in Sum. L. 4. c. 22. n. 18.* & patet in excommunicatione alijsque censuris etiam irregularitate actui imposita, quæ ignoratæ non incurruntur, vt præter alios tenet Palao Tr. 2. D. 1. P. 17. n. 6. Tum quia eâdem lege Ecclesiasticâ inducitur hoc impedimentum ad matrimonium dirimendum, ac impediendam petitionem debiti coniugalis, si matrimonio iam contracto superveniat; hinc iuxta declarationes Cardinalium Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 4.* restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractum censetur etiam ad eosdem gradus restrinxisse impedimentum exigendi debitum ab vxore, quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicita copula &c.

Atqui

Atqui hoc impedimentum exigendi debitum nõ incurritur per ignorantiam invincibilem, vt ex communi fere aliorum docet Palao *loc. cit. n.* 8 Ergo nec impedimentũ dirimens &c. Tum quia pœnæ quantitas debet proportionari quantitati delicti. *c. fel. de pœn. in 6.* Ergo cum is, qui sciens inducit affinitatem puniatur pro tali pœnâ, liber ab eadem erit, qui eãdem ex ignorantia contrahit.

Resp. Maiorianum indigere dispensatione Summi Pontificis, si velit contrahere cum Apollonia, etiamsi inuincibiliter ignorârit ex copula fornicaria oriri tale impedimentum. Ita communis Theologorum. Prob. Tum quia vniversim impedimenta matrimonij dirimentia non solùm imposita sunt, vt pœnæ, verùm principaliter tanquam inhabilitates, vt præter alios notat Lessius *in 3. part. de Sacr. matr. c. 7. d. 1. n. 130.* & speciatim circa præsens impedimentum tradit Dedicastillo *Tr. 10. de matr. disp. 9. n. 108.* aiens, jus Ecclesiasticum naturali conforme censuisse, vt ab ijs, qui per copulam carnalem vna caro facti essent, talis reuerentia & pietas erga sanguinem haberetur, vt neuter illorum absque dispensatione vel contrahere posset matrimonium cum alterius consortis consanguineis, vel debitum coniugij petere, si contracto matrimonio talis copula supervenisset, & alterum coniugem effecisset affinem, qualis priùs non fuerat,

hàc tamen duplici limitatione. 1. Vt illicita copula tam ante, quàm post matrimoniũ tantùm extenderet se ad consanguineos intrà secundum gradum cum illa persona, cum qua quis rem habet: licita vero ad quartum. 2. vt eadem copula siue licitè, siue illicitè & cum qualibet etiam ignorantia facta dirimeret matrimonium cum prædictis consanguineis, si ante istud contigisset: eid. verò iam contracto superueniens petitionem debiti ante Iudicis sententiam impediret: eadem verò copula hanc ipsam petitionẽ debiti non impediret, si facta fuisset cum ignorantia inuincibili vel consanguinitatis personæ cum coniuge, vel legis aut pœnæ talis latæ. Tum quia cum matrimonium non tantùm sit sacramentum, sed etiam contractus, potest Ecclesia exigere certas conditiones ad hoc, vt sit legitimum, inter quas conditiones est prædictum impedimentum. Tum quia similes conditiones videntur in alijs rebus requisitæ ad earum valorem, vt in testamento talis numerus testium, ad professionem talis ætas, contra quas nulla prodest ignorantia, cur ergo & in matrimonij valorem talis induci nequeat, contra quam similiter nulla prodesset ignorantia?

Ad 1. in contrarium negamus, hoc impedimentum esse meram pœnam, sed simul inhabilitationem, quod secus se habet in excommunicatione, & alijs censuris. *Ad 2.* esto eadem

dem lege istud impedimentum affinitatis inductum fuerit tam ad matrimoniũ dirimendum nondum contractum, quàm impediendam petitionem debiti, si huic iam contracto superveniat, tamen diuersâ ratione, vt dictum. *Ad 3.* verum hoc esse in meris pœnis, qualis non est istud impedimentum.

LV. *Magdalena à tribus annis in omni turpitudine versata est; nunc ad meliora conversæ confitetur inter alia octuagies se plus minus fornicatam fuisse: item toties rem se cum vxoratis, & castitate obstrictis habuisse; postea verò ex nouo examine & computatione deprehendit, centies in singulis scelerum prædictorum speciebus se lapsam fuisse. Quæritur. Vtrum excessum istum supra priorem numerum aperire in alia Confessione debeat?*

Videtur excessus iste omnino de nouo aperiendus. Ita Filliuc. *Tr. 7. c. 4. n. 84.* Reginaldus, Sa, & alij apud Dianam 3. P. *Tr. 4. Resol. 94.* qui dicunt, illas particulas ad duo tantùm vel tria extendi. Accedent istis, qui cum Menochio *L. 2. de arbitri Iudicum. cas. 46.* volunt, similia verba locum tantùm habere in quinque pro Centenarijs. Ratio, cur vniversim excessus de nouo compertus explicari in alia confessione debeat, desumi potest à patitate in hunc modum. Qui peccatum dubium, vt dubium, confitetur, si postea hoc resciat, certò fuisse perpetratum, tenetur illud

in alia confessione explicare, vt certum. Ergò etiam, qui non potis satis determinare numerum suorum peccatorum dicit, se octuagies fornicatum esse, plus minus, si postmodum certò recordetur, se centies crimen illud commisisse, tenetur amplius exprimere numerum certum, quem antea tantùm, vt dubium, expresserat.

Resp. Magdalenam non teneri excessum illum, quem iam certò comperit supra priorem numerum sub dubio explicatum in alia Confessione confiteri. Ita Coninck *de Pœnit. D.7. n. 62.* Vbi docet, neminem teneri ad repetitionem, nisi recordetur, se fermè mediâ parte sæpius peccâsse, quàm dixerit. Item Card. Lugo *de Pœnit. D. 16. n. 96.* Dicast. *de Pœnit. Tr. 8. D. 9. n.* 121. & alij. Dum aiunt, particulas illas non habere sensum absolutum, sed respectivum ad numerum, cui adduntur, qui quantò fuerit maior, tantò etiam maior sub prædictis particulis intelligetur, dummodo tamen sit parvus respectu alterius, quod arbitrio prudentis æstimandum. Atqui numerus vicennarius respectu octogenarij iudicio viri prudentis habetur paruus. Ergo non est necessariò de nouo explicandus, sed sufficienter sub priore numero comprehensus censetur.

Ad rationem in contrarium inprimis negamus consequentiam. Tum ob Authoritatem Theo-

Theologorum, qui agnoscunt iterationem Confessionis necessariam in peccato dubio: non item in numero dubio, si vtrumque certò deinde comperiamus. Tum ob rationem, quia hoc ipsò, quod numerus parvus in maiore contineatur, ab eóque absorbeatur, censetur perinde ac ipse sufficienter explicatus: at verò peccatum dubium, cùm separatim exponatur, & non in alio imbibatur, in se explicari oportet, vt sufficienter intelligatur. Deinde non improbabiliter negari posset antecedens, vt agnoscit Card. Lugo, etsi sapienter putet, in re morali non facilè esse recedendum à sensu communi. Quod si Magdalena nullum certum numerum exprimere posset, satis faceret, si exprimens tempus, quo turpitudini operam dedit, diceret, se per tres annos omnibus expositam fuisse tam solutis, quàm coniugatis, tam laicis, quàm Clericis, vt rectè post alios tenet Tanner *Tom.* 4. *D.* 6. *Q.* 7. *n.* 45.

LVI. *Modestus ex ordine sacro Mendicantium Sacerdos dum confessionibus excipiendis exponitur, petijt à R.P. Provinciali suo quasdã facultates absoluendi extraordinarias, & inter alias accipit potestatem dispensandi cum incestuosis coniugatis intrà secundum gradum ad petendum debitum; quæ concessio olim à Pio V. facta est sacro illi ordini viuæ vocis oraculo, quamuis interea temporis omnia prædicti ordinis indulta per nouam*

Bullam

Bullam Pontificiam ita fuerint cõfirmata, ac si de verbo huic præsenti essent inserta. Quæritur. Vtrũ Modestus etiamnum hodie facultate illâ vti possit?

Videtur non posse. Ita multi Theologi, quos refert & sequitur Diana tum alibi, tum *P. II. Tr. 6. R. 45.* propter Bullam editam ab Vrb. VIII. 1631. 20. Decemb. quâ omnia viuæ vocis oracula sustulit. Tum quia stylus curiæ Romanæ ita tenet, vt testatur *cit. Author.* Tum quia aliàs Bulla prædicta Vrbani esset prorsus frustranea, quod est absurdum. Tum quia oracula viuæ vocis, quantumuis confirmentur per talem sequentem aliquam Bullam, adhuc tamen manent viuæ vocis oracula, quia per confirmationem non immutatur illorum natura. Ergo etiam subiecta manent reuocationi Vrbani Pontificis.

Resp. Probabile videri, Modestum etiam hodie vti posse facultate illâ. Ita Theologi non pauci in Germania nostra. Item P. Laurentius Peyrinus *in priuilegijs Minim. Tom. 3. c. 12. constit.* 18. *Vrbani VIII.* Lezana *in sum. quæst. regul. To. 1. c. 3. n. 2.* & plures alij apud Dian. *loc. cit.* vbi ait, P. Franciscum de Lugo in manuscripto sibi cõmunicato Romæ hoc ipsum fusè tueri. Prob. Responsio nostra hâc ratione. Per Bullam Vrbani Papæ reuocantur solùm ea priuilegia, quæ præcisè & mera sunt oracula viuæ vocis. Atqui concessio in nostro casu absoluendi incestuosos coniugatos in-

intra secundum gradum non est amplius præcisè & merum oraculum tale viuæ vocis. Ergo &c. Maior patet, quia cum prædictum decretum Vrbani sit odiosum & pœnale, restringi debet ad certam verborum proprietatem, secundùm regulam juris Can. prout habetur in Bonifacio VIII. *convenit odia restringi, & favores ampliari:* itē iuxta illā 49. *in pœnis benignior interpretatio est adhibenda.* Prob. Minor. Quandocunque confirmatio priuilegiorum fit non tantùm confusè & formâ communi, sed ex certa scientia & forma speciali, tunc fert nouam concessionem & priuilegia etiam reuocata aut aliter amissa reparat, vt docetur *in tr. de LL. ex c. 1. de transactione, & c. venerabilis de confirmat.* Atqui priuilegia Mendicantium interque ea viuæ vocis oracula à diuersis Pontificibus ita confirmata sunt, nempe cum hac clausula: *ac si eorum tenores de verbo ad verbum &c.* Item *ex certa scientia,* vt constat ex Bulla Pauli V. in qua Pontifex confirmans Societatis institutum sic loquitur: *motu proprio, & ex certâ scientiâ, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine laudabile prædictæ Societatis institutum, nec non priuilegia, facultates, exemptiones, gratias & indulta, qualiacunq; sint, approbamus, & confirmamus, eaque omnia & singula innouamus, & de nouo concedimus.* Similia habent Bullæ diuersarum aliarum Religionum. Ergo priuilegia, interque ea viuæ vocis

oracula

oracula sic confirmata & innouata nouam vim & concessionem acquisiuerunt. Ergo non sunt amplius præcisè & mera oracula viuæ vocis, sed oracula bullata. Ergo non amplius subiacent reuocationi Vrbani VIII. Et sanè conueniens est, vt priuilegia Regularibus concessa, interque ista viuæ vocis oracula saltem post talem innouationem & confirmationem conseruentur, cum fuerint data intuitu meritorum & sanguinis sparsi pro conseruatione & exaltatione sanctæ ac Catholicæ Ecclesiæ, quæ merita in dies augentur, & sanguis perpetim manat.

Ad 1. in contrarium dicimus, stylum curiæ Romanæ laudabilem esse, nihil tamen præiudicare debere sententijs theologicis in Authoritate & Ratione bene fundatis, quò minus aliquis tutò has sequi in praxi possit. *Ad 2.* Bullam Vrbani suum sortiri effectum in oraculis viuæ vocis, quæ vim Bullæ non acquisierunt. *Ad 3.* ex dictis patet, oracula scil. viuæ vocis ex confirmatione nouam vim acquisiuisse, & ex oraculis meris in bullata transiuisse, adeòque naturam suam quodammodo exuisse. Quare Pontifices oracula viuæ vocis confirmasse dicuntur, non relinquendo ea, quà talia, vt argumentum aduersariorũ malè supponit, sed in melius ac fortius Bullarum robur transferendo, perindè ferme ac Deus peccata tegere dicitur non relinquendo,

sed

sed auferendo, & melius quid sanctitatem scil. animæ substituendo Vrgent. Ipsæ etiam Bullæ confirmantes oracula viuæ vocis reuocantur per clausulas illas *non obstantibus.* Ergo. Resp. ex dictis, oracula viuæ vocis sic bullata non esse amplius mera oracula viuæ vocis; reuocationi autem etiam istorum obstare multa videri potuerunt, quæ per dictas clausulas remouentur.

LVII. *Mariophilus pius Sacerdos & Cultuè B. Virginis apprimè deditus frequenter baptizat infantes in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ac Intemeratæ Virginis, vt eos sic Deiparæ singulares Clientes constituat, & vicissim Beatiss. Virginem ijsdem peculiarem Patronam exoret. Quæritur. Vtrum Sacramentum sic collatum subsistat & valeat?*

Videtur non valere. Ita nonnulli apud Dianam *P. 2. Tr. 15. resol.* 48. Nam forma est falsa ex additione vltimorum verborum, vt apertè etiam docet Vasquez *in 3. part. D. 129. c. 7. n.* 107. hæc autem verba in illa forma involui, probatur. Tum quia Mariophilus non habet voluntatem verè baptizandi, antequam vltima verba proferantur. Ergo æquè hæc, ac priora formam ingrediuntur. Tum quia omnia verba eodem modo pronuntiantur. Ergo eodem etiam modo significant nomen & authoritatem Beatiss. Virginis, atque nomen & authoritatem SS. Trinitatis, quod veritati formæ repugnat.

Resp.

Resp. Sacramentum prædicto modo administratũ, valere ac subsistere. Ita D. Thom. 3. *part. q. 60. art. 8.* S. Antonin. Sylvest. Henriquez, Suarez, Coninck & alij plures, quos citat & sequitur P. Dicastillo *Tr. 1. de Sacr. in Gen. D. 1. n. 159.* qui omnes docent, Sacramentum sub talibus verbis administratum non valere, si significetur, æqualiter concurrere Deiparam cum SS. Trinitate: valere verò, si solùm intendatur intercessio B. Virginis, quia nimirum in priore casu forma substantialiter mutatur, secus in posteriore, sed tantùm accidentaliter. Atqui Mariophilus non intendit æqualitatem B. Virginis cum SS. Trinitate, sed eius tantùm cultum & opem singularem, Ergo &c.

Ad fundamentum Contrariæ Sententiæ negamus, formam esse falsam ex additione vltimorum verborum, cùm hæc minimè in illa involvantur, nec illud absolutè asseruit Vasquez, vt ostendit Dicastillo *lo. cit. n. 170.*

Ad 1. probationem dicimus, Mariophilum habuisse voluntatem verè baptizandi, antequam vltima verba proferret, hocipsò quod ista accidentaliter tantùm adiecerit. Deinde esto, non habuisset voluntatem determinatam seu absolutam efficiendi Sacramentum per illa verba prima de SS. Trinitate, antequam proferret vltima de Beatiss. Virgine, tamen habuisset volũtatem generalem quandam,

dam, & quasi conditionalem perficiendi Sacramentum inclusam in illa voluntate faciendi, quod facit Ecclesia, vel instituit Christus, quæ voluntas generalis sufficit, vt ex vi illius in eo instanti perficiatur forma, in quo finita est forma essentialis Baptismi, antequam addantur cetera accidentalia de B. Virgine.

Ad 2. Dicimus, neutiquam omnia verba eodem modo pronuntiari; nam tum ex intentione proferentis, tum secundum commune Christianorum audientium iudicium priora de SS. Trinitate pronuntiantur, vt substantialia: posteriora de B. Virgine, vt merè accidentalia. Quare nec eodem modo significant & operantur; prius enim quàm vltima de B. Virgine proferantur, priora de SS. Trinitate iam perfectum suum significatum habent, & effectum ponunt; vnde denique nihil hîc veritati formæ repugnans reperitur, vt bene Coninck *n. 73*. Prudenter tamen monet Dicastillo *n. 174*. vitandas esse tales additiones; tum quod minùs conformes sint institutioni Christi, qui voluit, Sacramentorum formas certis & determinatis verbis proferri, tum quod communi vsui & præcepto Ecclesiæ in re magni momenti repugnent.

LVIII. *Maxentius vir diues plures habet res raras & peregrinas, easq; nulli quidem venales proponit, si quis tamē illarū aliquam cupit, vendit eandem, quocunq; potest pretio. Quæritur. Vtrum licitè?*

Vi-

Videtur omninò licitè vendere. Ita Sotus *L.6. de just. q.2. art. 3. ad fin.* Medina, Ledesma, Bannez, Salon. Valent. Sa *V. emptio. n. 3.* Pet. Nauarr. *l.3. c.2. n.11.* & alij. Mouentur: Tum quia similia peregrina nec legitimum, nec vulgare pretium habent, sicut nec vsus mulieris, cantus, saltatio exquisitior. Ergo ex voluntate contrahentium sortiri illud debét. Tum quia eadem non sunt necessaria hominum vsibus: nec tenetur venditor illa à se alienare. Ergo poterit quoduis ab emptore pretium exigere. Cùm aliàs iuxta commune adagium *res tantum valeat, quantum vendi possit.* Tum quia emens rem pretio excessiuo, cùm nullâ id necessitate faciat, excessum pretij donare censetur. Tum quia apud Iapones & Æthiopas res vilissimæ magni sæpè æstimantur, & iustè pro eis magna pecuniæ copia accipitur.

Resp. Maxentium pro prædictis rebus peregrinis, vel alijs exquisitis, aut non necessarijs illud solùm pretium exigere posse, quod prudentis arbitrio, spectatis circumstantijs, iustum censetur, ac proinde illicitè easdem vendere pretio, quo potest maximo. Ita Nauarr. *c. 23. Enchiridij n. 78.* Caiet. 2. 2. *q. 77. art.* 1. Molin. D. *384. ad fin.* Rebellus *l. 2. q. 2. sect. 2. n. 10. ad 2.* Lessius *l. 2. de just. c. 21. dub. 3.* Ioan. Salas *de empt. & vendit. dub. 5.* & alij. Ratio est, quia in his rebus, quæ legitimum

pre-

pretium aut vulgare non habent, illud censetur iustum, quod communiter iustum æstimatur; ex hac quippe communi æstimatione, quæ est quædam quasi lex, constitutio pretij pendet, non autem ex voluntate cuiusque, aut ex singulari alterius affectu; valdè siquidem alienum à ratione est, rei valorem ex proprio tantùm iudicio, & ex nimio emptoris affectu, animique leuitate pensare, vti resoluitur *in l. pretia rerum ff. ad l. Falcidiam.*

Ad 1. *in contrarium* negamus consequentiam ob rationem recèns indicatam. *Ad* 2. Esto illæ res non sint necessariæ: nec teneatur illas vendere Maxentius; si tamen vendere velit, pretium illarum à communi prudentum iudicio statuere debet. Adagium illud *res tantum valet,* &c. intelligendum intra latitudinem iusti pretij, & seclusâ fraude. *Ad* 3. dicimus, nullam esse causam huius præsumptionis, cùm excessum non concederet, si iusto pretio rem obtinere posset. *Ad* 4. Æstimationem illam esse iustam, cùm non ex iudicio vnius, sed ex communi fiat, quæ licet irrationabilis sit, sufficit tamen ad pretium iustum constituendum, vt rectè aduertit Couarr. *2. variar. c. 3. n. 4.*

LIX. *Narses Clericus Beneficiatus in nuperis Bacchanalibus laruatus per Ciuitatem incessit, alijsque personatis Laicis se iungens post varios iocos exercitos, tandem cum vno eorum rixas exci-*

tauit, & insigniter ab eo, licet ignotus, vapulauit, ac tandem post abreptam laruam est agnitus, non tamen amplius percussus. Quæritur 1. Vtrum Narses laruatus incedendo per ciuitatem peccárit mortaliter? 2. Vtrum percutiens Narsetem excommunicationem incurrerit?

Videtur. Non peccâsse mortaliter. Tum quia nullibi in iure Canonico laruæ Clericis tam grauiter interdicuntur. Tum quia Narses nullum dedit scandalum sæcularibus, cùm à paucis tandem fuerit cognitus, & aliàs modestiam & decorem seruauerit,

Resp. 1. Narsetem peccâsse mortaliter laruatum per ciuitatem in Bacchanalibus incedendo. Ita Hieronym. Garcia *in Sum. Theolog. Moral. Tr. 1. Diffic. 2. dub. 2. num. 5.* Barbosa *in collectanea iuris Eccles. L. 1. c. 40. n. 64.* & alij apud hos relati. Prob. Tum. *ex Cap. cùm ad decorem 12. & c. Clerici officia 15. de vita & honestate Clericorum,* vbi talis incessus Clericorum vocatur turpitudo & Corruptela, præcipiturque vt extirpetur, ne per eam Ecclesiæ inquinetur honestas. Tum quia hoc ipso quod Clericus incedat personatus, incedit immodestè & absque decoro, quem incessum Ecclesia innumeris ferè monitis & decretis cauere voluit, vt testatur Pax Iordan. *L. 10. suarum Elucubrationum Tit. 37. n. 2.* Ergo cùm tantisemper fecerit Ecclesia externā Clericorum compositionem, Narses mortaliter

peccauerit,

peccauerit, necesse est, cùm grauiter contra eam deliquerit.

Resp. 2. Eum, qui percussit Narsetem ignorans, esse Clericum, non incurrisse vllam Censuram. Ita Barbosa *in Collectanea Juris Pontificij ad Cap. Si quis suadente. n. 50.* Vbi ex communi DD. docet, Canonis Censuram non incurri ab eo, qui percussit Clericum probabiliter ignorans esse Clericum; quomodo autem in proposito percutiens sub tam turpi larua & vestitu latere Clericum conijcere potuit?

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium. Esto enim scandalum non fuerit secutum, ipsa tamen actio ex se ita turpis est, vt vehementer dedeceat Clericum, & scandalum facilè parere possit, quæ enim modestia & decor in Clerico personato cogitari amplius potest?

LX. *Nellus Sacerdos confessionem excipit Othonis, & sciens postea, se bonâ fide confessum invalidè absoluisse, licet grauia attulerit peccata, vehementer angitur, qui errorem suum emendet. Quæritur. Quid faciat?*

Videtur Nellus teneri monere Othonem de errore suo, nisi fortè Otho rursus confiteatur, & adhortando induci facilè possit ad dolorem omnium peccatorum præteritorum: aut nisi Nello graue ex hac admonitione malum resultet. Ita Suarez, Vasquez, Coninck,

Granadus, Card. Lugo *de pœn. D. 22. à n. 51.* Dicastillo *D. 10. n. 500.* Arriaga *D. 44. n. 11.* & plurimi alij, quos refert & sequitur Diana *P. 2. Tr. 15. Res. 6. & P. 11. Tr. 4. Resol. 9.* Mouentur. Tum quia priuatio gratiæ alioquin non conferendæ est graue damnum. Ergo debet pœnitens moneri, ne illud patiatur, sed eam gratiam recipiat per alteram validam absolutionem. Tum quia ille, qui est alteri causa violandi graue aliquod præceptum, tenetur illi auferre ignorantiam, vt legem Dei seruare possit, v. g. qui dixit alteri: *non teneris audire sacrum die festo &c.* debet eum postea de obligatione audiendi monere. Ergo à pari Nellus debet monere Othonem, vt postea seruet præceptum, ea peccata confitendi, siquidem illa adhuc non sunt validè subiecta clauibus Ecclesiæ &c.

Resp. Nellus Confessarius in præsenti casu non tenetur ad aliquid significandum Othoni, sed sufficit eum satisfacere Deo pro peccato commisso, nisi Otho pœnitens in tali statu esset, in quo probabiliter non putaretur vlla peccata confessurus. Ita D. Antoninus, Sylvester & Nauarrus apud Suarez *D. 32. s. 6. n. 5.* quibus Lugo *lo. cit* addit Ioannem Valerum, & Diana *Resol. 9. itid. cit.* Ioannem Pontium *in curs. Theol. D. 46. q. 11. concl. 6. n. 149.* Probatur. Tum quia, etsi Otho non sit verè absolutus & iustificatus, nisi habuerit

rit contritionem, attamen cum bonâ fide procedat, per proximam confessionem ponetur in statum gratiæ, non obstante priori defectu, siquidem tunc malè confessa condonabuntur indirectè postea virtute alterius confessionis sequentis. Tum quia perarduũ est, Confessarium sese infamare debere, dicendo, malè se absoluisse. Tum quia Nellus Confessarius vix aliud facere potest, quàm dolere de commissa culpa, & Othonem in bona fide relinquere. Nam non potest absoluere absentem post Clementis VIII. declarationem: nec præsentem & inscium, poterit enim intereà temporis peccasse mortaliter: nec facilè monere propter erroré comissum absq; periculo sigilli, quippe dicere: *confitere mihi iterum, etenim non habui jurisdictionem te absoluendi* idem est, ac dicere: *tu habuisti casum reseruatũ*, &c.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, hanc iacturam non esse tanti faciendam, cum mille alijs modis reparari possit, vt ipse fatetur Lugo *n.* 56.

Ad 2. Distinguimus antecedens, & concedimus, si periculum sit, sæpius similia peccata committendi: secus, negamus; in casu autem ignorantiæ de obligatione audiendæ missæ subesset tale periculum: minimè verò in casu confessionis inualidè propter defectũ jurisdictionis in Sacerdote.

LXI. *Nereus à longo iam tempore malè affectus erga Achilleum Clericum nuper obvium habuit Achillem ititem Clericum & Achilleo persimi-*

lem, in quem idcirco primò verbis invehitur iniuriosis, mox verbera addit, & tandem factâ iam percussione errorem suum agnoscit. Quæritur. Vtrum Censuram excommunicationis incurrerit?

Videtur non incurrisse. Nam qui volens percutere Petrum Clericum aberrat, & præter intentionem percutit Paulum itidem Clericum Petro astantem, non contrahit excommunicationem, vt ex communi Doctorum tradit Bonac. *Tom.* 1. *Tr. de cens. D.* 1. *q.* 2. *punct. num.* 20. Ergo nec eandem Nereus, cùm par vtrinque sit ratio.

Resp. Nereum in Censuram excommunicationis percutiendo Achillem incidisse. Ita Couarr. Vega. Sayr, Sanchez, Layman, & alij, quos refert & sequitur Barbos. *L.* 1. *iuris Ecclesiastici vniuersi. c.* 39. *n.* 59. Ratio est Tum quia tam intentio, quàm opus externum est iniuriosum statui clericali, propter cuius reuerentiam fuit imposita excommunicatio. Tum quia nulla ignorantia excusat Nereum in hoc casu, cùm habeat intentionem percutiendi Clericum, & reipsâ percutiat Clericum, quamuis putet esse alium Clericum.

Ad rationem in contrarium negamus consequentiam propter disparitatem, quia in casu nostro Nereus voluntariè percutit Achillem, quem nouit esse Clericum, in quo tota ratio consistit, ob quam Canonis excommunicatio lata est; at verò in casu obiectionis voluntariè non

non percutitur homo, qui scitur esse Clericus, sed percussio huius Clerici casu accidit, & præter omnem intentionem, vt proinde, cessante voluntario, locum excommunicatio ampliùs non reperiat.

LXII. *Nicander Parochus curis, negotijs, & colloquijs varijs ita frequenter distrahitur, vt ante Sacramentorum administrationem non aliam habeat voluntatem, quàm more aliorũ Sacerdotum sacris se vestibus induendi, locum designatum adeundi, & cetera consueta faciendi, quam incuriam & mentis occupationem, cùm aliquando aperiret Confessario suo, grauis ei iniectus est scrupulus de Sacramentis invalidè administratis, quo scrupulo etiamnum vehementer angitur. Quæritur. Vtrum voluntas prædicta sufficiens sit intentio à Trident. sess. 7. Can. 11. ad effectionem Sacramenti requisita, vt illâ præsente, Sacramenta validè administrata fuisse censeãtur?*

Videtur non esse sufficientem ex communi Theologorum. Tum quia voluntas illa nec est intentio actualis, quam admittunt omnes: nec virtualis ex priori actuali remanens, quam itidem omnes agnoscunt sufficientem: nec deniq; habitualis, siue illa actualis, quâ quis Sacramentum Ordinis accepit, vt Sacerdos & Minister Christi fieret, ac nunquam eam retractauit, quam sufficientem agnoscere videntur Valentia *Tom.* 4. *D.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. & Henriquez *in Sum. l.* 1, *c.* 10, *num.* 2.

Tum quia itentio faciendi ſolùm exteriorem actum in conficiendis Sacramentis ex communi Catholic: nõ ſufficit, vt videre eſt apud Dicaſtillo *Tr. 1. de Sacr. in genere. D. 3. n 46.* Atqui voluntas illa videtur talis ſolùm intentio. Ergo &c.

Reſp. Probabile eſſe, Nicandrum validè voluntate illâ ſuâ confeciſſe Sacramenta. Ita Reginaldus in praxi *Tom 2. l. 26. c. 3. n. 38.* quem ſequitur Diana *P. 2. Tr. 17. reſol. 32.* Ratio eſt. Tum quia induere Sacerdotales veſtes, & cum his conferre ſe ad altare, aliáque peragere, eſt medium ex inſtitutione Eccleſiæ ad celebrationem Miſſæ. Ergo eoipſo quod Nicander velit more ſolido veſtes ſacras induere, introire ad altare &c. Virtualem habet intentionem. Tum quia volens ſuſcipere Subdiaconatum more cæterorum cenſetur virtualiter velle caſtitatem, quæ ex ordinatione Eccleſiæ ipſi eſt annexa, etiamſi eius intentionem aliam non habuerit. Item volens profiteri in aliqua Religione more aliorum ad omnia virtualiter ſe aſtringit, quæ in illa obſeruari debent, etiamſi hoc apertè non expreſſerit. Ergo etiam volens induere veſtes ſacras more aliorum Sacerdotum vult virtualiter Sacramentũ conficere, etiamſi hoc nullâ actuali volitione expreſsè intenderit. Tum quia S. Athanaſius cùm puer olim alios pueros baptizaret, verum confecit Sacramentum,

tum, vt iudicauit Alexander Patriarcha Alexandrinus, & tamen reuerà non videtur aliud voluisse, quàm affundere aquam, & proferre verba eo modo, quo facere vidit alios baptizantes, nullam autem aliam actualem & expressam intentionem habuisse, quâ expressè vellet Sacramentum, vt obiectum. Ergo voluntas talis sufficit ad valorem Sacramentorum. Tum quia nisi hæc voluntas sufficit, haud immeritò magni scrupuli & anxietates excitari possunt in Ecclesia apud fideles de suo Baptismo, absolutione, alijsque Sacramentis ritè susceptis, cùm non rarò Sacerdotes vel nullam actualem & expressam intentionem habeant, vel semel habitam interuenientibus varijs curis & negotijs ita denuò interrumpant, vt in nullo suo effectu virtualiter permanere putari facilè possit.

Ad. 1. in contrarim dicimus, hanc voluntatem esse virtualem intentionem eo modo explicatam, quo diximus, videlicet quia virtute quasi æquipollet actuali, & perinde se habet, acsi diceret Nicander: *volo & intendo induendo has sacras vestes facere, quod facit Ecclesia, & de facto his annexuit.* *Ad 2.* negamus minorem, cùm toto cœlo distent; nam intentio ista fertur in actum externum, nudè spectatum, & vt separabilem à Sacramento: minimè verò voluntas Nicandri, quæ tendit in actum exteriorem, vt de facto connexus est ab Eccle-

ſia cum ratione Sacramenti, hocipſo quod velit non quomodocunque induere ſacras veſtes, ſed more aliorum Sacerdotum, qui ex inſtitutione Eccleſiæ eaſdem induunt ad efficiendum Sacramentum. Quamuis virtualis iſthæc intentio nunquam ſuadenda ſit, ſed melior eligenda, ſi tamen ſola aliquando adhibeatur in adminiſtratione Sacramenti, ſufficiens videtur eſſe, vt vi illius valor Sacramenti iure ſubſiſtere cenſeatur.

LXIII. *Oreſtes in officio eſt apud virum quemdam primarium, & magnâ apud hunc gratia pollet. Verùm labitur frequenter cum fœmina quadam apud eundem Dominum commorante. Lapſum hunc dum explicat in Confeßione, iubeturque occaſionem peccati proximam deſerere, ait, abſq; nota famæ, & graui incommodo ſuo facere hoc ſe non poſſe: aliunde verò non eſſe in ſua poteſtate, fœminam illam amouere: pollicetur interim media præſcripta pro emendatione adhibere, at omnibus his tentatis, & abſoutione Sacramentali aliquoties datâ, nihil emendationis ſubſequitur, ſed lapſus carnis frequentatur continuò. Quæritur. Vtrum Oreſtes tandem abſolui poßit, & non potius cogi debeat ad occaſionem proximam deſerendam etiam cum grauiori ſuo incommodo?*

Videtur Oreſtes cogendus ad occaſionem proximam deſerendam: ſecùs, non abſoluendus. Ita Suarez, Graffius, Reginald. in praxi pœnit. Tom. 1. l. 8. n. 19. & plerique alij.

Tum

Tum quia experientiâ constat, remotionem occasionis huius proximæ esse necessariam ad vitandum peccatum. Tum quia absque hac remotione propositum emendationis adesse nequit.

Resp. Orestem, si alioquin hîc & nunc capax est, absoluendum esse toties, quoties cum suo relapsu redit. Ita Io: Sanchez *in disp. select. D. 10. n. 16.* Cardin. Lugo *de Pœnit. D. 14. n. 156.* Palao *P. 1. Tr. 2. D. 2. p. 9. n. 8.* Dicastillo *D. 6. n. 3.* 40. & apud hos plures alij. Probatur. Tum quia occasio proxima non est in se peccatum: aliunde autem post quantamcunque experientiam nullius emendationis stare potest reipsâ efficax contritio & propositum absque voluntate remouendi occasionem cum tanto detrimento proprio. Ergo si videatur Orestes legitimè contritus, potest absolui, quia nolle relinquere occasionem proximam, non est peccatum, nisi respectu illius, qui moraliter censetur, posse eam relinquere; alioqui si esset peccatum, nec aliquoties potuisset absolui, quod tamẽ concedunt Aduersarij. Tum quia Orestes manens in occasione proxima, quam sine graui suo damno vitare non potest, non censetur per hoc, nisi tantùm permittere subsequens peccatum: minimè verò istud committere. Ergo cum peccatum illud refundere nequeat malitiam in voluntatem sui tantùm permissiuam, etiam impedire

pedire non potest debitam dispositionem, & consequenter ipsam Sacramentalem absolutionem. Tum quia vel illa absolutio tunc est neganda, aut differenda propter frequentiam peccandi, vel occasionem non vitatam? non hoc posterius, quia propter notam famæ, & incommodum suum graue non tenetur Orestes hîc & nunc vitare, vt supponimus: non illud prius, quia negatio aut dilatio absolutionis nihil prodest ad hanc frequentiam peccandi tollendam, vt experiuntur Confessarij; certè non plus prodest ad istam, quàm gratia Sacramenti, & auxilia, quæ intuitu illius ritè suscepti dari solent; Ex quo sic argumentari licet. Remedium à Christo ordinatum contra peccata futura nulli illius capaci est denegandum. Atqui Sacramentalis absolutio est remedium à Christo institutum non solùm ad delenda præterita, sed etiam ad præcauenda peccata futura, eiusque Orestes propter dolorem & propositum emendationis est capax. Ergo huic absolutio Sacramentalis non est deneganda siue absolutè, siue per aliquod tempus eam differendo. Quod si Orestes tanto dolore reum se sistat, vt non modò attritus, sed etiam contritus censeri possit, magis durum & absonum videtur, amicum Dei & Huius amantem super omnia, nō iam propter peccata præterita, sed propter metum futurorum beneficio Sacramenti & absolutione priuari.

Atque

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium; Nam sicut contritio & propositum stare potest cum morali illa certitudine rarioris relapsûs, quod, vt diximus, concedunt Aduersarij, sic etiam stare potest cum certitudine morali frequentioris relapsûs. Ergo quemadmodum in illo, sic in hoc casu remotio occasionis proxima non est ita necessaria, vt absque illa absolutio dari nequeat, etiam si sufficiens aliàs dolor & propositum adesse videatur.

LXIV. *Osius Episcopus rogatus, vt baptizaret infantem cuiusdam magni comitis compareret in arce huius, sed dum officio hoc sacro fungi vult, nullus adhuc adest ex designatis Patrinus. Osius ergo sese designat, inque sui vicem aliquē ex astantibus sibi substituit. Quæritur.* 1. *Vtrū Osius simul baptizans & Patrinus esse potuerit?* 2. *Vtrum sæcularis ille loco Osij substitutus contraxerit cognationem spiritualem?*

Videtur non potuisse simul esse baptizans & Patrinus. Tum quia Valentia *tom* 4. *d.* 4 *q.* 2. *pun.* 3. ait, certissimam & indubitatam esse doctrinam D. Thomæ 3. *p. q.* 67. *art.* 7 *&* 8. ex perpetua traditione & vsu Ecclesiæ desumptam, in baptismo præter baptizantem debere esse aliquem, qui baptizatum ex sacro fonte suscipiat, vbi *Tò præter* importat distinctionem personarum. Tum quia Episcopus tanquam Supremus Diœcesis suæ Parochus ab

Ecclesia

Ecclesia constituitur designator Patrini. Ergo non debet esse ipse Patrinus. Tum quia inter designantem & Patrinum debet esse contractus, vt docet Barbosa *de off. Episc. p.2. alleg.30. n.47.* Atqui contractus necessariò debet esse inter duos distinctos. Tum quia Pater non potest esse Patrinus respectu Filij, nisi in necessitate, vbi non requiritur Patrinus. Ergo nec baptizans, quia iste censetur Pater spiritualis. Dato tamen, quod Osius verus esset Patrinus, non idcirco contraheret cognationem spiritualem, sed sæcularis ab illo substitutus, cum ad rationem Patrinatûs actio personalis requiratur, quam Episcopus non exercet, vt præter alios docet Azor *Institut. Mor. p.1. l.2. c.12.* & Sanchez *de Matrim. l.7. D.49. n.4.*

Resp. 1. Episcopum Osium validè potuisse esse simul baptizantem & Patrinum. Ratio est, quia nullum jus ostendi potest, quod ipsum ab hoc onere arceat, cum tamen ex hoc jure apud Theologos passim diligenter enumerentur personæ incapaces, & conueniat inter omnes, ad munus Patrini tria solùm requiri necessariò, nempe *Vsum Rationis, Sacramentum, Baptismi* scil. *& intentionem*, quorum nullum desideratur in Osio. Resp. 2. Osium etiam licitè potuisse & baptizantem & Patrinum esse. Nam licet saltem ex consuetudine passim recepta baptizans & Patrinus

nus debeant esse distincti, hæc tamen consuetudo non ita est introducta & recepta, quin aliud subinde ex rationabili causa fieri licitè possit. Cum ergo in casu nostro alius Patrinus non compareat, nec conueniat, Episcopum diutius exspectare, aut baptismum differri, sufficientem habet rationem Osius, cur vnus vtrumque officium obire velit. Resp. 3. Osium Episcopum contraxisse cognationem spiritualem; non verò sæcularem eius substitutũ. Ita passim DD. ex vniuersali praxi, quã, inquit Barbosa *lo cit. n.* 50. decidit Congr. Cardin. vt plures etiam alij apud eundem testantur. Ratio est. Tum quia, quæ agit procurator, non proprio nomine agit, sed nomine Principalis seu substituentis. Tum quia Osius fuit designatus Patrinus; sæcularis autem solùm in locum eius fuit substitutus.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, Valentiam aliud non velle, quàm ex vsu Ecclesiæ & doctrina S. Thomæ in baptismo debere esse, & qui baptizet, & qui baptizatum ex sacro fonte leuet, non autem hos debere esse duos distinctos homines, nec hanc distinctionem ex particula *Præter* evinci, cum vnus homo duo officia obire possit, & sæpe in alijs quoque soleat. *Ad* 2. negamus, consequentiam, aliàs in nullo casu Patrinus esse posset genitor infantis, cum iste inprimis designare debeat Patrinos. *Ad* 3. distinguimus Min. contractus

strictè

strictè sumptus debet esse inter distinctos hominis, transeat: contractus latè sumptus pro assensu ad hoc munus obeundum debet esse necessariò inter homines distinctos, negamus, quod iterũ patet ex instantia genitoris, quando ipse consentit in munus Patrini obeũdum respectu filij sui. *Ad* 4. patet ex recèns dictis. *Ad* 5. ad cognationem spiritualem requiri quidem actionem personalem, non physicè, sed imputatiuè saltem, qualem etiam exercet Episcopus, quia huic imputatur actio physica eius, quem substituit.

LXV. *Palmatius, vir consularis cùm ciuitatẽ obambularet, obuium habet in foro prope curiam quemdam ciuem, qui simul ipsi alapam infligit, ac fugam arripit, quâ iniuriâ grauiter commotus Palmatius, vt honori consulat suo, mox fugientem insequitur, & deprehensum ita vulnerat, vt ferè de vita periclitetur. Quæritur. Vtrum licitè hoc fecerit?*

Videtur non licitè fecisse. Ita Sotus *l.* 5. *de Iustit. q.* 1. *art.* 8. Molin. *de Iustit.* D. 17. *n.* 8. & plures alij, quos refert & sequitur Cardin. de Lugo *de Iust.* D. 10. *n.* 190. Tum quia percussio vel occisio priuata tantùm licet ad defensionem honoris conseruandi: non verò vel ad recuperationem eiusdem iam amissi, vel acquisitionem noui; hæc enim non erit defensio, sed vindicta, quæ priuatâ authoritate semper est illicita. Atqui in proposito percus-

sio

sio vel occisio seruit tantùm ad recuperationem honoris iam amissi, vel acquisitionem noui ex fortitudine. Ergo &c. Tum quia aliàs maritus licitè occideret adulterũ, quod communis Theologorum sententia negat.

Resp. Palmatium potuisse licitè statim insequi, & vulnerare iniustum inuasorem. Ita Mart. Nauarr. *in Manuali. c. 15. n. 3 in fine.* Petrus Nauarr. *l. 2. c. 3. n. 380.* Rodriquez, Lopez, Henriquez, Dicastillo *de Iust. l. 2. Tr. 1. D. 10. n. 74.* & alij. Ratio est. Quia vir honoratus ad honoris sui conseruationem licitè potest repercutere, vel etiam occidere inuasorem, qui alapâ vel fuste impacto eripere eum nititur, vt concedit ipse Lugo *n. 186.* & communiter alij, quidquid secus sentiat Harprecht *in Instit. Tom. 4. Tit. de publ. judicijs. n.* 171. Atqui Palmatius vt honorem conseruet suum, quem inuadens inflictâ alapâ auferre nitebatur, mox istum insequitur & vulnerat; moraliter quippe aggressio per impactum colaphum adhuc durat, & nondum honor in facto esse censetur amissus, sed insecutione & vulneratione impediri, ne sit in facto esse. Ergo &c.

damnata propositio ab innoc. XI. 30

Atque ex his patet etiam ad 1. in contrarium, cùm insecutio & vulneratio non tam habeat vim vindictæ, quàm iustæ defensionis honoris, impediendo, ne amissio huius maneat perfecta & consumata, atque in facto esse. *Ad 2.*

negamus illatum, cùm maritus non versetur in periculo tam aperto honoris amittendi, & adulter commodè ad Magistratum deferri, atque ab hoc pro meritis plecti possit.

LXVI. *Papius & Vltanus graui odio diu se mutuò prosequuntur. Tandem verò Papius mitioris indolis à viris Religiosis persuasus omnē rancorem ex corde eousque deponit, vt tamen hæreat in memoria; vnde Vltanum nec obuium salutat, nec alia ei benevolentiæ signa exhibet, etsi sciat fore, vt ex illis benevolentiæ signis motus Vltanus similiter ab odio desistat. Quæritur. Vtrum Papius verè ignoverit Vltano hosti suo, ita vt ad aliud ex lege charitatis non amplius teneatur?*

Videtur verè ignouisse, nec ad aliud teneri. Ita communis Theolog. dum aiunt, ad ignoscendum inimico sufficere, odium personæ seu inimicitiæ ex animo excludere, cùm sæpè impossibile sit, illud ex memoria eijcere: nec teneri quemquam inimicum diligere positiuo & peculiari actu v. g. salutatione, allocutione, visitatione, consolatione & simili, quia hæc sunt specialia signa amoris, ad quæ nemo obligatur, sed tantùm ad communia, v.g. orationem, & eleemosynam communem, resalutationem, responsionem, expositarum mercium venditionem &c.

Resp. Cum Coninck *de actibus supernat. D. 24. n. 91. & 97.* Bonac. *Tom. 2. D 3. de Charitate pun. 3. n. 3.* Palao *Tr. 6. D. 1. pun. 6. num. vlt.*

vlt. & alijs distinguendo. Si Papius grauem sentiat difficultatem in salutatione & alijs signis beneuolentiæ exhibendis, cogi eum non posse ad ista præstanda, cùm nō teneatur cum tanta difficultate salutem inimici procurare: Verùm si Papio non adeò molestum accidat, illa præstare, obligari eundem. Quia bonum spirituale inimici, sicut & cuiuslibet proximi, procurare debet etiam cum aliquo suo incommodo, aliàs non esset nobis præceptum Exodi 23. *Leuare asinum inimici iacentem sub onere*, & Prou. 25. *esurientem inimicum cibare.*

Ad rationem in oppositum dicimus, eam intelligendam esse iuxta datam distinctionem, quòd etiam sentit Layman *l. 2. tr. 3. c. 4. n. 2.* aiens, illam esse veram, per se loquendo; quia si omissio illorum signorum scandalosa esset, aut per aliquid eorundem posses sine tuo incommodo inimicum tibi & Deo reconciliare, id omittere, foret graue peccatum.

LXVII. *Pausilippus emphyteuta elapso triennio non soluit canonem domino suo, qui idcirco propriâ authoritate rem emphyteuticam ingredi nititur, quod aduertens emphyteuta ad resistendum se parat, priùs tamen ea de re Confessarium consulit. Quæritur. Vtrum dominus canone post triennium non soluto possit propriâ suâ authoritate rem emphyteuticam ingredi: & inhibere debeat Confessarius emphyteutam à resistentia paranda?*

Videtur posse. Ita Minsinger *Cent. 3. obseruat. 65.* Molin. *D. 453. circa fin.* Tanner *Tom. 3. D. 4. q. 7. n. 168.* Layman *l. 3. sect. 5. Tr. 4. c. 23. n. 8* & alij. Mouentur. Tum *l. 2. Cod. de jure emphyteut.* vbi ipsi domino conceditur, vt possit expellere emphyteutam non soluentem canonem. Ergo signum est, officium Iudicis non requiri. Tum quia dominus ciuilem habet possessionem rei emphyteuticæ; Ergo potest hanc ingredi, ac naturalem possessionem ab alio iniustè occupatâ repellere.

Resp. Dominum proprietarium canone post triennium non soluto non posse ingredi rem emphyteuticam: adeóq; nec Pausilippũ ex consilio Confessarij posse licitè eidem se opponere. Ita Rebellus *de obligat. justit. part. 2. l. 13. q. 12.* Palao *de justit. Tr. 32. D. 10. p. 10. n. 2.* & alij ab his relati. Probatur. Tum quia lex concedere nequit proprietario facultatem expellendi emphyteutam, nisi constet certò, hunc *in Commissum* incidisse, quod tamen vix vnquam potest; quid enim si ignorantia, vel legitimum impedimentum excusârit? Tum quia expulsio hæc, etsi sit conditio contractûs emphyteutici, sapit tamen pœnam criminis commissi, quæ ante sententiam Iudicis sustineri non debet.

Ad 1. in contrarium dicimus, legem illam intelligendam esse subsecutâ Iudicis declaratione. *Ad 2.* concedimus totum; negamus verò

verò emphyteutam iniustè obtinere possessionem naturalem; nam tametsi iste jure ipso priuatus sit post declaratam domini voluntatem, vt tamen hæc priuatio in executionem veniat, accedere debet sententia Iudicis declaratoria; interea autem iustè possessionem tenet, nec ab habente possessionem ciuilem repelli potest.

LXVIII. *Persius Sacerdos iter faciens diuertit in via ad templum aliquod sacrificaturus; sed intelligit ex Parocho loci omnes sacros calices nuperrimè fuisse furtim ablatos, & defacto alium non adesse, quàm recèns allatum ab aurifabro & nondum consecratum; ille non obstante hoc Sacrificium in isto peragit, statimque iterum discedit. Quæritur* 1. *An & quomodo Persius vtendo hoc calice nondum consecrato peccauerit?* 2. *An idem calix hoc ipso iam sit consecratus?*

Videtur calix ex eo quod iam Sacrificium diuinum in ipso sit peractum, nondum consecratus. Ita post Nauarrum, Azor, Layman, Fagundez & alios Card. de Lugo *de Euch. D.* 20. *s.* 4. *n.* 91. Dicastillo *de Sacrif. Missæ. D.* 4. *n.* 198. & Arriaga de Euch. *D.* 55. *n* 13. vbi ait, hoc omnino esse certum. Tum quia ex sac. Canonibus & Ecclesiæ vsu habetur, calicem sacrificio diuino peragendo aptum & legitimum non censeri, nisi ab habente potestatem ad id deputatum & consecratum. Tum quia sic contra communem aliorum DD. multa

non amplius indigerent consecratione v. g. Ecclesia, altare, vestes, aliaque ornamenta. Ex his ijdem Authores docent, Persium peccasse mortaliter, simulque incurrisse pœnam depositionis ab off & Benef. quod *ex c. vlt. de celebr. Miss* nominatim sentit Bonacina *de Euch. D. 4. q. vlt. pun. 9. n.* 17.

Resp. 1. Probabile videri, calicem, in quo nondum consecrato Sacerdos aliquis sacrificauit (siue bonâ siue malâ fide id fecerit cùm nihil inde sanctitatis in calicé redundet) remanere cõsecratum. Ita P. Coninck *de Sacr. q. 66 art. 2 dub. vnico. n.* 15. Pellizarius *in Man. Regul. tom. 2. Tr. 8. c. 5. s. 3. n.* 101. Tamburinus *de Sacrif. Missæ. l. 1. c 1 §. 4* & seq. & non pauci alij, quos refert & sequitur Diana *P. 9. tr. 7. Res.* 18 Ratio desumitur ex contactu tacito sanctissimi Corporis Christi, vnde omnis benedictio promanat. Confirmatur 1. ex communi SS. PP. Christus contactu suo, dum baptizaretur, sanctificauit aquas Iordanis. cur ergo calici contactu Corporis & Sanguinis sui benedictionem aliquam non relinquat? Confirmatur 2. nominatim authoritate S. Augustini, qui relatus à Suarez *de Euch. D. 51. s. 7.* sic ait: *Sed & nos pleraque instrumenta & vasa ex auro & argento habemus in vsum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur.* Resp. 2. à Persio commissum esse peccatum mortale

ex

ex communi DD, quia in re graui egit contra præceptum: de reliquo autem nullam incurrisse pœnam, quia *c. vlt.* loquitur de pœna inflicta peculiari presbytero pluriũ delictorum reo, quæ idcirco ad hunc vnicum casum & delictum extendi non debet.

Ad 1. in contrarium dicimus, æquipollenter, imò eminenter talem deputationem haberi per illum sacratissimum contactum. *Ad 2.* Eandem esse rationem de calice ac de corporali, pixide, & sphæra seu lunula imediatè Christum tangentibus: non autem de vestibus, alijsque ornamentis: item de Ecclesijs & altaribus non benedictis; quia non continguntur à sacratissimo Christi corpore; attamẽ tum in vestibus & ornamẽtis, tum in Ecclesijs & altaribus solùm reconciliandis tanta consecratio non videtur requiri; sed sufficere illam consecrationem, quæ ex ipso sacro ministerio in illa redundant; in quem sensum intelligimus illud Chrysostomi *hom. 20. in 2. ad Corinth: lapis quidẽ naturâ est, sanctũ autem fit, quoniam corpus accipit Christi.* Quod si post inchoatam iam Missam & canonem contingat templorum & altarium violatio, habetur illa ex dispositione juris pro iam absoluta ante prædictam violationem. Vrget Dicast. *n. 201.* ratus, sic Diaconum, qui Eucharistiam administrauit, non amplius inungendum in digitis, dum presbyter ordinatur.

Verùm cùm inunctio hæc non tam ad contactum Christi, quàm Sacerdotis ordinationem spectet, facilè apparet, nullam esse sequelam.

LXIX. *Petilianus obfirmato animo statuit cuidam Domino equum furtim abducere, hæretamen differtque non tàm occasione, quàm animositate destitutus, donec Petilius, cui propositum hoc aperuit, consensu suo animum addat, quo facto ille confirmatus cogitatum furtum statim exequitur, aliàs post aliquod primùm tempus, nec ita animosè id executurus. Quæritur. Vtrum Petilius teneatur ad restitutionem ablati equi, cum Petilianus nusquam amplius compareat?*

Videtur teneri. Ita Molina *Disp.* 736. Rebell. *L.* 2. *q.* 14. *§* 2. *concl.* 2. P Nauarr. *l.* 3. *de Restit. c.* 4. *n.* 48. & alij, quos refert & sequitur Dicastillo *Tr.* 2. *de Iust. D* 4. *n.* 14. Probant. Tum quia Petilius est causa totius actionis, vt nunc sit; esto enim Petilianus aliàs furaturus fuisset, diuersa tamen tunc actio extitisset. Tum quia Petilius tali modo substantiam furti attingit, animando Petilianum; imò istud furtum aliàs nunquam fortè accidisset, Petiliano animum mutante. Tum quia Petilius sic animum addendo adiuuat furem plus, quàm qui eidem tenet scalam, vel asportat rem furto sublatam, qui tamen omnes ex communi Authorum ad restitutionem tenentur.

Resp. Non teneri Petilium ad restitutionem

nem equi ablati. Ita S. Thomas 22. *L. 62. art.* 7. & disertè Martinus Navarrus *in Manuali c.* 17. *n.* 20. Paludan. Gabriel. Richard. Hostiens. & alij. Ratio est, quia ille non est obnoxius restitutioni, qui non tam est causa substantiæ damni, quàm modi vel circumstantiæ, cum qua executioni committitur, vt communiter admittunt Doctores. Atqui Petilius non est causa substantiæ damni, sed solùm circumstantiæ, scil. quod Petilianus citiùs & animosiùs equum abduxerit, vtpote ad hoc faciendum iam antea prorsus animo obfirmatus. Ergo &c. Vnde

Ad 1. *in contrarium* esto, quod Petilius sit causa totius actionis indiuiduæ, vt hîc & nunc fit, quia tamen illa, quà damnosa, secundum speciem iam erat parata in causa exequenti & secutura, nihil amplius circa eandem efficaciter operatur, sed novam solùm inducit circumstantiam, quod non est magni momenti. *Ad* 2. negamus, Petilium tali modo substantiam actionis, quà damnosæ, attingere, cum hæc, vt recèns diximus, iam antè secundum speciem ita fuerit parata in causa executrice, vt moraliter loquendo ex ea sequeretur, nec animus Petiliani immutaretur; non enim quælibet animatio furis attingit substantiam actionis, sed quæ influit positiuè: minimè verò, quæ ex sola ablatione terroris nascitur, vt in simili bene Lugo *de Iust.* D. 19. *n.* 102. *Ad* 3.

dicimus, tenentem ſcalas furi, & eiuſdem res furtiuas aſportantem interdum ita concurrere, vt abſque hoc ſubſidio totum damnum nihilominus contingeret: interdum ita vt abſque prædicto auxilio fur in domum penetrare, & res furtiuas aſportare non poſſet; in hoc poſteriori ſolùm caſu tenentem ſcalas, & res furtiuas aſportantem DD. communiter obligant ad reſtitutionem; non in illo priori, vt videre eſt apud Layman *l. 3. Tr. 2. c. 5. n. 5.* Vnde ex hac inſtantia confirmationem ac robur acquirit noſtra reſolutio.

LXX. *Quintilla pia matrona puerum quemdam recèns natum & admodum debilem ex neceſſitate baptizans inter triplam aquæ affuſionem profert hæc verba: Ego baptizo te in Nomine Patris: Ego baptizo te in Nomine Filij: Ego baptizo te in Nomine Spiritûs Sancti. Quæritur. Vtrum Baptiſmus ſic collatus ſit validus?*

Videtur non valere. Ita Comitolus *l. 1. Reſpon. Moral. q. 7.* & Bonacin. *de Sacram. D. 2. q. 2. pun. 4. n. 4.* quibus eoúſque ſubſcribit Layman *l. 5. tr. 2. c. 4. n. 5.* vt exiſtimet, talem Baptiſmum iterandum eſſe ſub conditione. Ratio iſtorum eſt. Tum quia in eo tres ſunt ablutiones, & tres formæ imperfectæ, quarum nulla per ſe eſt ſufficiens ad conſtituendum Baptiſmum, neque omnes ſimul conſtituunt, quia non poſſunt in vnam totalem & adæquatā formā coire. Tum quia in eodem

pro-

propter repetitionē verbi *in Nomine*, & propter omissionem coniunctionis *Et*, non satis exprimitur vnius DEitatis essentia, quod ad valorē Baptismi requiritur.

Resp. Baptismum sub prædicta forma collatum esse validum. Ita P. Dicastillo Tom. 1. *de Sacram. Tr.* 2. *D.* 1. *n.* 96. & plerique alij, planè supponentes, talem baptismum etiam sub conditione non esse repetendum. Probatur. Tum quia, quod implicitè forma continet, id expressè potest verbis proferri. At vsitata forma Baptismi habet tacitam professionem beneficij, quod à Patre & Filio & Spiritu S. in baptizatum per Sacramentum derivatur; nec enim solus Pater baptizat, aut emundat à peccato, sed etiam Filius, & Spiritus S. atque hoc ipsum minister, dum baptismum confert, præstat non in nomine solius Patris, sed etiam Filij, & Spiritûs S. Ergo hoc exprimere in forma non reddet irritum Sacramentum. Tum quia sicuti nihil refert, vtrum quis infantem semel tantùm, vel ter immergat in aquam, ita etiam nihil ad substantiam Sacramenti referre videtur, vtrum aqua ei semel affundatur repetito ablutionis verbo, an ter ob mysterium SS. Trinitatis. Tum quia repetitio illa eiusdem singularis vocis (in nomine, omissâ coniunctione Et) satis adhuc significat vnitatem diuinæ essentiæ, cùm per se sensum non immutet, perin-

de

de vt idem omnino est dicere: *DEus Pater, Filius, Spiritus S.* ac dicere: *DEus Pater, DEus Filius, DEus Spiritus S.* vti benè Dicastillo *loc. cit.*

Ad primum in contrarium dicimus, tres illas formas, seu potiùs partes constituere vnam totalem & completam formam, quod quidem difficilius non est, quàm vt diversæ formæ partiales in Ordine, & extrema Vnctione vnũ totũ Sacramẽtum cõstituãt, quod tamẽ passim concedunt omnes. *Ad 2.* Patet ex dictis, simulque sufficiens dubium ex hac præcisè forma non esse, cur Baptismus sic collatus etiam sub conditione repetatur.

LXXI. *Rachel in partu ingentem sentit difficultatem, vt tam ipsa, quàm proles vitâ periclitentur; quia verò ista adhuc viuere, & manum ex vtero materno porrigere videtur, vt illius vitæ spirituali succurratur, quædam ex præsentibus mulieribus infantem baptizandum putãt, quia tamen hoc aliæ dissuadent, extinguitur infans, antequam plenè enascatur. Quæritur. Vtrum infans in manu porrecta licitè baptizari potuisset?*

Videtur non potuisse Ita Bonac. *Tom. 1, D. 2 de Sacram. q. 2. pun. 6. num. 8.* & plures apud istum, nixi hoc fundamento, quod ex S. Augustin. *Epist. ad Dardanum* affert S. Thom. *p. 3 q. 68 art. 11.* Nemo renascitur spiritualiter, nisi priùs nascatur naturaliter. Sed Baptismus est quædam spiritualis regeneratio.

Ergo

Ergo non debet aliquis baptizari, antequam ex vtero nascatur.

Resp. Infantem in manu porrecta licitè & validè baptizari potuisse. Ita P. Suarez *Tom.3. in 3. part. q.68 art.* 11. Coninck *de Sacram. Q. 68. art. 11 n.9.* Basilius Pontius *de Matr. l.4. c. 25. n.7.* Gaspar Hurtado *D. 1. de Bapt. diffic. 6.* & plures apud hos. Ratio est, quia ablutio manûs (imò etiam digiti & quantũuis minimæ alterius partis) est vera ablutio, quâ homo dicitur absolutè & simpliciter ablui. Ergo est sufficiens ad valorem Baptismi. Confirmatur. Homo, si in minima sui parte vulnus accipiat, absolutè & simpliciter vulneratus dicitur. Ergo etiam si in manu aut alia minima parte abluatur, absolutè & simpliciter ablutus dici debet; cùm vniuersim ea, quæ regulariter nõ conueniunt omnibus aut præcipuis partibus, denominationem toti tribuant, si in minima etiam huius parte reperiantur. Vnde Card. de Lugo *in Resp. Moral. l.1. dub.* 1. admittit, verè etiam aliquem baptizari, si in solis capillis aspergatur. Sed estnè Baptismus sic collatus sub conditione iterandus, si infans periculum euadat? Affirmant communiter Doctores, quibus libenter subscribo, cùm in Sacramentis Baptismi, Sacerdotij, & Episcopatûs ob istorum necessitatem & damnum irreparabile ex illorum inualiditate oporteat nos, quoties fieri potest, viam

cer-

certam amplecti; potest autem aliquis vel ob solam Doctorum varietatem de valore Baptismi maximè in digito, capillis, &c. haud immeritò formidare, vt rectè Lugo *lo. cit.*

Ad fundamentum Contrariæ Sententiæ distinguimus Maiorem: Nemo spiritualiter renascitur, antequam nascatur naturaliter absolutè & omnimodè negamus: sufficienter in ordine ad ablutionem, concedimus; in casu autem nostro infans hocipsò, quod porrigat manum, sufficienter naturaliter nascitur, vt ablui possit. Ergo nihil obstat, quò minùs spiritualiter per Baptismum renascatur.

LXXII. *Reyprechtus cereuisiæ coctor aduertens hordeum in sequenti autumno præsentis anni maiori pretio vendendum, quàm in vere, emit vigesimo die Februarij à rustico quodam omne hordeum, quod ipsi proximâ æstate crescet mense Augusti tradendum eo pretio, quo illud in prædicto mense Februarij vendebatur, nempe singulas scaphas quatuor florenis. Interea temporis pretium hordei creuit, & in autumno vna scapha florenis sex vendita est, quo tamen non obstante rusticus in mense Augusti 50. scaphas attulit Reyprechto, & iuxta pacta nō plus pro singulis, quàm quatuor florenos accepit. Quæritur. Vtrum contractus iste sit licitus, ita vt Reyprechtus pro defectu communis pretij hordei in Autumno nihil restituere cogatur?*

Videtur iustus & licitus esse absque vllo onere

onere restitutionis. Tum quia vniuersim *res tantùm valet, quanti emi vendique potest*, vt asserunt nonnulli Iuristæ, modò absit dolus & fraus, vt limitat Gerson *de Contract.* cùm consentienti nulla fiat iniuria. Tum quia si esset illicitus, foret vsurarius. Atqui talis non est, vel quod non fuerit numerata pecunia, vel si etiam sit numerata, quod res post aliquot primùm menses tradenda minùs valeat, quàm si statim traderetur, vt docet Lessius *de just. cap.* 21. *n.* 61. Tum quia ita passim in Hispania venduntur lanæ, & tamen iste contractus tanquã legitimus à pluribus Theologis defenditur apud Cardin. de Lugo *D.* 26. *de justit. n.* 111. & Dedicastillo *Tract.* 9. *de just. D.* 2. *n.* 85.

Resp. Contractum istum (abstrahendo à lucro cessante, damno emergente, periculo &c.) esse illicitum, & Reyprechtum teneri defectum communis pretij pro singulis scaphis hordei tempore traditionis compensare. Ita Sa *V. Venditio. n.* 21. Toletus, Dedicastillo, & alij communiter. Ratio est. Tum quia pretium in contractu seruandum numerari debet iuxta tempus traditionis, vt communiter docent Theologi, idque ideò, quod res eatenus valeat aliquod pretium, quatenus voluntate ac beneficio venditoris vtilitatem affert emptori. Sed hanc vtilitatem primùm affert tempore traditionis. Ergo tunc iudicandum de valore. Tum quia vniuersim iustitia

ſtitia contractûs in emptione & venditione ſumitur ex æqualitate inter contrahentes, quæ æqualitas ex oneribus mutuò impoſitis conſideranda eſt: Cum ergo onus, quod ſibi Reyprechtus imponit, dandi ſcil. poſtea tale pretium, tanti non æſtimetur, quanti ſit onus, quod ſibi imponit ruſticus, nempe dandi rem futuram, manifeſtè apparet iniuſtitia huius contractûs, & conſequenter obligatio apud Reyprechtum reſtituendi defectum iuſti pretij.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, effatum illud Iuriſtarum ab omnibus Theologis explodi tanquam juſtitiæ contrarium, & Reipublicæ noxium: nec limitatio Gerſonis iuuat, cum venditor non ſit abſolutè volens, ſed ſolùm citra leges juſtitiæ. *Ad* 2. Contractum hunc eſſe illicitum ob rationes in reſpõſo adductas: inſuper vſurarium, ſi numerata ſtatim fuerit pecunia, quia emens accepit poſtea ſortem, & aliquid vltra hanc. *Ad* 3. Etiam illum contractum Hiſpanorum reijci à multis & grauibus Theologis; poteſt tamen ab iniuſtitia defendi, ſi vel maius pretium lanæ tempore traditionis ex tali anticipata emptione oriatur: vel minus tempore contractûs proueniat ex copia venditorum, & raritate emptorum, vt præter alios docet Card. de Lugo *Diſp. cit.* qui inde *num.* 16 notat, propoſitionem illam (quod ſcil. pretium rei iuſtum deſumatur ex

valore,

valore, quem res habet, non tempore contractûs, sed tempore traditionis) non esse vniuersaliter veram, cum ob prædictas circumstantias res post aliquod primùm tempus tradenda iustè nunc minoris æstimetur; quantumuis aliàs sine interuentu taliũ circumstantiarũ non sit absolutè admittendum, rem post aliquot primùm menses tradendam minoris fieri, quàm quæ præsens traditur, vt voluit Lessius *loc. cit.* Vnde in nostro casu ob defectum similium circumstantiarum nulla est paritas.

LXXIII. *Ronsardus cum ante aliquot annos apud Nobilem quemdam Dominum pranderet, valde arrisit ipsi cochleare quoddam argenteum affabrè factum, cuius cupidine victus sublegit illud, nec aliquando furti huius se accusauit. Nunc verò post accuratam conscientiæ discussionem illius memor restituere prædictum cochleare cupit vno saltem Philippeo æstimatum, sed nulla apparet occasio. Quæritur. 1. Vtrum Ronsardus furando cochleare illud peccauerit mortaliter? 2. Vtrum idipsum reseruare sibi possit, cum nec Domino nec hæredibus huius restituere possit?*

Videtur Ronsardus non peccasse mortaliter. Ita Rodriquez *in summa t. 5. c. 118.* & plurium opinione Sotus *de just. q. 3 art. 3. ad 3.* ad notabilem furti quantitatem duos aureos absolutè requirentes, quos saltem respectu opulentorum sequuntur Sylvester, Angelus, Lay-

man & alij. Vnde etiam Ronſardus non tenetur ſub mortali ad reſtitutionem: imò nec ſub veniali; nam ex plurium ſententia poſſet idem cochleare inuentũ ſibi retinere, ſi iſtud Domino ſuo reſtituere nequeat. Ergo & furto ablatum; eſt quippe par ratio vtriuſque, vt docet Caramuel *in Theolog. fundamentali fundamento 59. §.4 n.1259.* ſaltem ſi bona per vſuram & ſimoniam acquiſita excipiantur.

Reſp. 1. Ronſardum furando Nobili illi cochleare vno Philippeo æſtimatum peccaſſe mortaliter. Ita Molina *de juſtit. Diſp. 685.* Vaſquez *Opuſculo de reſtit. c. 5 dub. 5.* Rebellus, Filliuc. Bonacina, Malderus, & poſt plures alios Diana *P.2. tr.17. reſol. 57.* qui omnes notabilem ſeu grauem quantitatem, quæ mortale furtum conſtituat, deſumendam docent ex damno graui perſonæ illius, cui res ſua aufertur, quod damnum fieri aiunt, ſi prædicta perſona tantâ quantitate priuetur, quæ vel ad ſuſtentationem illius per vnum diem communiter ſufficiat; vel ad notabilem vitæ agendæ vtilitatem communi judicio conferat, ſicuti conducere poteſt etiam ditiſſimis Regibus & Principibus vnus aureus: mediocriter diuitibus (inter quos ſunt Nobiles) vnus florenus; diuitibus ita præcisè, vt non egeant (quales multi ſunt opifices) medius florenus: demum mendicantibus (quibus nonnulli operarij accenſentur) tres

aut

aut quatuor pacei. Ratio huius vniuersalis doctrinæ est, quia bona fortunæ commoditatibus vitæ inseruiunt. Ergo rectissimè ab eorum notabili defectu notabile damnum desumi, æstimariqúe potest, idque pro diuersitate hominum diuersum. Iam ad propositum nostrum subsumimus. Atqui notabilem defectum in bonis suis patitur Nobilis ille per ablationem cochlearis argentei vno Philippeo æstimati; quia vnus Philippeus ad notabilem vitæ agendæ vtilitatem communi iudicio conducere ipsi potest. Ergo notabile inde ac graue damnum eidem in bonis suis infertur. Ergo materia ista furto sublata sufficit ad furtum mortale constituendum.

Resp. 2. Ronsardum teneri ad restitutionem saltem sacris locis, aut pauperibus faciendam. Ita omnes, & definitur ab Alexandro Papa III. *c. cum tu. de vsuris.* Idem habetur *c. cum sit. de judicijs*, quæ jura, ait Palao *Tom. 7. suæ Theologiæ Mor. Disp. 1 num.* 18. §. 8 *n. 3.* locum habent non solùm in acquisitis per vsuram & simoniam (de quibus expressè loquuntur) sed per quamcunque aliam iniustitiam ex recepta consuetudine, & communi Doctorum consensu, quod secus est de bonis inuentis. *Atque sic* patet etiam ad ea, quæ in contrarium sunt adducta.

LXXIV. *Rodopianus rusticus confitetur peccata sua, & nullum addit numerum in mortalibus,*

quem, dum requirit Confessarius vir doctus, miratur ille aiens, se hactenus apud Parochum suum non consueuisse addere numerum, nec istum vnquam fuisse requisitum. Quæritur. Vtrum Confessarius iubeat Rodopianum repetere confessiones, in quibus nullum hactenus expressit numerum peccatorũ mortalium?

Videtur repetendas esse Confessiones. Ratio desumitur ex Concil. Tridentino, quod *Sess. 14. c. 5. & Can. 7.* requirit confessionem omnium mortalium tam quoad speciem, quàm quoad numerum. Ergo licet Rodopianus ex ignorantia inculpata validè hactenus fuerit absolutus, non expresso numero, tamen semper mansit obligatio hunc explicandi, vbi eius necessitatem intellexerit, vti ex communi docet Layman *L. 5. Tr. 6. c. 9. n. 4.*

Resp. Confessarium non teneri Rodopiano repetitionem imponere confessionum, in quibus numerus non fuit expressus. Ita Henriquez *L. 2. de Pœnit. c. 3. n. 10.* Fagundez *de 2. Præcept. Eccles. L. 3. c. 4. n. 10.* Dicast. *de Pœnit. Tr. 8. D. 9. n. 57.* & alij. Nam cùm tales Homines bonâ fide procedant, & vniformem ferè viuendi rationem teneant, facilè prudens Confessarius ex confessione vnius anni conijcit, quantum in alijs annis peccauerit, vt ita virtualis numeri explicatio interveniat. *Addo* tamen magnâ prudentiâ Confessarij opus esse tum circa bonam fidem, tum circa hanc vitæ vniformitatem; sæpè quippe contingere potest,

test, vt non absque conscientiæ remorsu sic obiter confiteantur: & pro diuersis occasionibus sit magna inæqualitas numeri in vno & reliquis annis, quo casu vtique repetitio confessionum instituenda, & numerus apertè explicandus est.

Atque ex his patet etiam ad rationem in oppositum.

LXXV. *Richardus Consiliarius Principis intelligit ex Domino suo proximè se negotiorum causâ amittendum in locum, vbi præcepto Communionis Sacræ propter imminens tempus paschale satisfacere non possit. Præuenit ergo, & ante discessum S. Eucharistiam sumit; sed postea inter paschale tempus advertit, optimam occasionem Communicandi sibi minimè deesse. Quæritur. 1. Vtrum Richardus intelligens impedimentum paschalis Communionis prævenire debuerit? 2. An postea oblatâ optima occasione Communicandi tempore paschali iterare Sacram Communionem debuerit?*

Quoad 1. Quæstionem. Negant Azor *Tom.* 1. *L.* 7. *c.* 41. *q.* 13. Quia nemo tenetur anticipare actum præceptum, nisi per talem anticipationem ita satisfiat præcepto, vt postea sit liber, id quod in præsenti non contingit, si enim præter opinionem etiam cesset impedimentũ, tenetur postea tempore paschali Communicare, quidquid prius fecerit. Affirmat P. Fagundez *Præcepto* 3. *Ecclesiæ L.* 1. *c.* 6. *n* 3. Quia aliàs differretur Communio vltra annum. *Pro*

resolutione supponendum, legem Ecclesiasticam *ex cap. vtriusq; Sexûs de Sac. Communione* involuere duo præcepta; alterum communicandi saltem semel in anno, quod concernit substantiam præcepti: alterum communicandi in paschate, quod ad cõgruam temporis determinationem pertinet, vt docet Fagund. *lo. cit. n. 3.* Cardin. de Lugo *de Euchariſt. D. 16. n. 66.* Dicastillo *ibidem D. 10. n. 154.* Arriaga *Tom. 7. Theolog. D. 47. num. 22.* & plerique alij. Hoc supposito.

Resp. Si Richardus iam semel communicauit intra annum, tunc non tenetur anticipare tempus paschale, cùm Principali præcepto annuæ Communionis satisfecerit, alterum verò minùs principale de paschali Communione ex hypothesi seruare non possit. Quodsi idem non communicauit intra annum; tunc vel impedimentũ durabit toto anno post pascha, & sic tenetur præuenire, perinde vt ille, qui novit se festo die non posse interesse vltimo sacro, obligatur vnum ex præcedentibus audire: vel non durabit, & tunc etiam non tenetur prævenire. Ita Authores recèns citati, quibus addi possunt, qui in pari ferè casu apud Dianam *P. 11. T. 8. R. 37.* docent, eum, qui præuidet, se tempore mortis Confessariũ non habiturum, teneri anticipare confessionem, vt præcepto diuino confitendi in articulo mortis satisfaciat.

Ad

Ad argumentum Sententiæ Negativæ dicimus, talem etiam ita satisfacere per anticipationem, vt postea nō amplius teneatur præcepto annuæ Comunionis, quidquid sit de paschali, de quo mox. *Ad Argumentum Sententiæ Affirmatiuæ* dicimus, non differri Sac. Communionem vltra annum; si enim impedimentum tam diu duret, tenetur prēuenire: sin verò tam diu non perseueret, eo sublato, obligatur quidem ad Sac. Communionem, non tamen statim ad cessationem impedimenti, sed saltem ante finem anni, cum præceptum annuæ Communionis plus non requirat.

Quoad 2. Quæstionem. Videtur non debuisse iterare. Ita Diana *P. 3. Tr. 4. Resol. 42.* citans Fernandez de Heredia *in D. de Sac. Tr. de Euch. p. 8. d. 1. n. 10.* quia ex *cap. cit.* licitum est, ex consilio Confessarij Sac. Communionem vltra Pascha differre. Ergo licitum est quoque ex consilio viri docti eandem præuenire, ita vt pari modo vtrinque omnis obligatio penitus tollatur.

Resp. Probabilius esse, Richardum oblatâ occasione intra tempus paschale obligatum fuisse ad iterandam S. Communionem. Ita Lugo *D. 16. cit. n. 70.* quia illa Communio antecedens non fuit facta ad satisfaciendum præcepto Communionis paschalis. Ergo istud adhuc restat implendum. Esto extinctum sit præceptum annuæ Confessionis.

Confirm. ex Dicastillo D. 10. *cit. n.* 155. Præceptum Communionis paschalis, quà talis, vel est graue, vel leue? Si illud; Ergo si impleri potest, grauiter obligat; Sin hoc. Ergo quicunque voluntariè ante pascha semel communicauit, leuiter solùm delinquit, si itidem voluntariè, & absq; vllo impedimento Sac. Communionem tempore paschali omittat, quod est falsum, & contra communem DD.

Ad rationem in contrarium negatur consequentia ob rei disparitatem; nam dilatio prædicta in ipso jure concessa est: non autem anticipatio. Adhæc factâ dilatione ex rationabili causâ, non potest amplius satisfieri præcepto Communionis paschalis: at verò potest satisfieri post præuentionem, nempe si impedimentum, quod certò futurum putabatur, præter opinionem cesset, & optima se occasio ad satisfaciendum paschali Communioni offerat, vti posuimus in nostro casu.

LXXVI. *Rufa famula ita ab initio conuenit cum hero suo, vt præter victum elapso anno decem sibi floreni darentur. Post autem videtur sibi duris suis laboribus maximè opificij, quod herus suus exercet, multò plus meruisse, certa interim, se aliâ viâ id acquirere non posse, quàm per occultã compensationem. Quæritur. Vtrum Rufa occultam hanc compensationem facere possit?*

Videtur non posse. Tum quia iustum ipsi stipen-

stipendium est constitutum, ex communi scilicet vsu & consuetudine eiusmodi personis constitui solitum. Tum quia herus nunquam consensit in stipendium maius, ideòque, ipso inuito, clam aliquid in compensationem accipitur. Tum quia ancilla gratuitâ voluntate exhibuit maius obsequium, nõ coactè: absq; animo occultè compensationem faciendi.

Resp. 1. Rufam non posse quidquam eripere Domino, si vel stipendium accepit iustum, hoc est, quod siue lege, siue consuetudine eiusmodi personis in tali ministerio concedi solet: vel gratuitò & absque animo compensandi durius obsequium exhibuit. Ita communis. Ratio prioris est, quia vltra iustum nihil debetur: posterioris, quia obsequio proprio donatio libera efficitur. Atque alterutrum horum plerumque de famulis, ancillis, operarijs, atque officialibus præsumendum, nec facilè ipsis à Confessario credendum, cùm isti homines semper ferè conquerantur, stipendium minus iustô sibi concedi, cùm tamen iustum detur, aut ipsi in hoc vltrò non rogati consentiant. Resp. 2. Si Rufa alijs in rebus, quàm ab initio fuerat conuentum, fuerit occupata, debetur eidem augmentũ mercedis iudicio prudentis æstimandum. Ita Palao *tr. 32. D. 1. pun. 6. §. 3. n. 9.* Nauarrum & Menochium secutus. Ratio est, quia illud obsequium est pretio æstimabi-

le, ad quod illa ex vi promissæ mercedis non adstringitur; vnde etiam Pædagogi certâ mercede conducti ad filios instruendos, in scholam ducendos &c. si alijs ministerijs occupantur, maius stipendium merentur. Respon. 3. Rufam non posse quidquam clam surripere, si debitam mercedem amicabili petitione, aut judicis interpellatione absque sui graui iactura obtinere possit: secus, si moraliter hâc ratione obtinere nequeat. Ita ex communi Less. *l.2. de just. c.12. n.57. & 58.* Ratio primæ partis est, quia nemini concessum est, officium judicis vsurpare, nec jus sibi in propria causa dicere propter varia mala, quæ inde sequerentur. Ratio 2. partis est, quia in hoc casu occulta debiti compensatio est proprij juris defensio, & iniuriæ famulæ factæ propulsatio est reputanda.

Ad 1. & 3 in contrarium patet ex dictis. *Ad 2.* dicimus cum Vasq. 1. 2. *D. 223. c.2. n.20.* satis esse, vt herus debeat augmentum stipendij, quod applicauerit Rufam ad maiores labores in sui vtilitatem ferendos; vnde rationabiliter inuitus esse non potest, si mercedem debitam clam surripiat, aliâ viâ non acquirendam.

LXXVII. *Rigobertus Confessarius frequenter imponit pœnitentias perpetuas, vt v. g. pœnitens diebus singulis vitæ suæ oret 3 aut 5. Pater & Ave. Quæritur. Vtrum pœnitens hanc acceptare, vel acceptam exequi teneatur?*

Vi-

Videtur teneri. Tum quia *iuxta c. omnis vtriusque sexûs de pœnit. & remiss.* sicut ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ est obligatio confitendi peccata, ita etiam pœnitentiam implendi. Tum quia est facilis & salutaris. Tum quia sacri Canones iubent aliquos propter crimen in Monasterium detrudi, quæ certè est pœnitentia perpetua. Tum quia praxis est hæc multorum Confessariorum.

Resp. Pœnitentem non teneri vel acceptare pœnitentiam perpetuam, vel acceptatam exequi. Ita supponere videntur omnes Theologi, dum asserunt, pœnitentem teneri ad pœnitentiam rationabilé & moderatam, vt videre est apud Palao *Tr. 23. D. vnic. pun. 21. § 4. n. 3. & §. 5. n. 16.* Atqui pœnitentia perpetua nec est rationabilis, nec moderata. Ergo &c. Non est, inquam, rationabilis, quia non est conformis integritati Sacramenti procurandæ, cùm semper differatur, propter cuius tamen integritatis procurationem imponitur & suscipitur. Non est eadem etiam moderata, quia omnis pœna, quæ semper durat, communi hominum judicio immoderatè durat & grauat; vnde prudenter Layman *l. 5. Tr. 6. c. 15. n. 11.* censet, etiam non consultum esse, vt rudibus & obliuiosis ac valde occupatis preces quotidianæ vnius anni aut mensis imponantur.

Ad 1. in contrarium dicimus, de institutio-

ne

ne Sacramenti esse pœnitentiam rationabilem & moderatam, qualis non est perpetua. *Ad 2.* Patet ex dictis. *Ad 3.* Non velle Canones, vt tales profiteantur in claustro, sed vt opera pœn tentiæ ibidem per aliquod tempus peragant, vt bene aduertit Layman *lo. cit.* *Ad 4.* De praxi multorum Confessariorum mihi nihil constat. Ego quoties audio, alicui pœnitentiam esse impositam vel perpetuam, vel nimis productam, aut aliàs immoderatam, pronuncio illum ab eius executione liberum, & securum omnino esse iubeo; quod non tantùm posse facere Confessarios, sed quoslibet alios viros doctos, imò & pœnitentes, si aliquâ doctrinâ aut iudicio polleant, tradit rectè Pallao *n. 16. cit.*

LXXVIII. *Romulus & Romula contrahere volunt, iamque primâ vice sunt in Ecclesia denuntiati, inter quos occultum intercedere impedimentum, solus novit Romanus, qui tamen valdè dubitat, an prodere teneatur. Quæritur. Quid faciat?*

Videtur teneri denuntiare impedimentum occultum. Ita Sanchez *L. 3. de Matr. D. 13. n. 2. & sequent.* Coninck *de Sacram. D. 27. n. 61.* Gaspar Hurtado *D. 5. de Matr. Diffic. 21. n. 75.* & alij. Tum quia quisque, quantum commodè potest, tenetur proximi peccatum impedire, continuam scilicet fornicationem. Tum quia tenetur quilibet obedire Superiori iustè

iustè præcipienti. Atqui Ecclesia præcipit, vt tales impedimenta apperiant. Ergo &c.

Resp. 1. Romanum obligari impedimentum manifestare Parocho vel ordinario, si Romulus & Romula malâ fide & cum peccato contrahant. Ita citati Authores, quorũ rationes conuincunt, hanc delationem faciendam esse, quantumcunque impedimentum sit occultum, & quamuis Romanus secretò id intellexisset, imò iurando secretum promisisset, Quia talis denunciatio necessaria est ad impediendum matrimonium, quod cum peccato aliàs contrahetur; & maior est ratio habenda salutis proximi, quàm famæ; nec iuramento potest se quisquam obligare, vt superiori ac naturali præcepto de fraterna correptione non obediat. *Cæterùm* in hoc eventu Romulus & Romula priùs secretò sunt admonendi secundùm leges prędictæ fraternæ correptionis. Resp. 2. Non obligari eundem Romanum manifestare impedimentũ, si Romulus & Romula bonâ fide contrahant, & ipse sciat ab his ignorari impedimentum, eò quod occultum sit, & probabiliter nunquam prodendum. Ita Basilius Pontius *de Matr. L. 3. c. 34. n. 5. & seq.* Ratio est, quod non appareat vlla causa, ob quam tale impedimentum deferendum sit. Nam imprimis contrahentes sunt ignari talis impedimenti; deinde hoc ipsum impedimentum ita est occultum, vt

prudenter

prudenter putetur nunquam revelandum: postea nullum est periculum peccati, cùm bonâ fide vtrinque contrahatur; & licet filij reipsâ illegitimi nascantur, tamen pro legitimis vbique habebuntur, vtpote suscepti bonâ coniugum fide, & ex matrimonio in facie Ecclesiæ contracto: demùm nulla fit iniuria Sacramẽto, cùm ibi non sit Sacramentum.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium allatas, quæ totæ stant pro prima parte responsionis. Solùm obstat contra eandem, quod impedimentum absque testibus nõ possit sufficienter probari. At nemo tenetur deferre, quod sufficienter probare non potest. Verùm etsi testimonium vnius tantùm non satis sit, vt matrimonium dissoluatur ex cap. licet de testibus; at bene, vt idipsum impediatur, ex cap. super eo, de testibus; & licet non sufficeret, aperit tamen viam saltẽ Ordinario ad inquirendum & retrahendum contrahentes à matrimonio vel monendo vel terrendo &c.

LXXIX. *Rufus frequenter in gravia labitur peccata, quæ tamen apud Confessarium ordinarium eluere erubescit, ne existimationis bonæ detrimentũ patiatur. Vt ergo constanter huic bonus appareat, priùs apud ignotum Confessarium maiora quæque scelera deponit, & tunc primùm ad ordinarium redit, & de peccatillis quibusdam reum se sistit. Quæritur. Vtrum secunda hæc Confessio Rufi apud ordinarium sit valida?*

Videtur

Videtur non esse. Ita Victoria *de Confess. n. 196.* & inclinat Sylvest. *V. Confessio 1. q. 6.* quia Rufus hypocrisin & mendacium committit mortale, ideoque dolore requisito & proposito destituitur.

Resp. Confessionem alteram Rufi per se esse validam. Ita Suarez, Coninck, Henriquez, Lugo *D. 16. de pœnit. n. 57.* & alij communiter. Ratio est, quia hoc neque est hypocrisis; velle enim conseruare bonam famam apud Confessarium ordinarium, aut nullam, aut non grauem inordinationem continet; neque mendacium; quippe verissimum est à parte rei, cuius se accusat pœnitens: neq; denique est contra integritatem Confessionis, cùm vtraque verè sit integra. Dixi *per se.* Nam aliud esset, si Rufus hâc ratione maneret in mortali occasione peccandi, autideò circumiret, vt liberiùs peccaret, tunc enim grauiter delinqueret, & ob defectum attritionis Confessio foret nulla, vt rectè advertunt Authores *citati.*

LXXX. *Rutilius Mercatoris filius in domo paterna multum patri suâ lucratur industria, alijs fratribus interea otiosis, vel ad studia incumbentibus. Quare arbitratur ille licitũ sibi esse, aliquam pecuniæ quantitatem clam patre sublegere, quam in ludos, potationes &c. insumat. Quæritur. Si quid Rutilius in domo paterna lucretur, non principaliter ex arte vel industria sua, sed ex rebus &*

bonis

bonis paternis, vtrum ad ipsum quoque pars lucri proportione adhibitæ industriæ pertinere debeat?

Videtur nihil ad ipsum pertinere. Ita Sylvester *V. peculium* 1. *q.* 12. Molina *Tr.* 2. *D.* 761. Layman *L.* 3. *Tr.* 4. *c.* 8. *n.* 6. & plerique alij. Tum quia filius ex gratitudine & pietate erga patrem tales operas veluti obsequia præstare tenetur; vnde non facilè aliquis reperitur filius, qui ob talia opera à patre mercedem exigere audeat: aut si exigat, non illico à patre repellatur. Tum quia jura indistinctè aiunt, *quod filius ex re siue substantia patris acquirit, inter profectitia bona numerari, & patri acquiri,* vt videre est *Inst. per quas person. nobis acquiratur.* §. 1.

Resp. Rutilium aliquod à patre salarium siue mercedē exigere posse, adéóque aliquid lucri ex bonis paternis facti ad ipsum pertinere. Ita post Bartolum Nauarr. *c.* 17. *n.* 144. Lopez *part.* 2. *instruct. c.* 21. Lessius *l.* 2. *c.* 12. *n.* 81. & alij. Ratio est, quia cum lucrum non tantùm ex bonis patris, sed etiam ex filij industria proueniat, idcirco partim inter profectitia, partim verò inter aduentitia bona numerandum esse videtur. Quare pater in conscientia tenetur, filio industriâ suâ ex bonis paternis lucranti pendere, quantum extraneo famulo dare deberet, dummodo filius eiusmodi mercedem petat, & patri ex gratitudine non condonet. Quod si autem filius ex metu reueren-

reuerentiali petere non audeat, probè sciens, repulsam se passurum, tunc consequenter ait Lessius, posse eum clam tantundem accipere. Atque huic sententiæ Confessarius in praxi conformare se poterit, ita quidem, vt inprimis hortetur filium, ne tali licentiâ abutatur, sed quàm fieri potest rarissimè vtatur. Deinde verò vt eum non compellat ad restitutionem, si id, quod clam accepit, iustæ mercedis æstimationem non excedat, præsertim si pater erga illum durus sit, & ipsi optimè merito & negotiatori valde vtili nihil aut parùm concedat ad honestas & statui eius conuenientes recreationes.

Ad 1. in contrarium dicimus, Rutilium ex gratitudine quidem posse: nullo tamen iure teneri seruire patri sine stipendio, nisi pater egeat, vel nisi alij filij etiam lucrentur patri; nulla enim æquitas dictat, inquit Lessius *loc. cit.* vt ipse teneatur sine stipendio laborare, alijs otiantibus. Atque in hunc sensum intelligenda iura *in 2. argumento* adducta, quidquid verbo tenus præseferant.

LXXXI. *Samuel Confessarius in quad. ciuitate subinde ex duobus coniugibus, vel fratribus, vel sororibus, vel famulis, vel socijs &c. qui ambo ipsi confitentur, vnum à vitæ morumque innocentia mirè laudat: alterum verò tacitè præterit illaudatũ, cùm par sit occasio vtrumque laudandi. Interdum etiam fatetur, bonam se pœnitentiam*

certæ personæ imposuisse. Quæritur. An saluo sigillo hoc faciat?

Videtur non posse prius facere; quia inde potest sumi aliqua suspicio contra illum alterum: at bene posterius; quia uullum hinc revelatur peccatum.

Resp. 1. Cum P. Dicastillo *de Pænit. D. 12. n. 98.* ordinariè ex duobus confessionis filijs ita vnum commendari, & alterum illaudatum relinqui à Confessario non posse, quin suspicio contra illum alterum moueatur, & exinde Confessio huic eidem odiosa reddatur, adeóque sigillum frangatur: si tamen virtus & sanctitas eximia vnius ita se prodat, vt nemo prudens cognoscat eum, quin simul excessum in illo supra alterum intelligat, tunc particularem illam laudationem sigillo non præiudicare; quia verò rarò valde hoc contingit, rarissimos quoq; esse oportere Confessarios in tali immodicâ commendatione vnius præ alio, sapienter monent Authores.

Resp. 2. Non posse Samuelem dicere saluo sigillo certæ & determinatæ personæ bonam (h.e. bene magnã & acerbam) se pœnitentiam imposuisse. Ita Malderus *Tr. de sigillo c. 12.* Nam talis pœnitentia communiter nõ solet imponi pro levibus peccatis. Ergo indirectè saltem grauia peccata illius personæ fuerunt detecta, ex quo ipsi confessio fieri potuit odiosa.

Atque

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium.

LXXXII. *Serapia malæ famæ mulier, dum peractâ Confessione interrogatur, num de enarratis peccatis doleat, ait, dolere se, quod non doleat, quo intellecto absoluitur tanquam sufficienter attrita. Quæritur. An rectè?*

Videtur bene absolui. Ita Palludanus *in* 4. *Dist.* 17. *q.* 11. *art.* 5. Sà *V. Contritio*, & nonnulli: quia in ea attritione virtualiter continetur dolor peccatorum.

℟. Serapiã malè absolui, si præcisè doleat, quod non doleat. Ita Henriquez, Vasquez, Bonac. Filliuc. *Tr.* 7. *c.* 6. *q.* 2. & alij communiter. Ratio desumitur ex Sacris Concilijs. Nam Eugenius IV. *in florentino*, & Trident. *Sess.* 14. *c.* 14. & alibi docent, necessariam esse Pœnitentiam, per quam peccator Dei offensionem, & peccata præterita detestetur. Atqui dolor Serapiæ non est de offensione DEI, & peccatis commissis, sed solùm de carentia doloris, cum quo dolore absolutè affectus ad peccata stare potest. Ergo talis dolor non sufficit, nec disponit sufficienter Serapiam ad absolutionem. Dixi, *si præcisè doleat &c.* non enim negandum videtur, cum actu, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, plerumque coniunctum esse dolorem de peccatis, & hoc rationabiliter præsumi à Confessario posse; nam dolor de carentia attritionis indicium

est voluntatis desiderantis attritionem, quâ voluntate positâ, nihil amplius obstat, quo minus ad eam tanquam actum imperantem sequatur dolor sufficiens de peccatis & offensa diuina, saltem tanquam de obiecto materiali.

Atq; ex his patet ad rationem in oppositum.

LXXXIII. *Seraphinus adolescens magno affectu fertur erga sac. Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci, inque eum suscipi sæpe & ardenter petit, sed semper fert repulsam absque vlla spe. Statuit ergo in sæculo, quantum potest, ad morem illorum Religiosorum viuere, ideóque inter alia vouet DEO paupertatem æquè strictam, atque obseruant Minoritæ, abiectionem scil. omniũ rerum externarum & dominij in easdem. Quæritur. Vtrum Seraphinus habeat dominium in res mendicando acquisitas, & ipso vsu consumptibiles?*

Videtur omnino habere. Ita Bartolus, Syluester, Turrecremata, Sarmientus & alij apud Thom. Sanchez *L.7. in decalog. c. 18. n. 4.* existimantes, dominiũ ab vsu huiusmodi rerum non esse separabile, quod probant. Tum authoritate Ioannis Papæ XXII. *in extrauag. ad Conditorem* apertè id asserentis. Tum quia vsus est *jus vtendi re alienâ, saluâ eius substantiâ.* Sed ista non saluatur in rebus vsu consumptibilibus. Ergo &c. Tum quia si vsus pecuniæ separari potest à dominio, poterit alicui vendi vsus, retento dominio; hoc autem dici non potest eò, quod sic vsura esset licita,

cita, cuius malitiam inde colligunt Doctores, quod vsus pecuniæ non habeat distinctum valorem ab ipsa pecunia. Adhæc si etiam dominium ab vsu prædictarum rerum esset separabile, respectu tamẽ Seraphini nõ foret; siquidẽ extra illũ nullibi existeret: dominium autem rei in aëre esse nõ posse, sed necessariò esse debere penes aliquem, receptum habet Iuristarũ axioma; vnde istud respectu Minoritarũ dicitur esse penes Sedem Apostolicam, ad quam Summi Pontifices illud post Ioañem XXII. revocârunt, quod de Seraphino dici non posse, clarum est.

Resp. Seraphinum non tam vi voti simplicis (quo non fit inhabilis ad dominium) quàm voluntatis suæ liberæ, quâ voto suo se conformans omne à se rerum ius remouet, nõ habere vllum dominium in res etiam vsu cõsumptibiles, quas mendicando acquirit, perinde vt nullum habent Fratres Minoritæ. Ratio est, quia dominium in eiusmodi rebus est separabile ab vsu earundem. Ergo cum Seraphinus omni omnino dominio se abdicare intenderit ad eum prorsus modum, quo profitentur Minoritæ omni se rerum dominio exutos, etiam istarum se rerum dominio spoliauit. Consequentia patet. Probatur Antec. 1. authoritate Summorum Pontificum Nicolai III. Clementis V. Gregorij IX. & aliorum apud Card. de Lugo *de Iust. D. 2. n. 43.* ex qui-

bus plerique hodie Theologi & Iuristæ in rem præsentem bene advertunt, vsum prædictarum rerum esse duplicem *irreuocabilem*, & *revocabilē*. Prior est ius seu potestas liberè vtendi illis rebus independenter ab alterius voluntate. Posterior dicitur, qui ex voluntate concedentis vel alterius ita dependet, vt pro arbitrio illius revocari possit absq; iniuria Vsuarij; atque de hoc inpræsentiarum loquimur. Vnde responsio P. 2. ratione. Dominiū est ius in re absolutū & stabile ad omnem eius vsum lege non prohibitum. Sed vsus revocabilis non involuit aut dependet à tali iure, vt patet. Ergo nec à dominio tali. Ergo hoc est separabile ab illo, vt reuera separârunt fideles primitiuæ Ecclesiæ, qui Actor. 2. *nihil habebant proprium, sed omnia erant communia*, adeóque nec earum rerum, quibus vtebātur, erant domini.

Ad 1. in contrarium dicimus cū Card. Bellarmino *l. 4. de Pontifice. c. 14.* Suarez *tom. 2. in 3. part. D. 28. s. 2.* Less. *2. de Iust. c. 3. n. 38.* & alijs, Ioannem Pontificem in hoc errasse, non *vt Pontificem*, sed *vt priuatum Doctorem*, cum id definire non intenderit. *Ad 2.* definitionem hanc vsûs intelligendam esse de vsu irrevocabili & independenti, qui in rebus vsu consumptibilibus non separatur à dominio; secus est de vsu reuocabili & dependenti, quem habet Seraphinus. *Ad 3.* negando sequelam,

quia

quia talis venditio debet esse contractus ex vtraque parte onerosus, qualis non esset iste ex parte dantis, cum vsus sit continuò reuocabilis, vt rectè Lugo *loc. cit. n.* 48. Si tamen onus aliquod vtrinque intercederet, difficulter improbaretur etiam talis venditio, vt insinuat Sanchez *loc. cit. n.* 22. quamuis benè moneat Lessius *loc. cit. n.* 37. æstimationem ac venditionem solius dominij aut vsûs nec esse, nec debere esse in praxi propter varias fraudes intercursuras. *Ad id*, quod fuit additum de loco & subiecto dominij, si istud per Seraphinum separaretur ab vsu, dicimus, illud remansurum penes offerentes, qui vtique accommodare se volent piæ Seraphini accipientis voluntati. Quod si tamen aliqui offerentes nollent retinere dominium, haberent se res oblatæ tanquam bona derelicta, & consequẽter à quolibet tũc accipi & vsurpari possent absq; furto. *Non obstat* axioma allatũ; hoc quippe verum tantùm est, quando res ponitur esse in dominio alterius: secus si ponatur tanquam res derelicta, quæ fit primò occupantis, si eo animo occupet, vt dominium illius acquirat.

LXXXIV. *Sergius dum res lustrat suas, incidit in vas aliquod argenteum magni pretij, de quo dubitat, num ad se potiùs, quàm ad Sergilium affinem suum spectet, & quidem videtur ipsi magis*

ad istum spectare. Quæritur. Quid hîc faciat Sergius, an vas istud præscribere possit?

Videtur Sergium non posse vas istud argenteum præscribere. Nam ex comuni Doctorum, qui dubitat, an res sua sit, an alterius, iniquè agit, eam sibi vendicando, cùm antequam possideat, non sit melior conditio ipsius, quàm alterius; quod maximè verum, si post factam inquisitionem in eam magis propendeat partem, quod sit aliena, vt docent Sanchez *lib. 2. de Matr. Disp. 4. n. 19.* Valent. Coninck & plures alij, quia tunc non est par ratio huius, & illius, ad quem res spectare putatur, sed maiores rationes stant pro illo altero, quàm pro isto.

Resp. 1. Sergium cum hoc dubio præscriptionem inchoare quidem non posse: at bene inchoatam bonâ fide continuare. Ita ex communi Layman *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 10.* Ratio prioris est. Quia in dubio fauendum est reo potius, quàm actori; vnde actore non probante reus absoluitur. Atqui volens inchoare possessionem talis vasis gerit munus actoris; quippe vult deturbare à possessione eum, de quo dubitat, nũ sit legitimus possessor. Ergo nisi positiuè & sufficienter probet, rem non esse illius (vti Sergius in proposito casu non sufficienter probat, hoc ipsò, quia dubitat) debet reus absolui, & in meliori conditione possessionis relinqui.

Ratio

Ratio posterioris est. Quia posito, quod quis hactenus fuerit possessor bonæ fidei, melior est ipsius conditio, quamdiu non sufficienter probetur, rem non esse ipsius, vt habetur *ex c. si Virgo. 34. q. 2.* Atqui Sergius dubitat primùm post possessionem ritè iam inchoatam, & vsque huc prudenter iudicauit, vas istud esse suum, nec aliud sufficienter probatur. Ergo melior est conditio ipsius tanquam possidentis. Ergo continuare præscriptionem potest, modo interim moralem diligentiam adhibeat veritatis indagandæ. Resp. 2. Sergium, etiamsi post factam inquisitionem magis eò propendeat, quod vas illud argenteum sit alienum, nihilominus præscribere ac retinere id posse. Ita Palao *de Conscient. D. 3. pun. 2. n. 11.* post Vasquez, Salas & alios. Ratio est, quia titulus possessionis præponderat omnibus rationibus non conuincentibus, hoc est, quæ nõ moraliter te certum reddunt, rem esse alienam. Ergo sufficit, quod Sergius adhuc probabiliter credat, vas istud esse suum, vt maneat possessor bonæ fidei.

Atque ex his simul patet ad argumenta in contrarium. Nam primum probat solùm, præscriptionem inchoari cum tali dubio non posse. Alterum verò ipse Sanchez advertit debile; vnde *l. 1. in Decalog. c. 10. n. 9.* sententiam suam mutauit, & contrariam asseruit.

LXXXV. *Sigefridus Comes Eccles. Collegiatæ ad*

S. Adelbertũ in ciuitate ſua mille florenos teſtamento reliquit Canonicis illius Eccleſiæ diſtribuendos pro cuiuſque dignitate ac merito; quam tamen rationem diſtributor non obſeruat, affectum ſuum potius, quàm cuiuſque dignitatem ac meritum attendens. Quæritur. Quale peccatum iniqua hac diſtributione committatur, & contra quam iuſtitiam?

Videtur duplex committi peccatum in cõfeſſione explicandum contra vtramque iuſtitiam, Diſtributivam ſcil; & Commutatiuam. Ita S. Thom. 2. 2. *Q. 62. art. 1. ad 3.* & nonnulli. Quia hîc interuenit proportio tã geometrica, quæ eſt differentia Iuſtitiæ Diſtributiuæ; quàm arithmetica, quæ eſt differẽtia Iuſtitiæ Commutatiuæ reſpiciens conditionem rei alterius; prior quidem, quatenus pecunia illa eſt bonum communitatis ſingulis huius membris pro cuiuſque dignitate ac merito diſtribuendum: poſterior verò quatenus eadem pecunia eſt bonum quoddam ex voluntate teſtatoris ſingulis iam ſuo modo appropriatum.

Reſp. In Propoſito caſu vnum committi peccatum in confeſſione explicandum, non quidem contra Iuſtitiam Diſtributiuam, vt vult cum aliquibus Tanner *Tom. 3. Diſp. 4. Q. 6. n. 16.* propter intervenientem proportionem Arithmeticam, non Geometricam in diſtributione ſervandam: ſed contra Iuſtitiam Commutatiuam, vt cum alijs meliùs Card. de

Lugo

Lugo *de Iust. Disp. 1. n. 49.* Quia hîc sola violatur Iustitia Commutatiua; quippe mera species distributionis apparet: reipsâ autem vera est solutio; nam Iustitia distributiua habetur tantùm in superiore administrationem bonorum communium habente, ad quem spectat, dare & applicare singulis pro cuiusque merito ac dignitate, per quam applicationem & distributionem dat singulis aliquid, quod antea non erat sub eorum dominio, & ad quod nõ habebant ius strictum. At in casu nostro distributor non est Superior habens administrationem bonorum, sed est quasi œconomus colligens pecuniam illam, ex qua deinde non tam distribuit, quàm soluit singulis, ad quod ex voluntate Testatoris ius strictum habent quasi Legatarij. Vnde si non soluatur iuxta debitam mensuram, remanet obligatio restituendi, quia carent re suâ, quæ obligatio non remaneret, si peccatum fuisset contra solam Iustitiam distributiuam, quia ex hac præcisè nemo caruisset re suâ, cum ista nullius in particulari fuerit, sed totius Communitatis.

Atque ex his patet etiam ad rationes in contrarium, quibus solùm addo, cum ex communi Authorum obiectum formale Iustitiæ non sit æqualitas rerũ, quæ cõmutantur, sed æqualitas inter ius vnius & debitum alterius, differentiam essentialem vtriusque iustitiæ non esse desumendam ex diversa proportione siue

æqua-

æqualitate rerum aut personarum: sed ex diversa ratione debiti ac iuris, quod rigorosum ac proprium supponit Iustitia Commutatiua solùm: non Distributiua; vnde illa tantùm, non hæc violata obligat ad restitutionem, vt pluribus docent Suarez *in opusc. de Iust. DEI sect. 3.* Arriaga 1. *part. Theolog. D. 31. n. 71.* Dedicastillo *l. 2. de Iustit. tr. 2. D. 8. dubit. 3.* & alij. S. Thomas supra allegatus non loquitur de hoc determinato casu, sed vult solùm, Iustitiam Distributiuam violatam importare restitutionem, quando concurrit cum Commutatiua, quod non est contra doctrinam nostram.

LXXXVI. *Tharasius homo parùm deuotus vix vnquã diebus festis audit integrum Sacrum. Nam interdum venit primùm ad Offertorium: interdũ, si ab initio adfuit, ante Canonem iterum exit, & post peractam iam vtramq; Consecrationem redit; aut si manet tam diu, saltem ante Communionem discedit. Quæritur. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ?*

Videtur non satisfacere, sed peccare mortaliter. Quia quâlibet vice notabilem partem negligit in Sacro contra huius integritatem præceptam *c. omnes fideles. c. Missas de Consecr. dist. 1.* Quod absentia ab initio Sacri vsque ad Offertorium sit mortalis, docent Suarez *Tom. 3. de Sacram. D. 88. sect. 2.* Azor, Facundez, & plures apud hos relati. Idem de absentia tem-

pore

pore vtriusque Consecrationis tenet Marchantius *in Resolut. Pastor. de Sacram. T. 4. c. 6 q. 4.* Quia Consecratio est essentialis Sacrificio. Et de discessu ante Comunionem peractam. Coninck *q. 83. art. 6. n. 285.* Quia Communio saltem ad integritatem sacrificij spectat.

Resp. Tharasium nullâ prædictarum absentiarũ peccare mortaliter, adeòq; quâuis illarũ existẽte nihilominus satisfacere pręcepto Missæ audiendæ. Ita de absentia ab introitu vsque ad offertorium docent Cardinalis de Lugo *de Euch. D. 22. n. 3.* Henriquez *L. 9. c. 25. n. 7.* & alij. Quia non est necessarium audire Euangelium proprium Sacri, sicut nec Missam proprij diei festi, sed sufficit quamcunque audire; imò Layman *l. 4. tr. 7. n. 3.* refert, Amalarium *l. 3. de Eccles. offic. c. 36.* significare, non esse grauis culpæ damnandos, qui ab Offertorio vsque ad Benedictionem intersint, quia scil. omissio hæc non videtur attingere grauitatem ad constituendum peccatum mortale; si principalia in Missæ officio sint attentè audita. Idem de absentia tempore vtriusque consecratiònis tradit Hurtadus *D. 5. de Sacrif. Missæ. diffic. 1.* Quia non cõuenit inter Authores, an essentia Sacrificij consistat in Consecratione vel Communione, vt fatetur Lugo *lo. cit. n. 4.* Hoc apud omnes certum, ab incipiente consecratione vsque ad finitam Communionem ob dignitatem rei

breuiorem

breuiorem abſentiam eſſe notabilem, quàm in reliquis Miſſæ partibus; vnde Hurtadus *lo. cit.* ait, omiſſionem Miſſæ à conſecratione incipiente vſque ad Pater noſter recitatum eſſe mortalem. Quare Ruſticani à mortali excuſari non poſſunt, quando diebus feſtis peractâ deuotione mox è templo ſe proripiunt, niſi huius aliam iuſtâ cauſam habeant, quàm meram conſuetudinem, cui ſemper reclamauit Authoritas Eccleſiaſtica. Demùm de abitu ante Communionem idipſum ſentit Layman *lo. cit.* vbi ex Suarez vult, propter talem breuiorem abſentiam etiam circa Communionem non eſſe hominibus ſcrupulum inijciendum, propterea quòd præceptum de audiendo Sacro moraliter interpretari conueniat. *Atque ex his* patet ad Fundamenta contrariarum opinionum.

LXXXVII. *Theodemirus aulicus frequenter mentionem facit apud Principem Felicis æmuli ſui, & ſemper huius leue aliquod delictum ſubinde verum, ſubinde falſum immiſcet. Quæritur. Vtrum Theodemirus per frequentatas veniales detractiones peccare poſſit mortaliter, teneriſque ad reſtitutionem Felici faciendam?*

Videtur non ſic poſſe. Tum quia ex communi Theologorum peccata venialia nunquâ coaleſcunt in mortale. Tum quia non eſt eadem ratio detractionum leuium, ac furtorum minutorum; aliàs qui pluribus detraxiſſet venialiter,

nialiter, peccasset tandē mortaliter, sicut qui pluribus furatus est modicè, tandem peccatū mortale commisit, quod nemo concedet.

Resp. Theodemirum per iteratas has detractiones posse peccare mortaliter, & teneri Felici ad restitutionem. Ita Eminentiss. Cardin. Ioannes de Lugo *Tom. de Iust. D. 16. n. 46.* & licet alij hanc quæstionem non moueant, revera tamen eam supponunt. Ratio fundamentalis est. Quando fieri potest grauis famæ læsio, tunc per detractionem peccari potest mortaliter. Atqui per plures leues detractiones potest fieri grauis famæ læsio. Ergo &c. Maior patet, cum in detractione peccatum mortale per nihil aliud committatur, quàm per grauem famæ læsionem. Min. vt itidem appareat, ponamus, Theodemirum omnes leves detractiones simul coram Principe facere, numquid fama & existimatio Felicis grauem inde iacturam pati poterit? Ergo hoc ipsum contingere potest, si interpollatim fiant, siquidem facilè singulæ in mente Principis vniuntur, vt tandem haud immeritò exiguam de Felice concipiat opinionem, quasi ex varijs auditis homo sit imprudens, ignavus, aulæ & rebus maioribus peragendis parùm aptus &c. Confirmatur. Si Theodemirus de viro graui diceret alicui, eum esse mendacem, id est, crebrò mentiri, peccaret mortaliter sub onere restitutionis, vt docent

Petrus

Petrus Nauarr. *L. 2. c. 4. part. 2. n. 312.* Rebellus *L. 4. q. 2.* Molin. *Tom. 5. D. 26. n. 4.* Lessius *L. 2. c. 11. dubit. 3.* & plures alij, cùm notabiliter æstimationem talis viri imminueret; cur ergo non possit peccare mortaliter, si frequenter leues detractiones Felici apud Principem faciat? aut non potest inde quoque notabiliter imminui ipsius fama & æstimatio?

Ad 1. in contrarium dicimus, veniales detractiones non fieri peccatum mortale, sed ablationem famæ vltimam, quæ aliàs itidem modica venialis foret, ratione præcedentium determinari ad læsionem famæ grauem, perinde, vt in modicis furtis diximus in Cent. 1. Cas. 32. Vnde patet *Ad 2.* esse eandem rationem inter furta modica, & detractiones leues frequentatas, etsi non in omni casu, velut in allata instantia, idque ideò, quod Domini aliquando quoad furta sint grauiter & rationabiliter inuiti ob periculum, ne multi hoc modo furandi ditari velint, quod periculum moralitter cessat in detractionibus leuibus apud diuersos in re diuersa factis. vt rectè Cardin. *Lo. Cit. n. 52.*

LXXXVIII. *Theodorus miles progressus fuerat ad bellum iniustum: postea dum in castris moratur, facti eum pœnitet, firmumque concipit propositum, nullum prorsus damnum hosti inferendi: Dubitat autem, & quærit à Confessario, si hostis eum adoriatur, an defendere se, & si necesse sit, illum*

tum præueniendo occidere ausit. Quæritur. Quid ipsi Confessarius dicat?

Videtur Theodorum, si ob sui defensionem hostem aggressorem occidat, iniuriam ei inferre, adeòq; ei dicendum à Confessario, hoc facere ipsum non posse. Tum quia ex communi Theolog. qui alterius juri resistit, is iniuriam eidem infert. Atqui hostis aggressor jus occidendi habet. Ergo si Theodorus, qui nocens est, se ipsi opponat, eumque præueniendo occidat, iniuriam illi infert. Tum quia ex communi quoque DD. nunquam licitum est, publicæ potestati, dum officio suo legitimè fungitur, resistere. Sed aggressor in casu nostro est publicæ potestatis minister, officioque suo legitimè fungitur. Ergo nefas est, ei resistere. Tum quia communiter iterum docent AA. fieri non posse, vt bellum ex vtraque parte iustum (per se ac formaliter) detur. Si autem Theodorus nocens posset se contra aggressorem defendere, eumque occidere, tunc bellum vtrinque sic foret iustum. Ergo &c. Propter hæc in casu isto frequentissimo anceps hæret P. Molina *de just. Tom. 4. Tr. 3. D. 15. n. 5.* circa eius resolutionem.

Resp. Dicendum Theodoro à Confessario, quòd se defendere possit contra aggressorem, & illum etiam præueniendo occidere. Ita Sotus *de justitia. L. 5. q. 1. art. 7.* Azor *in 3. part. L. 2. c. 1. q. 5.* & nonnulli. Ratio est,

quia tunc Dux belli per se & absolutè non habet jurisdictionem in exercitum partis aduersæ, vt eos pro libitu velut mortis reos condemnare possit omni defensionis potestate illis sublatâ, sed tantùm per accidens ob necessitatem & in defectum alterius judicis siue Superioris habet jus se vindicandi ab hostibus, quatenus iniuriâ affectus fuit. Hanc autem potestatem ius gentium vniuersim ita videtur interpretari, vt hostes nocentes interim retineant facultatem se defendendi, dummodo parati sint, de cætero nihil nocumentia afferre. Quocirca monent DD. cum primùm hostes, qui nocentes sunt, & damnum intulerunt, paratos se ostendunt satisfacere, ab armis & violentia cessandum esse.

Ad 1. & 2. in contrarium negatur Minor; postquam enim Theodorus animum nocendi posuit, & id quo potuit modo monendo, rogando &c; ostendit hosti, non amplius iste habet jus occidendi illum, nec publicæ potestatis est minister suo legitimè fungens officio. *Ad 3.* Principem quidem Theodori non gerere bellum iustum, ipsum autem Theodorum iure tueri se, postquam animum nocendi exuit, & aggressorem etiam monuit, vt desisteret. Addi potest, dictum illud tantùm verum esse de bello vtrinque offensiuo, non autem de bello, quod ex altera parte solùm est defensiuum.

LXXXIX.

LXXXIX. *Timotheus Episcopus Germaniæ rogatus demisse, vt proximo Ordinationis tempore quibusdam Ordinandis simul ac eodem die Subdiaconatum & Quatuor Minores conferre dignaretur. Respondit fieri id non posse. Cui cùm opponeretur contraria Germaniæ consuetudo, addidit, in suâ Diœcesi consuetudinem talem nunquam fuisse. Quæritur. Vtrum Timotheus secluſâ etiam Germaniæ consuetudine (cui accommodare se vtique valuisset) Quatuor Minores & Subdiaconatum ijsdem Ordinandis simul eodem die conferre potuisset?*

Videtur non potuisse. Ita Reginaldus *in praxi Tom. 2. L. 10. c. 5. n. 270.* Layman *L. 5. Tr. 9. c. 8. n. 7.* & plures, quos citat & sequitur Sanchez *L. 7. Consil. Moral. c. 1. Dub. 53. n. 2.* Mouentur tum auctoritate *c. 2. de eo, qui furtiuè Ordines accepit*, & Tridentini *Sess. 23. c. 13.* tum consuetudine Ecclesiæ talis vim legis obtinente.

Resp. Timotheum potuisse. Ita P. Vasquez *in 3. part. D. Thomæ. tom. 3. D. 246. c. 5. n. 47. & 48.* Gaspar Hurtadus *de Sacram. Ordinis difficult. 23.* Palao *Tom. 4. Tr. 27. pun. 13. n. 5.* & plures apud hos allegati. Ratio est, quia nullus extat textus juris Canonici id interdicens; solùm enim duos Ordines sacros siue Maiores eodem die ijsdem conferre prohibetur. Cùm ergo sola interualla temporum seu interstitia in Ordinum Susceptione ser-

uanda obstent, & hæc arbitrio Episcopi remittantur à Tridentino *sess.* 23. *c.* 11. nihil omnino vetat, quò minùs Timotheus abstrahendo etiam à consuetudine Germaniæ Minores Ordines & Subdiaconatum eodem die conferre ijsdem possit, & ita sæpè factum esse in Hispania, testatur Palao *lo. cit.* & ait Vasquez, se aliquos vidisse Episcopos idipsum facitasse.

Ad 1. *in contrarium* dicimus cum cit. Doctoribus *in cit. cap.* 2. puniri solùm vt suspensum, qui susceptis Minoribus postea furtiuè & contra mandatum Episcopi Subdiaconatum eodem die accepit. Ex quo minimè sequitur, Episcopum non posse licitè conferre ijsdem Ordines Minores & Subdiaconatum eodem die: aut sic ab eodem volente ordinatos suspendi. *Ad* 2. Tridentinum *sess.* 23. *c.* 13. *& c. dilectus. de tempore Ordinationis* loqui solùm de duobus Ordinibus sacris, seu Maioribus. Ex quo iterum non sequitur, Minores & Subdiaconatum ijsdem conferri eodem die non posse. *Ad* 3. Talem consuetudinem siue in Germania siue in alio regno non esse introductam, vt vim legis habeat, quod nominatim testatur P. Præpositus *in* 3. *part. quæst. vnic. de Sacram. Ordinis. dubit.* 15. *n.* 151.

XC. *Timoleon Princeps sæcularis & Catholicus in ditione sua Clericos in Minoribus constitutos prorsus æquiparat Laicis in rebus ac negotijs*

tijs ciuilibus, ratus eos nō gaudere priuilegijs Clericorum in Maioribus constitutorum, cum tamen illi requisita Concilij Tridentini obseruent. Quæritur. Rectène faciat Timoleon?

Videtur benefacere. Ita Pereira de manu Regia *P. 2. c. 33. n. 2.* relatus apud Dianam. *P. 4. Tr. 1 Res. 20.* Mouetur. Tum quia passim ita consuetudine est receptum. Tum quia Ordines Minores nō sunt sacramenta, vt docent Magister, Durandus, Nauarrus, Mich. de Medina, & alij, quos sequitur Vasquez *D. 2. 37. cap. 2.* Cur ergo eandem immunitatem conferāt, quàm Ordines Maiores, qui ex omnium Doctorum sententia sunt sacramenta.

Resp. Timoleontem malè facere contra immunitatem Ecclesiasticam. Ita ex communi aliorum DD. Suarez *l. 4. contra Regem Angliæ c. 26. n. 3.* Probatur. *Tum ex c. 2. de foro compet. & c. cum non ab homine, de iudicijs.* Tum quia Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 6.* absolutè & absque vlla distinctione asserit, prædictos clericos, si nonnulla observent requisita, gaudere priuilegio fori. Ergo non solùm in criminalibus, sed etiam in ciuilibus; imò etiamsi non obseruent ea, quæ Tridentinum requirit, nihilominus gaudent priuilegio Canonis, & probabiliter exemptione gabellarum: vt docent Molina *Tom. 3. Tr. 2. D. 270. n. 5.* Lessius *l. 2. c. 33. dub. 5. n. 38.* & alij.

Ad 1. in contrarium dicimus cum Peregrino

de immunit. Eccles. c. 2. n. 24. omnes consuetudines trahendi Clericos etiam in causis ciuilibus ad Magistratum Laicum à Tridentino & alijs juribus reprobatas esse, nisi consensum & tolerantiam approbatiuam Summi Pontificis sibi habeant adiunctam. *Ad 2.* Rationem Sacramenti impertinenter hîc adduci, cum non pauci absque vllo sacro Ordine gaudeant immunitate Ecclesiasticâ; sunt etiam, qui nec in Episcopatu, nec in Diaconatu & maximè Subdiaconatu Sacramentũ agnoscant, nemo tamen idcirco Subdiaconum potestati Sæcularium subijciet. Cæterùm etiam Minores quatuor Ordines scil. Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij esse Sacramenta, comunior sententia docet apud S. Thom. *3. part q. 22 art. 2.* Card. Bellarm. *de Sac. Ordinis. c. 6. 7. & 8.* Layman *l. 5. Tr. 9. c. 4. circa finem*, & alios. Non obstat, varietatem fuisse in Ecclesia in prædictorum Ordinum enumeratione. Nam factum est hoc, quia non satis explorata erat eorũ institutio, semper tamen ab initio Ecclesiæ non solùm officia horum Ordinum, sed etiam eorum nomina cognita fuerunt, vt expressè testatur Tridentinum *sess. 23. c. 2.* indicans, à Christo Domino institutionem illorum dimanâsse, tametsi non fuerit eorumdem distinctio cognita.

XCI. *Tetradius in Iubilæo anni 1656. à die 22. Octob. vsq. ad 19. Nouemb. ieiunauit in peruigilio SS. Apo-*

SS. Apostolorum Simonis & Iudæ, quod erat intrà prædictum jubilæi tempus, nihil tamen de eodem lucrando tunc cogitauit; & licet cætera requisita sedulò postea peregerit, jeiunium tamen non iterauit. Quæritur. An prius jeiunium specialiter non intentum pro jubilæo valuerit ad idem lucrandum?

Videtur, non valuisse. Ita Suarez *to. 4. in 3. part. disp. 52. s. 6.* Layman *l. 5. tr. 7. c. 6. dub. 2.* Palao *tr. 24. de Indulg. disp. vnica. pu. 9. n. 8.* & plures alij, talem saltem intentionem virtualem requirentes, quæ ex formali præcedenti perseueret. Probatur. Tum quia Indulgentiarum actus est iurisdictionis voluntariæ, non coactiuæ. Ergo exerceri non potest, nisi in volentes. Tum quia est quædam donatio, vt probat Layman *l. cit. c. 2. n. 6. ex l. 2. ff. de officio Proconf. iunctâ glossâ V. Contentiosam.* Tum quia aliàs lucraretur aliquis Indulgentias, etiamsi nesciret, has se habere, & lucrari posse, modò requisitum opus præstaret. Tum denique quia Tetradij ieiuniũ aliunde etiam fuit debitum, nempe ex præcepto Ecclesiastico, ad cuius impletionem quoque fuit directum.

Resp. Valuisse prædictum ieiunium ad lucrandum Iubilæum, etiamsi Tetradius nihil de hoc cogitârit, aut etiam esse Iubilæum sciuerit, dum ieiunebat. Ita Salas *Dis. 17. de leg. c. 5.* Card. Lugo *Tomo de Pœnit. D. 27. num. 80.*

Dicastillo *ibid. tr.9. D.22. num.173.* & plures apud hos relati. Ratio est. Tũ quia regulariter quilibet Christianus efficiendo opus bonũ vult, vt sibi illud prosit, quantum potest, eo ipso quod id faciat, vt prosit. Tum quia non est credibile, Sumum Pontificem in lucrante Indulgentias requirere intentionem actualé saltem virtualiter deinde permanentem, cùm hoc natura Indulgentiæ nõ postulet; quippe sæpe Papa concedit Indulgentias moribundo sensibus destituto, item præsentibus Sacro suo in Basilica dicto, licet istud non omnes audiant, vel sciant; nec verba Bullæ aut concessionis id sonent; solùm enim dicitur, lucraturum Indulgentias, qui tali tempore id fecerit, quod absque actuali intentione fieri potest.

Ad 1. & 2. in contrarium dicimus, Tetradium velle & acceptare Indulgentias concessas virtualiter, non vi & virtute intentionis formaliter seu actualiter habitæ, qualem requirunt Aduersarij, sed vi ipsius operis, nempe ieiunij, dum istud ritè peractum prodesse sibi cupit, quantum potest, adeóque etiam ad lucrandas Indulgentias; esto, nullam aliam de his habeat vel habuerit intentionem. *Ad 3.* Concedimus hanc sequelam ex dictis. *Ad 4.* Posse actu vno satisfieri pluribus obligationibus, vt ex communi tradit Bonacina *To. 2. fol. 63. n. 6.* modò Tetradius nõ habuerit intentionem,

tionem, non lucrandi, vti in casu supponimus.

XCII. *Theophanes Studiosus valdè afficitur erga certam Religionem, quam idcirco finitis humanioribus studijs se vouet ingressurum, idque reipsa præstat. Sed mox ex eâdem egreditur solâ animi leuitate nullâ rationabili causâ ductus, cùm aliàs sacrum Ordinem minimè sibi incommodum fuisset expertus. Nunc de regressu suáque obligatione sollicitus narrat hæc suo Confessario scire cupiens, quid porro faciendum. Quæritur. Vtrum Theophanes satisfecerit voto suo per solum suum ingressum?*

Videtur non satisfecisse, sed mortaliter peccâsse. Ita Caiet. *in 22. quæst. vlt. art. 4. dub. 3.* Suarez *Tom. 3 de Religione. l. 4. c. 3. n. 11. & 12.* Layman *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 12.* Palao *tr. 16. D. 1. pun. 4. n. 3.* & plures alij. Nam qui Religionem vouit, censetur se ad id saltem obligare, quod alij sine voto ingredientes præstare tenentur. Atqui tales debent perseuerare, si nullam rationabilem causam recedendi habeant, alioquin venialiter delinquunt. Ergo vouens Religionem vi voti obligatur ad perseuerandum. Ergo peccat contra votum, adeóque mortaliter, si absque iusta causa huic obligationi non satisfaciat.

Resp. Theophanem satisfecisse voto, syncero animo ingrediendo, etiamsi postea ex libitu egressus fuerit. Ita Nauarr. *l. 3. consil. Tit.*

de Voto. Consil. 21. in prima editione. Azor. 1. *part. l. 11. c. 22. q. 6. in fine.* Bonac. *Tom. 2. D. 4. q. 2. pnn. 5. §. 6. n. 4.* & alij apud hos. Ratio est. Quia vouens Religionem censetur eam vouere sub cõditione probationis à jure concessæ. Atqui jus ijs, qui absque voto Religionem ingrediuntur, concedit, vt possint pro libito eam dimittere. *c. ad Apostol. de Regular. c. 1. eodẽ tit. in 6.* Ergo etiã vouens Religionẽ voto satisfaciet, esto pro libito Religionem dimittat; siquidem non se vult ad Religionẽ aliter obligare, quàm cæteri ingredientes obligantur.

Ad argumentũ in contrarium negamus subsumptum; is namque, qui absque voto iniuit Religionem, potest absque vllo veniali peccato egredi, vt fatetur ipse Palao *n. 4.* sicut enim pro libito potuit non assumere Religionem, ita pro libito potest eam deserere; aliàs omnes incipientes Consilium aliquod Euangelicũ exercere, tenerentur in illo perseuerare in perpetuum, quod vtique non est dicendum. Ergo id ipsum potest, qui voto obligatus ad Religionem venit, cùm voti obligatio concessioni vniuersali iuris præualere nequeat.

XCIII. *Torrellus pius Eremi cultor subitò in maximam incidit tristitiam & rerũ spiritualium tædium, vt sacra exercitia omnia omittat, & Eremo egredi statuat, aiens, nullam sibi vtpote reprobi*

spem salutis reliquam esse, idque ex ipso DEO reuelante se percepisse. Quæritur. Vtrum Torrellus, si reuelationem de sua damnatione habuerit, licitè possit desperare?

Videtur posse. Ita P. Coninck *de actib. supern. D. 20. dub. 13. n. 109*, Bonacina *D. 3. q. 3. p. 2. n. 4.* Card. Pallauicin. *L. 3. n. 206.* & alij. Tum quia ad sperandum requiritur obiectum vt possibile acquisitu. Atqui positâ revelatione beatitudo Torrello non est amplius possibilis. Ergo &c. Tum quia Torrellus sperando conaretur reddere mendacem Dei reuelationem, & diuino contraire decreto.

Resp. 1. Deus potest alicui viuenti suam reuelare damnationem. Ita contra D. Bonavent. Alensem, Mart. Sparzam *de Virt. Theolog. q. 35.* cōmunis cæterorū Theologor. Prob. Tū quia reuelatio eiusmodi non est intrinsecè mala, cum reuelatio futuri peccati non sit peccatum, aliàs Christus non potuisset Petro trinam negationem reuelare. Tum quia talis reuelatio non importat aliquam contradictionem, aut peccandi necessitatem; cum non immutet naturalem modum agendi hominum, aut ex statu viatorum amoueat. Tum quia constat, DEVM revelasse reprobationē alienam, nempe Antichristi. Cur ergo non possit de absoluta potentia revelare alicui propriam damnationem? *Dixi de absoluta potentia*; nam iuxta legem ordinariam Deus

hoc

hoc non facit. Quare reuelatio, quam Torrellus sibi factam ait, censenda erit aut illusoria & à diabolo profecta: aut comminatoria, adeoque conditionata, vt prudenter Tanner *Tom. 3. D. 2. n. 73.* & vniuersim Ascetici.

Resp. 2. Si Deus reuerâ Torrello reuelasset suam damnationem, non posset iste licitè desperare positiuè, sed peccaret desperando. Ita ex communi Tanner *loc. cit.* Ratio est. Tum quia desperatio formalis est intrinsecè mala, sicut odium Dei, adeóque Deus per eam reuelationem non potest alicui concedere facultatem desperandi. Tum quia per eiusmodi reuelationem non fit beatitudo impossibilis; cum Torrello Deus perinde daturus esset auxilia sufficientia gratiæ ad cauenda peccata, salutemque operandam ac si reuelatio non esset facta. Tum quia beatitudo per eandé reuelationé neq; desinit esse absens & ardua, neque Torrellus immutatur, sed manet in eodem statu. Atqui ante reuelationem factam nō poterat licitè desperare. Ergo nec post eam. Ait Bresserus *de Conscientia l. 4. n. 95.* Torrellum non posse quidem desperare de salute sua tanquā impossibili: at bene tanquam de eadem non futura. Dicimus ad hoc, vt desperare licitè Torrellus nequeat de sua beatitudine, sufficere, vt sciat hanc absolutè adhuc esse possibilem, vt fit in præsenti. Addimus, ipsam etiā non-futuritionem non esse ex cau-

sis

sis necessarijs, sed liberis ipsius Torrelli, ex quibus adhuc conari potest, ne sit ea futuritio.

Resp. 3. Torrellus, etiamsi suam ex reuelatione intellexerit damnationem, posset adhuc sperare beatitudinem: imo teneretur eo scil. tempore, quo aliàs fuisset obligatus ad sperandum. Ita P. Arriaga *Tom. de virt. Theol. Disp. 30. n. 33.* Pallao *Tr. 5. D. vnic. pun. 5. n. 10.* & alij. Prob. Tum quia obiectum sperabile adhuc omnes habet conditiones post reuelationem damnationis, quas habebat antè, neque reliqua ad sperandum necessaria v. g. status viæ sunt ablata, vt patet ex dictis. Tum quia damnatio non euenit ex aliqua causa, quæ Torrello necessitatem inferat, sed ex libera huius voluntate ad peccatum sese determinante. Ergo antecedenter ad illius determinationem conari poterit, ne se determinet; quid enim impedit? Tum quia reprobatio non eximit reprobos à præcepto spei. Ergo nec reuelatio reprobationis, cum hæc illos non immutet.

Ad 1. in contrarium dicimus, beatitudinem adhuc fore possibilem acquisitu possibilitate saltem ~~consequenti~~ antecedenti: nec opus esse iudicio intellectûs præuio *Ego saluabor*, sed sufficere, si Torrellus actu fidei iudicet, se saluari posse, vel reipsâ saluandum, si mandata DEI obseruauerit. *Ad 2.* Cùm DEVS nec reuelationem

nem nec decretum suum habeat independenter à libera Torrelli determinationeadpeccatum præuisa, & hanc ille determinationem euitare possit omnibus scil. ad hoc medijs & auxilijs instructus, dum istud conatur, & conando sperat salutem (quæ nulli factori legis denegatur) minimè profectò vel reuelationem vel decretum diuinum facere laborat cassum, sed eò solùm collimat, ne in DEO decretum vel reuelatio talis fuerit.

XCIV. *Valerianus Iudex ex partibus litigãtib. corã se advertit, alterã earũ minùs bene causã suam vrgere, & omittere id, quo adducto, certò vinceret; monet ergo Aduocatum illius, vnde robur causæ suæ addat, eidemq; parti indæ rem, de quâ lis erat, latâ sententiâ adiudicat. Quæritur. Vtrum bene fecerit?*

Videtur omnino bene fecisse, imò & debuisse. Ita P. Dicastillo *de Iust. L. 2. Tr, 1. D. 5. n. 285.* Pelliccionius & nonnulli apud Dianam *P. 9. Tr. 9. Resol.* 41. qui hanc sententiam censet probabilissimam. Ratio ex longo discursu est vnica ista, quod Iudex ex officio suo non solùm teneatur omnibus modis inquirere veritatem, sed etiam curare, vt falsitas detegatur. Consentit eousque Baldellus *L 4. Theolog. Moral D. 16. in fine*, vt putet, Iudicem non quidem teneri, attamen ex charitate posse aliquid subinde suggerere vni ex partibus ad causam huius roborandam.

Resp.

Resp. Probabilius esse, Valerianum malè fecisse, grauiterque peccâsse ex priuatâ notitia monendo vnam ex partibus litigantibus, ex quo capite causam suam firmet, vt Adversario suo præualeat. Ita Vasquez 1. 2. *D.* 64. *c.* 2. *n.* 6. Sanchez *L.* 1. *in Decal. c.* 9. *n.* 48. Palao *Tom.* 1. *Tr.* 1. *D.* 2. *pun.* 10. *n.* 9. & videntur supponere comuniter alij. Probatur 1. Quia Iudex in ferenda sentẽtia inter partes sustinet personam publicam comunitatis, & sic publicâ scientiâ vti debet, vt docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Ergo non potest vti notitiâ, priuatâ, & ex hac suggerere vni parti maiora fundamenta causæ suæ. 2. Quia Iudex ex proprio officio suo solùm habet, vt iudicet ex allegatis, & probatis, nec tenetur pro aliquo gerere se, vt advocatum, & constituere vt partem contra alium; imò absolutè neque potest, quatenus Iudex, cum quà talis exhibere se debeat æqualiter ad vtramque partem, vt bene notat Vasquez *lo. cit.* quod tamen non faceret, si suggereret vni parti specialiter aliquid pertinens vel ad ius vel ad factum, 3. Quia aliàs ex vna parte incredibile erit onus Iudicibus, si attendere debeant non tantùm ad allegata & probata, sed etiam ad ea, quæ allegari & probari à litigantibus possunt: ex altera verò parte parùm honorificum est reipublicæ, & multùm ciuibus exosum, in omnibus publicis sententijs semper priuatos af-

fectus

fectus esse timendos; si enim Iudex, qui Reipublicæ personam gerit, ab allegatis & probatis deflectere, & ex priuata notitia partibus fauere, & suggerere varia ad causæ elucidationem possit, quotus quisque erit, qui æquè pro vtrisque laborabit, & non humano frequenter & speciali affectu in hanc potius, quàm illam causam roborandam declinabit? certè iure istud timeri semper potest. Adhæc cùm in multis locis in eadem causa plures sint Iudices, si ex his senatorijs viris iste ex priuata sua notitia huic, ille alteri parti meliora fundamenta suggerere possit, quæ erit confusio? & quis modus tandem & finis litis componendæ?

Ad rationem in oppositum dicimus, Iudicem omnibus modis veritatem inquirere debere in allegatis & probatis, & curare, ne falsitas in his lateat: minimè verò debere Advocatum agere, & omnes fibras causæ rimari, quid pro vtraque parte litigantium afferri possit; quia finis Iustitiæ humanæ non est veritas facti absolutè, sed veritas facti publica homini, vt constat ex ratione S. Thom. suprà adducta. *Atque ex his* patet contra Baldellum, neque charitatem permittere talem suggestionem, cum res ista sit magni momenti, & in præiudicium graue alterius partis, si ex priuata Iudicis notitia & suggestione alteri parti facta publica scientia per allegata & probata auertatur.

XCV.

XCV. *Venustus & Venustiana coniuges in perpetuis rixis & varijs miseriis viuunt, quas dum viro cuidam religioso exponunt, ac remedium rogant, jubet iste ambos inquirere, num in statu gratiæ matrimonium contraxerint: & dolere, si contrarium reperiant; quod dum faciunt, & de matrimonio in statu peccati inito reos se confitentur, mox sublatis malis omnia meliora succedunt. Quæritur 1. Quot peccata isti coniuges commiserint, in statu peccati contrahendo? 2. An & quomodo effectum matrimonij recipere potuerint?*

Quoad 1. Videtur, Coniuges illos duplex peccatũ commisisse, vnum in susceptione Sacramenti obicem gratiæ ponendo, vt concedunt omnes: alterum idem Sacramentum in statu peccati mortalis administrando, vt post alios docent Lugo *D. 8. de Sacram. in communi. n.* 150. Dicastillo *ibid. D. 3. n.* 221. Palao *tr. 18. D. vnic. de Sacram. in com. pun. 5. n.* 11. Arriaga *de Sac. in gen. D.* 20. *n.* 4. & alij, quos alibi secutus sum. Ratio est. Tum quia grauis iniuria fit Christo, si huius inimicus & hostis merita illius sibi sumit dispensanda. Tum quia *Sancta* (qualia imprimis sunt Sacramenta) *sanctè sunt tractanda.* Ergo irreuerentiam grauem contra illa committit, qui eadem peccato mortali fœdatus administrat.

Quoad 2. Videtur, impeditum Sacramenti fructum recuperari non posse. Tum quia remoto obice Sacramentum nõ amplius exi-

ſtit. Tum quia Sacramenta operantur ſecundum cuiuſque ſuſcipientis diſpoſitionem. At recipiens Sacramentum ſacrilegè nullam ad gratiam diſpoſitionem habet. Ergo &c.

Reſp. 1. Probabile eſſe, Venuſtum & Venuſtianam coniuges in peccato mortali contrahentes vnum tantùm peccatum mortale committere, quatenus ſcilicet Sacramentum matrimonij in tali peccati ſtatu ſuſcipiunt; non verò quatenus illud in eodem adminiſtrant. Ita P. Sanchez *l. 2. de Matr. D. 6. n. 4.* Suarez *3. part. q. 65. D. 16 ſect. 4.* Coninck *de Sacram. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 38.* Præpoſitus *ibidem. n. 36.* Bonac. *D. 1. de Sacr. q. 3 pu. 2. §. 1. n. 9.* Diana *Tr. de Sacram. Reſol.* 10. *&* 199. & plures apud hos relati. Ratio eſt. Tum quia coniuges non agunt, vt Miniſtri Eccesiæ ſpecialiter conſecrati; quam rationem affert S. Thom. *q. 64. cit. art. 6. ad 3.* & ex ea probat, Sacerdotem non peccare mortaliter, ſi in caſu neceſſitatis (quo etiam Laicus baptizare poſſet) conferat Baptiſmum in mortali. Tum quia prædicti coniuges non ex primaria intentione, ſed quaſi ex conſequenti ſunt Miniſtri Sacramenti, cùm primò & per ſe intendant inire contractum, cui non eſt annexum Sacramentum ex natura ſua, ſed quaſi per accidens ex voluntate Chriſti.

Vnde patet ad rationes in contrarium allatas; quippe non cenſentur morali iudicio iniuriam

iuriam vel irreuerentiã grauem inferre Christo, aut Sacramento, hocipso quod specialiter ad istud ministeriũ Sacramenti non sint consecrati, & tantùm consequenter, ac quasi per accidens illud intendãt, cuius proinde irreverentia minùs est voluntaria, vt bene Coninck *loc. cit.*

Resp. 2. Venustum & Venustianam coniuges impeditum Sacramenti effectum in huius susceptione recuperare posse, si durante matrimonio obicem remoueant, vt docent Suarez D. 18. *sect. 6. §. secundò hinc infero.* Coninck *q. 62. n. 77.* Layman *l. 5. Tr. 1. c. 7. n. 5.* & plures alij. Nam vniuersim loquendo cum omnium Sacramentorum effectus hominibus necessarij sint, diuinam bonitatem decet, sic ea esse instituta, vt eorum effectus ijs communicentur, quandocunque ad illorum receptionem se disposuerint. In specie de matrimonio, cùm hoc Sacramentum iterari non possit, sed recipientem in statu quasi immutabili constituat, credendum non est, voluisse Christum hoc Sacramentum fictè suscipientem perpetuò priuare illius effectu, sed potiùs præsumendum, voluisse concedere, si ipse capacem se reddiderit, & ante illius dissolutionem obicem remouerit; quod fieri potest vel contritione, vel attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, quo casu virtute vtriusq; remisso peccato gratia producitur, non quidem di-

uersa specie, sed eadem cum diuerso respectu, maior tamen, quàm ab vno solo produceretur, vt post alios docet, & pluribus explicat Palao D. *cit. pun* 10.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, Sacramentum operari suum effectum remotâ iniquitate; & licet tunc non existat in re, existere tamen in diuina acceptatione, quod sufficit, vt moraliter effectum suum ponere possit. *Ad* 2. Distinguimus maiorem, & concedimus eam de Sacramentis operantibus, dū actualiter sunt; negamus autem de operaturis, cùm impedimentum remouetur; hæc enim ponunt suos effectus non iuxta mensuram præsentis suscipientium dispositionis, sed futuræ, quâ obex fuerit remotus, vt ex communi docet *cit. Author pun.* 9. *n.* 8.

XCVI. *Virgilius & Virgilianus ineunt contractum Societatis in triennium ad negotiandum; ille bis mille florenos: iste meram operam confert suam, quàm & sedulò præstat. Elapso autem triennio solam reperiunt pecuniam, quæ in sortem fuit deposita, nihil verò prorsus lucri facti. Quæritur. Vtrum in communionem sortis adhuc integræ admittendus etiam sit Virgilianus, aut soli Virgilio, qui eam contulerat, relinquenda?*

Videtur Virgilianus admittendus in sortem. Ita Lessius *de just. cap.* 25. *dub.* 2 *num.* 9. Tanner *Tom* 3. *D.* 4. *quæst.* 7 *n.* 203 Dicastillo *de justit. Tr.* 13. *D.* 1. *n.* 52. Lugo *de just. D.* 30. *n.* 16.

n. 16. & alij. Tum quia aliàs inæqualis foret diuisio, & conferens operã longè deterioris esset conditionis, quàm qui pecuniã contulit. Tum quia qui posuit operam, tantum posuit, quantum qui contulit pecuniam, cùm opera vnius socij tantum valeat, quantum valet pecunia ab altero collata. Ergo pecunia finitâ Societate diuidenda est.

Resp. Virgilianum non admittendum esse in comunionẽ pecuniæ, quæ finitâ societate salua remansit, sed hanc pertinere ad Virgiliũ, qui illam contulit, nisi aliter sit inter eos conuentum. Ita Mynsingerus *3. Instit. Tit. 26.* § *ad illa.* Schneidevvin *ibidem.* M. Nauarrus *cap.* 17. *n.* 253. Sotus *l. 6. de just. c. 6. art. 1. ad 1.* Valentia, Azor, Rebellus, & plures, quos citant & sequuntur Filliucius *Tr. 38. c. 3.* & P. Ferd. de Castro Palao *de Iustit. Disp.* 8. *pun. 3.* Ratio est. Tum quia Xistus V. *in constitut. quæ incipit: Detestabilis auaritiæ.* dicit, sortem, finitâ societate, tradendam esse illi, qui eam contulit, si extat. Tum quia si pecunia (quæ appellatur sors) pereat, perit illi, qui eam contulit. Ergo si extat finitâ societate tradenda est illi, qui eam contulit; quippe par est, vt illius sit commodum, cuius est incommodi periculum. Tum quia ex recepta consuetudine non facilè damnanda tales solam operam conferentes non admittuntur in communionem sortis. Tum quia si-

quid omnino dandum esset pro opera, at non tota eius æstimatio, sed ipse conferens pro sua proportione aliquid damni pati deberet, vt fit in pecuniæ interitu. Ergo iniquum est, totam eius æstimationem repetere. Et licet plerique ex Aduersarijs plus non velint (casu saltem, quo collata opera totam pecuniam prudenti æstimatione nõ æquat) hoc ipsum tamen non euinci ipsorum argumentis, patebit ex horũ solutione.

Itaque ad 1. Negamus, iniustam fore conditionem, siue *Societatem*, vt vocant, *leoninã*. Nam quando nullum reportatur lucrum ex societate, neuter hoc acquirit, sed vterque amittit, quod lucrari potuisset, & sicut stetit pecunia periculo conferentis, ita opera stetit periculo laborantis, vt bene Filliutius *loc. cit. num.* 45. *&* 53. *Ad* 2. Eum, qui posuit operam, nihil posuisse pro sorte siue capitali, consequenter ipsi non deberi sortem, sed tantùm lucrum.

XCVII. *Viuamannus studiosus à ciue Viennensi equum mercede conducit, vt cum alijs Socijs per vnam horam tempore hyemali per ciuitatem trahâ vehatur; quod dum eâ, quâ par est, moderatione facit, & finitâ horâ equum remittit, paulò post iste in stabulo mortuus concidit. Viuamannus cum nullam penitus causam dederit culpabilem, facilè advertit, casum hunc esse fortuitum, & ad nihil se teneri in foro externo; hæret tamen de in-*

terno.

terno. Quæritur. Vtrum Viuamannus in conscientia ad aliquam compensationem teneatur?

Videtur teneri ad medietatē damni resarciēdam. Ita Paludanus, & Ioannes Valerius, quos refert & sequitur Diana *P. 3. T. 6. R. 10.* aiens, se in simili casu consultum ita respondisse. Nam cum contractus iste sit in vtriusque vtilitatem, iustum videtur, vt vterque etiam æqualem sentiat damni partem.

Resp. Viuamannum etiam in conscientia ad nullam prorsus compensationem damni teneri, posito quod nimiâ equi citatione aut simili modo culpam nullam commiserit, vel pactum peculiare non interuenerit. Ita Sylvester, Angel. Nauarrus, Molina, Vasquez, Lugo de Iustit. *D. 8. n. 123.* & hoc teste, alij omnes. Habetur tum ex *c. vnico de commodato, & §. Item is. Institut. quibus modis re contrahatur obligatio.* tum quia res domino suo perit, si nulla intercedit pactio vel culpa, vt accidit in proposito, tum quia tales casus sunt extra Summam prouidentiam.

Atque hinc patet ad rationem in oppositum, minimè scil. iustum videri, vt in tali quasi fortuito casu vtraque pars æqualiter sentiat damnum; esto contractus sit in vtilitatem vtriusque; alioquin, si conducerem domum decem millibus aureorum æstimatam, eaque fortuito casu, v. g. terræ motu periret, tenerer in

conſcientia ad medietatem damni, quod nec Diana, nec vllus alius affirmare audebit.

XCVIII. *Wilibrordus Sacerdos ex mero ſtipendio pro Sacris accepto ſe ſuſtentat; & ſi interdum neminem habet, qui ipſum mercede conducat, nihilominus illo die celebrat pro eo, qui proximè numeratâ pecuniâ Sacrum eſt poſtulaturus. Quæritur. An licitè?*

Videtur licitè eum facere. Ita Petrus de Arragonia *in* 22. *q.* 85. *art.* 3. *Dub. penult.* Petrus Navarr. *de Reſtitut. L.* 2. *c.* 2. *n.* 373. Rodriquez, Henriquez & alij docti R. R. Moventur. Tum quia Wilibrordus, dum ſacrificat, intentionem ita format, vt in acceptatione diuina fructus Sacrificij reſeruetur ei, qui primus poſtulabit, eidemque poſtmodum applicetur, in quo nulla apparet repugnantia. Tũ quia licet Sacrũ illud ſit præteritũ reſpectu noſtri, in DEI tamen acceptatione & æternitate perinde eſt præſens, ac ſi modò offerretur.

Reſp. 1. Wilibrordum illicitè & invalidè fructum Sacrificij applicare ſub prædictâ conditione futurâ. Ita Suarez, Vaſquez Coninck & alij, quos refert & ſequitur Palao *Tr.* 22. *D. Vnic. pun.* 6. *n.* 18. Ratio eſt, Tum quia contraria Sententia damnatur à Sac. Congreg. Concilij Trident. iuſſu Clementis VIII. tanquam pluribus nominibus periculoſa, vt videre eſt apud Barboſ. *Part.* 2. *de Poteſtate Epiſcopi*

copi Alleg. 24. n. 12. Tum quia Sacerdoti non est concessum applicare fructum Sacrificij quouis tempore, sed eo solùm, quo Christi personam gerit, cuius etiam nomine applicat, adeoque quando sacrificat. Atqui applicans sub conditione futura, non applicat fructum Sacrificij eo tẽpore, quo Christi personã sustinet, sed ad tẽpus advẽturæ cõditionis reseruat applicandum. Ergo non tantùm illicitè, sed etiam invalidè hoc applicationis modo vtitur. Non obest, quod DEO omnia in æternitate præsentia sint; nam sicut fructus Sacri à Wilibrordo non fuit applicatus tunc, quando gerebat personam Christi, ita non potuit pro illo tempore esse præsens in æternitate, sed alio, quo personam illam iam deposuerat.

Resp. 2. Si Wilibrordus velit, vt fructus Sacri, dum istud fit, applicetur ei, quem DEVS nouit, proximè numeratâ pecuniâ postulaturum, & validè & licitè illum applicare. Ita ferè Palao *loc cit.* Ratio prioris est, quia hæc applicatio absoluta est, & independens ab aliqua futura conditione; esto enim futurum contingens sit, quis nam primò Sacrum conducturus sit, attamen id DEVM nouisse non est contingens futurum, sed præsens & necessarium, secundum quam præsentiam & necessitatem fructus Sacrificij applicatur, nec reseruatur applicandus ad futuram conductionem Sacrificij. Ratio posterioris est, quia à

Sac. Congreg. tantùm damnatur & reiſcitur applicatio conditionata & dependens ab aliquo futuro, qualis dependentia & conditio hîc non interuenit. Confirmatur. Sacellanus, qui ſingulis hebdomadibus debet tria Sacra legere, poteſt licitè hâc hebdomade legere ſex, vt nullũ ãplius debeat pro hebdomade ſequenti, vt docent Barboſ. *loc. cit. n.* 14. Riccius in praxi *Reſolut.* 338. Reginaldus, Rodriquez, Lugo, Palao, & alij communiter, idque ideò quia in hoc caſu fructus Sacrificij non ſuſpenditur poſtmodum applicandus, ſed ſtatim applicatur iuxta intentionem præſentem, certam, & determinatam, id quod non minùs accidit etiam in caſu noſtro. Ergo eodem prorſus modo vtrumque licitè fit.

Atque ex his patet ad argumenta contrariæ Sententiæ, cuius Authores, qui ritè expenderit, non aliud in illis deprehendet, quàm quod in 2. Reſponſione diximus, vt proinde contra veritatem, & declarationem Sacræ Congregationis nihil prorſus aſſerant.

XCIX. *Zebina mulier in graue lapſa eſt peccatũ, quod præ nimia verecundia non auſa exponere Confeſſario quælibet interim alia confitetur, donec à Religioſo de integritate Confeßionis magnâ vi ad populum dicente mota ſtatuerit, integrè confiteri, & malam verecundiam ponere. Quæritur. Quam repetitionem peccatorum & confeſſionum à Zebina exigat Confeſſarius?* Vi-

Videtur repeti oportere omnia peccata mortalia, quæ enarrata sunt tum in illa confessione, in qua Zebina primò peccatum sacrilegè suppressit, tum in alijs quibusuis, quæ eam fuerunt secutæ, addito numero confessionum & communionum, quæ interea temporis interuenerunt, cùm ipsæ quoque sacrilegè fuerint peractæ. Ratio est, quia in tali casu non remittuntur peccata, sed adhuc retinentur, vt ait Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. Ergo necessariò clauibus subdendæ sunt, vt remittantur.

Resp. 1. Si Zebina omissi peccati mortalis semper meminit, & tamen in posterioribus confessionibus constanter tacuit, omnes esse sacrilegas: secus si commissi sacrilegij oblita in sequentibus confessionibus exposuit omnia peccata, quorum post diligens examen notitiam habuit. Prima pars est communis omnium, & patet ex ratione Tridentini recèns allata. Secundam partem ex communi etiam tradit Dicast. *D.* 8. *de Pœnit. n.* 91. quia in illis posterioribus confessionibus, nihil fuit culpabiliter intermissum.

Resp. 2. Si Zebina alio iam Confessario, quàm antea vtatur, omnes confessiones sacrilegas, & peccata mortalia omnia, quæ in his vel suppressa, vel expressa fuerunt, de nouo esse enarranda. Ita comuniter omnes. Nam præcedens cognitio, vtpote huic Confessario

incognita,

incognita, nullatenus deseruire potest, vt iste sententiam absolutionis impendat.

Resp. 3 Si Zebina eodem Confessario iam vtatur, quo antea, & iste saltem in confuso recordetur vel statûs pœnitentis, vel iniunctæ pœnitentiæ, non obligari eam priora peccata singillatim repetere; imò si iste nec prædictorum peccatorum, nec pœnitentiæ iniunctæ recordetur, sed solùm sciat, illã sibi confessam, non teneri eandem cætera peccata speciatim repetere, sed satisfacere exprimendo peccatum illud antea suppressum, & addendo sacrilegium, quod malè confitendo commisit, docet Granado *in 3. part. de Sacr. Contr. 7. Tr. 9. D. 12. num. 5.* & ex hoc Diana *part 5. Tr 14. Resol. 51.* Ratio est, quia ad faciendam istam specialem peccatorum repetitionem nec obligat integritas: nec sententia à Confessario ferenda, nec pœnitentia imponenda; cùm pœnitens iam omnia sua peccata in confessione dixerit: & Confessarius sententiam de ijsdem intellectis tulerit, & pœnitentiam proportionatam iniunxerit.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium allatam.

C. *Zoëllus Parochus deprehendit in confessione impedimentũ dirimens inter contrahentes, qui tamẽ iã ter publicè in Ecclesia fuerunt denuntiati. Quæritur. Quid faciat Zoëllus, si maximè contrahentes desistere nolint, sed publicè dein Sacram*

Eucha-

Eucharistiam, & eius in contractu assistentiam requirant?

Videtur neutrum facere posse. Quia nemini licitum est, sacrilegio ac peccato cuilibet cooperari; At ministrans Sacramentum indigno, assistens illicito contractui, cooperatur sacrilegæ susceptioni, & illicitæ actioni. Ergo &c.

Resp. 1. Zoëllo omnibus modis laborandū, vt pœnitentes deponant voluntatem tam contrahendi, antequam impedimentum legitimè sit sublatum, quàm S. Eucharistiam in tali statu petendi. Ita omnes. Nam propria officij obligatio postulat, vt Zoëllus nec Sacramentum administret malè dispositis; nec assistat invalidè contrahentibus.

Resp. 2. Si ijdem ob scandalum desistere à proposito nequeant, suadere posse Zoëllum, vt ex communi consensu contrahant non absolutè de præsenti, sed sub conditione, si Papa dispenset, animo interim cohabitandi instar fratris & sororis. Ita Ludoui. Beia *part.* 2. *casuum Conscientiæ casu* 32. quod remedium vocat Pontius *L.* 5. *c.* 35. *n.* 4. rationabile & meritò. Quia hâc ratione contractus ille matrimonialis, qui aliàs non licet, fiet licitus, cùm non sit prohibitum contrahere matrimoniū de præsenti sub conditiōe, si Papa dispenset: & interea temporis more fratris & sororis in ijsdem ædibus cohabitare, maximè

cùm

cùm ius ipsum præfigat bimestre, quo possint sponsi non coniungi; esto in eadem domo habitent. Verum est, quod in tali cohabitatione periculo fornicationis se exponant, dum dispensatio obtinetur. Sed id excusatur per graue scandalum, quod aliàs sequeretur.

Resp. 3. Si prædicti pœnitentes nolint sub eadem conditione contrahere, sed in proposito suo persistant, exigantque publicè à Parocho Sac. Eucharistiam, & eiusdem præsentiam in ipso contractu, posse Zoëllum licitè vtrumque præstare. Ita cum S. Thom. 3. *part.* D. 80. *art.* 6. Valent. Suarez, Coninck, Palao *Tr.* 18. *de Sacram. in genere D. Vnic. pun.* 15. *n* 3. & communiter alij Theologi. Quia Zoëllus nequit iuvari ex notitia confessionis ad actus externos; quippe redderetur hæc vehemēter odiosa, & homines ab eadē retraherentur, si scirent, propter peccata in Confessione audita posse illis & Sacram Eucharistiam & matrimonium negari. Quare creditur Christus in tali casu potestatem suis ministris fecisse, etiam indignis Sacramenta administrandi, permittendi matrimonium &c.

Ad rationem in contrarium negamus, ministrantem indignis Sacramentum, aut malè cōtrahentibus assistentem Zoëllum cooperari ex tali causa ipsorum sacrilegæ susceptioni & peccaminosæ actioni, quia solùm hæc ex iusta causa permittit, vt ex Suarez, Henriquez, & alijs Palao *loc. cit.*

SY-

SYNOPSIS
Centuriæ III. Selectorum Casuum Conscientiæ.

1. AGILVLPHVS Parochus parochianos suos iudicare potest excusatos à mortali peccato Sacri non auditi, si spatio vnius horæ ab Ecclesia distent.

2. ALBANVS vir nobilis licitè differt solutionem debitorum ad iacturam statûs sui cauendam.

3. ALEXANDER Rex acatholicus, licet ad exhibendam solùm obedientiam ciuilem præcipiat Catholicis, vt concionibus Prædicantium intersint, isti tamen obedire non possunt.

4. ANATOLIVS actiones quasdam mortaliter quidem (in alio tamen genere, quàm luxuriæ) malas exercens experitur ex his sæpius motum carnis, aut etiam pollutionem; quæ tamen actiones inde non contrahunt malitiam mortalem, si absit periculum consensûs formalis.

5. ANNO nullum vnquam seruauit ieiunium, nec ab anno 21. vsque ad 60. cum Scribam ageret: nec ab hoc inchoato vsque ad annum 90. cum adhuc robustus esset senex: idque probabiliter absque peccato semper fecit.

6. ANTHERVS à Confessario suo pœnitentiam accipit grauem quidem, attamen rationabilem: & eâ nondum peractâ alteri confitetur, qui pœnitentiam illam absque repetitione prioris confessionis rectè mutat, minuitque, si statum vitæ præteritæ ex præsenti confessione satis perspexerit.

7. APELLES pingendo negligens Sacrum, sufficienter in confessionali se explicat aiens: die festo neglexi Sacrum.

8. ARTINGVS moribundus famulo suo laico crimen

men olim commissum sub sigillo confessionis detegit; qui tamen inde ad hoc sigillum non tenetur.

9. ARIALDVS in censuram Papæ reseruatam incidens, vrgente graui causâ, à Parocho suo absolui potest.

10. ARIPERTVS in flagranti deprehensus & statim de scelere accusatus negare hoc potest; esto inde accusator tanquam calumniator infametur.

11. ARMOGASTES ex prænobili familia cum in Minoribus constitutus non nisi 25. aureos ex beneficio suo percipiat, non tenetur ad horas canonicas dicendas.

12. ATTALVS honoratiorem in Ecclesia locum pro sepultura emens non committit Simoniam.

13. AVXIBIVS diebus ieiunij pinguedinem ex lardo & adipe pro cibis familiæ suæ condiendis adhibens non peccat mortaliter, si absit scandalum &c.

14. BECHTOLDVS torquem aureum emens, cum postea intelligat hunc furto ablatum, licitè illum vendenti reddit, & pretium suum repetit; esto hunc nouerit statim se subducturum, nec furtum Domino restituturum.

15. BERTRANDVS vouet, nullum alium Ordinem religiosum se ingressurum præter Sancti Dominici; quod votum non valet.

16. BONOSVS Clericus dotem etiam ex bonis Beneficij sui denegare non potest Sorori, si ista aliunde illam habere non potest ad honestũ matrimonium.

17. BRICTIVS debitor ob spem lucri faciendi illicitè differt solutionem 300. aureorum; nisi per id lucrum alijs etiam creditoribus satisfacere possit, aliàs non satisfacturus.

18. CALLISTVS Episcopus non potest adhibere breuiorem Confirmationis formam, quàm communem hanc: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.

19. CASTELLVS Studiosus commensalem suum in

in rixa lethaliter læsit & aufugit; at postquam Barbatius gladio Castelli à sanguine adhuc rubenti vngentum magneticum illeuit, læsus quidem in dissito loco sanatus est, verumtamen non à DEO, nec viribus naturæ, sed à malo spiritu.

20. CARINA diu abest domo suâ: & post longam inquisitionem è fonte in medijs plateis extracta rectè in loco sacro sepelitur.

21. CHRYSOSTOMVS ex pacto accipiens pro concione mercedem committit quidem simoniam, non autem iniustitiam.

22. CLARA Monialis tempore belli ex Monasterio suo exire coacta non tenetur ad horas canonicas dicendas, quamdiu ex tali causa extra Monasterium versatur.

23. CORDVLA vxor marito suo debitum coniugale modo & situ venialiter peccaminoso petenti reddit absque peccato veniali.

24. CYRIACVS rebus à se narratis subijciens, eas ita esse veras, vt verum est, DEVM existere &c. non committit blasphemiam.

25. DIDACVS Collegij cuiusdam Societatis IESV Rector oblatam pecuniæ notabilem summam pro certis & stabilibus Sacris annuatim in templis Societatis & à Patribus huius dicendis non quidem potest accipere siue tanquam stipendium, siue tanquā eleemosynam: at bene alijs modis citra pactum & obligationem rigidam.

26. DIONYSIVS euentus futuros à libero arbitrio dependentes ex astris etiam probabiliter absque superstitione prædicere non potest, nisi fortè tenuissimam solùm coniecturam facere intenderet.

27. DINANTVS diuortium iure facere potest ab vxore sua adultera, etiamsi eam priùs à se abegerit, de vitæ sustentatione non præuiderit, & ipsa inde in adulterium inciderit.

28. DOMETIVS in confessione mortalia quædam

omittit ex ignorantia in examinanda conscientia mortaliter culpabili, etsi non supina; vnde valor confessionis adhuc subsistit.

29. Domitivs pluribus Missis, quas pluribus personis promisit, satisfacere non potest vnicam Missam dicendo; vtvt aliàs valor sacrificij sit ex se infinitus.

30. Donatvs Parochus secum ipse dispensat circa esum carnis, idque validè.

31. Drogo committens sortilegium, cuius reseruationem in hac diœcesi planè ignorabat, absolui potest à Parocho; esto iste peculiarem potestatem absoluendi à reseruatis non habeat.

32. Dympna illustris virgo pridie nuptiarum meminit voti sui post pubertatem editi, idque indicat Confessario suo, qui ex Ordine quodam Mendicantium, etsi jurisdictionem quasi Episcopalem habeat, dispensare tamen cum ea non potest etiam in difficili accessu ad Ordinarium.

33. Elfrida mulier maritata pretium pro vsu corporis sui ab amasio blanditijs & mendacijs extortum retinere potest.

34. Esau in ceruum eiaculatus huius dominium acquirit, si ita eum tetigit, vt moraliter illius manum effugere non posset: secus ad Ismaelem pertinet, qui postea eundem cepit: in dubio iuxta proportionem huius diuidatur.

35. Evdoxiae vxoris votum de non mentiendo potest Maritus eius irritare, nullumque declarare.

36. Eventivs Campsor exercet recambium, quod aliqui vocant *recursæ*, idque speculatiuè loquendo, licitè quidem, quamuis practicè non consulatur.

37. Evstasivs post ablutionem iam sumptam aduertens in patena particulas S. Hostiæ ab ipso consecratæ potest has sumere tam in altari adhuc existens, quàm in Sacristia sacris vestibus nondum exutus: probabiliter etiã Hostiæ ab alio Sacerdote consecratæ.

38. Ga-

38. Galation & Episteme Illustres personæ iam iam nuptias celebraturæ aduertunt inter se impedimentum dirimens; in quo casu Episcopus quidem dispensare ob necessitatem vrgentem potuisset; quia tamen Romã res est delata, & inde rescriptum, dispensationem certò impetrandam intra triduum, hoc elapso nuptiæ rectè celebratæ sunt, si postea intelligatur, reipsâ illam dispensationem fuisse tunc concessam.

39. Fvgativs Bohemus cum puella Itala Augustam veniens, & aliquantulum ibi moratus coram Parocho & Testibus validè contrahit matrimonium.

40. Georgivs Bauarus à ciue Passauiensi simul equum & dolium vini emit, vtrumque post mensem simul soluturus & auecturus; interea autem temporis ambobus nescio ex quo infortunio pereuntibus iactura equi ad emptorem, vini verò ad venditorem spectat.

41. Gertrvdis sacramentaliter absolui potest, dum ait, dolere se valde de peccatis commissis, etiamsi in specie nullũ etiam veniale exprimere valeat.

42. Georgianvs ex errore vincibili putans diem proximè instantem Sancti Iosephi non esse festum, absque peccato deinde omittit Sacrum, nihil amplius de hoc audiendo cogitans.

43. Georgia famula curam habet penûs, ideóque tenetur ad restitutionem damni, quod ipsâ non impediente facit alius consamulus illuc irrepens.

44. Gentianvs Aulicus in vestitu, victu, conuiuijs, famulitio &c. moderatissimus est; & licet idcirco amarè vexetur ab alijs, & ad maiores sumptus instigetur, non potest tamen hos facere, si moraliter certus sit, debita inde se contracturum, quibus postea non sit soluendo.

45. Gvstavvs immodicè vsui tabachi est deditus, & simul ac surgit, eum vsurpat; vndè tamen non violat ieiunium naturale, nec arcetur à sacra Communione.

46. HADRIANVS Iudex videns inter Caspium & Caspianum litigantes causam huius probabiliorem nihilominus pro illo malè fert sententiam ex eo, quod causam eiusdem saltē probabilem agnoscat.

47. HEMMINGVS Parochus 2 Nouembris, hoc est, die animarum culpabiliter omittit recitare officium defunctorum, ideòq; ex communi DD. peccat mortaliter, quamuis non desint docti RR. qui hoc negēt.

48. HERODIVS amarè vexatur ab Herodiano adulterium vxoris exprobante; vnde ille concitatus adulterum inopinatò inuadit, occidit, & aufugit; in cuius defectum Herodianus tenetur ad restitutionem damni.

49. INGEN vir aliàs timoratæ conscientiæ subinde in grauem blasphemiam erumpit, quia tamen similia fieri à se ait absque aduertentia saltem certa, ideo non peccat grauiter.

50. IVLITTA post actum coniugalem non potest semen statim effundere, etiamsi ex conceptione & partu prolis periculum grauium dolorum, imò & vitæ sit subitura.

51. LEOVIGILDVS Consiliarius Regius apud varios Doctores sententias inquirit, quæ pro fine suo arrideant; idque per se non malè & illicitè.

52. LEVCIANVS ab vxore molestis precibus extorquet, vt in testamento ipsum præ fratibus consanguineis scribat hæredem, aliàs hoc non factura; valet nihilominus testamentum in vtroque foro.

53. LEVINIVS vir Catholicus retinet apud se, legitque libros hæreticos de Religione tractantes, quasi apud ipsum non esset peruersionis periculum, qui idcirco peccat mortaliter, & incurrit censuram.

54. LIBERIVS in discursu insinuat, fornicationem ex natura sua & intrinsecè non esse malam; quod longè falsissimum est.

55. LEVTFRIDVS non peccat mortaliter aliam in vxorem ducendo, quàm Pater eius velit.

56. LOT Gen. 19. offerendo filias Sodomitis ad abusum peccauit mortaliter, si eius verba sumantur, vt sonant.

57. LVCERIVS cõductor non tenetur resarcire Lucio locatori damnum exustarum ædium, nisi iste probare possit, incendium accidisse ex culpa certi ac determinati famuli in officio suo, qui communiter pro negligenti est habitus, & tamen à Lucerio in domum fuit inductus ac toleratus.

58. LVPERIVS in templo pollutionem occultè faciendo non committit sacrilegium speciatim in confessione explicandum.

59. MANFREDVS Religiosus concessâ facultate à Prouinciali suo accipiendi aliquid citra medium florenum, non potest vi huius facultatis vno die sæpius accipere dona, quæ singula quidem medium florenum non excedunt: at bene simul sumpta.

60. MARCELLA in morbo impetrans priuilegium, quo in domo sua Sacrum vnum intra 14. dies legi procurare valeat, potest intra hos 14. dies tria sibi Sacra procurare, si fortè integro pòst mense nullum amplius habere possit; cui Sacro, si assistant alij etiam Sæculares, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ.

61. MARCVS miles Catholicus conscius secretorum exercitûs catholici non potest hæc manifestare hosti, etiamsi ab hoc captus grauia tormenta vel ipsam mortem sustinere debeat.

62. MENNAS in necessitate annuæ confessionis & defectu alterius Confessarij non tenetur cum magno incommodo Confessario loci manifestare peccatum graue quoad rationem genericam, sed potest illud omnino tacere: nec etiam ad contritionem huius perfectam obligatur.

63. MILVS Sacerdos sæpe hærens, num psalmum, aut horam istam dixerit, non tenetur repetere, nisi probabiliter sciat, se omisisse.

64. NEMOTIVS cognoscens Mosiam vxoris suæ

consanguineam in 2. gradu non priuatur iure petendi debitum, si pœnam hanc ignorauit illi incestui impositam.

65. Nicasius Aduocatus non potest pergere patrocinari causæ, quam certò agnoscit minùs probabilem, quàm partis aduersæ, cuius ipse est aduocatus.

66. Nicetius pro 300. florenis in auro acceptis satisfacit reddendo totidem in quauis moneta argentea probata.

67. Nimmia votum plurium precum perquam languidè peragit, quod idcirco rectè mutat Sacerdos in aliud leuius quidem, sed quod maiore promptitudine & pietate peragi ab ipsa possit.

68. Ordonius vt graue Reipubl. malum impediat, illicitè frequenti prouocatione inebriat alium futuræ huius ebrietatis haud ignarum.

69. Oswaldus laicus æditiuus in vltima necessitate & defectu Clerici nō malè fecit, ad Oswaldū extremè decumbentem deferendo SS. Eucharistiam, & hanc illi administrando.

70. Philemon histrio comœdias exhibet sat lasciuas; quas tamen permittendo solùm ad maius malum euitandum non peccat Magistratus: nec etiam qui intersunt ob solam curiositatem: nec denique ijdem spectatores peccant ratione scandali.

71. Polycronius vir nobilis & diues legauit pijs locis omnes reditus annuos per decennium ex jurisdictionibus A. & B. cum obligatione Missæ perpetuæ, quæ jurisdictiones cum alteri domino post illius mortem vindicentur, hæres ex alijs hæreditatis bonis satisfacere tenetur.

72. Popo deprehendens in sylua indicia metalli mox à fundi domino latentis metalli ignaro emit eam communi quidem pretio, sed maximo & iusto lucro.

73. Prilidianus Turca cupit baptismum, & nolenti

lenti baptizare, nisi certa pecunia pendatur, hanc ad redimendam vexationem haud illicitè porrigit.

74. PRIMITIVS Religiosus & Sacerdos rectè benèque facit, Sacrificia, quotquot potest, offerendo pro Infidelibus conuertendis.

75. QVIRINA vxor aperit viro suo, fictè se contraxisse, aut aliud impedimentum dirimens habuisse; cui tamen assertioni credere maritus non tenetur, nisi aliæ circumstantiæ moraliter certò eam persuadeant.

76. SIGISMVNDVS in subitum morbum incidit, nullumque amplius signum doloris dare valet; ad quem nihilominus vocatus Parochus malè ipsi denegat Sacramentum Extremæ Vnctionis.

77. SYLVIVS homo rusticanus absque peccato & restitutionis onere in syluis alienis non circumseptis moderatè ligna cedit & auehit.

78. SIMPLICIVS in graui necessitate & defectu congruæ sustentationis licitè retinet decimas, nihilque de hoc dicit Parocho.

79. SIRITION aduertens in arce quadam multa fieri contra ius tam naturale, quàm positiuum ex ignorantia quadam inculpabili, monere tenetur incolas, si fructum ex admonitione speret.

80. SVENO adolescens ab ingressu Religionis impeditur per Gerebertum; qui ideircò, si vi aut fraude eum abstraxit, peccauit mortaliter, & restituere tenetur monasterio, quanti æstimabitur emolumentum temporale ex ipso prouenturum, consideratis tamen circumstantijs, per quas illud emolumentum poterat impediri.

81. SIBERTVS Sacerdos & Canonicus frequenter negligit Completorium; cuius tamen omissione vnum tantùm committit peccatum, nec tenetur duplicem horarum dicendarum titulum in confessione aperire.

82. THEONAS in conuentione mercedis pro ope-

ra & labore suo deceptum se vltra dimidium videns finito etiam anno remediũ habet æquitatis, ad quam contractus est reducendus.

83. THEON Sacerdos in quadragesima Vesperas post meridiem recitando nec venialiter peccat siue in choro, siue extra hunc.

84. THOMAS aiens, probabile se iudicare, animam rationalem esse immortalem, incidit in hæresin, sic dubitando.

85. TORNANVS in foro interno ob voluntatem Domini præsumptam excusatur à restitutione rei ablatæ saltem statim facienda: & inde etiam non peccauit mortaliter.

86. THEOPEMPTVS in concubinatu viuit cum Theopempta fæmina laica, quæ criminis rea spectat ad Iudicem sæcularem.

87. TVRSON iniustè ad mortem damnatus haud illicitè Iudicem ad Dei Tribunal eâdem secum horâ vocauit.

88. TVRONIVS post confessionem pro Iubilæo peractam ante cætera opera impleta iterum in peccatum mortale lapsus non tenetur ad Iubilæum illud lucrandum iterum confiteri, sed sufficit, si conteratur.

89. VALENTIONI Subdiacono & Canonico post mortem fratris Amici ad conseruandam familiam suadent nuptias, spondentque dispensationem Papæ; & quia ante hanc cognitam & acceptatam Valentio nuptias celebrauit, matrimoniũ fuit nullum, & ipse per se loquendo, peccauit mortaliter.

90. VINDONIVS vxori gemmam 100. imperialium æstimatam donans repetere eam, & elargitiones ex eadem ab vxore in amicos factas retrahere non potest.

91. VITELLIVS Religiosus & Sacerdos Senem ægrum ex vno in alterum latus suauiter vertendo nõ incurrit irregularitatem, etiamsi Seni isti mors præter opinionem inde fuerit accelerata.

92. Vis-

92. VISSIA ancilla ex bonis Domini sui licitè facit eleemosynas, si adest consensus Domini siue expressus, siue tacitus, siue ratiōabiliter præsumptus.

93. VITERBIO puero vix septennario rationis tamen capaci ante Sacramentū Eucharistiæ aliquando sumptum dari debet Extrema Vnctio.

94. VRSATIVS Sacerdos superfluorum bonorum ex beneficio verè fit dominus: tenetur tamen disponere in vsum pauperum, aut alterius piæ causæ, idq; tum ex præcepto Ecclesiæ positiuo, tum ex iure naturæ, siue ipsâ natura virtutis Religionis; quodsi eosdē superfluos reditus in diuites transferat, abalienatio valida est, nec restitutioni obnoxia.

95. WENDELINVS ioco explodens sclopetum solo puluere nitrato onustum ita socium terrore percutit, vt humi procumbens post 14. dies negligentiâ curæ interueniente moriatur; ex quo tamen casuali homicidio nullam ille incurrit irregularitatem.

96. WIGBERTVS dubius subinde an aliquid comederit, vel non comederit: subinde an comederit ante vel post medium noctis potest in vtroque dubio celebrare.

97. WILIBALDVS Episcopus licitè in diœcesi sua confirmat etiam alios ex vicinia accurrentes.

98. WINVALOCVS Capellanus ad S. Praxedem vi fundationis quotidie in Sacello huius Sanctæ celebrare obligatus peccat mortaliter, si sæpius alibi celebret absq; iusta causa; non tamen tenetur ad compensationem: nec alibi celebrare, si in prædicto Sacello nequeat, nisi speciali conuentio interueniat.

99. ZAMDAS vrgendo Iouinum amicum suum haustu vsque ad ebrietatem, peccat mortaliter: non tamen Iouinus, si hanc ebrietatem absque periculo mortis vel grauis percussionis euitare nequeat.

100. ZOTICVS dubius de impedimento matrimonij, & post diligentem veritatis indagationē nihil reperiens bonâ fide contrahere, & debitum petere ac reddere potest.

CENTVRIA III.
SELECTORVM CASVVM CONSCIENTIÆ.

CASVS I.

Gilulphus Parochus ait, parorochianos suos non amplius vnâ horâ ab Ecclesia distare, & tamen non paucos eorum negligere diebus festis Sacra, etiamsi via & tempestas percommoda sint. Scire igitur cupit, an peccent mortaliter, omittendo Sacrum ob solam viæ distantiam. Quæritur. Quid ei dicendum?

Videntur parochiani peccare mortaliter, dum ob solam distantiam vnius horæ aut medij milliaris germanici nõ eunt ad templum, missam non audiunt &c. Ita post alios Bonacina *de Eucharist. D. 4. q. vlt. pun. vlt. n.* 12. vbi ad distantiam, quæ excuset perinde quemlibet ab audiendo Sacro, requirit spatium sex vel septem milliarium Italicorum, quorum singula passus geographicos continent mille.

Resp. Cùm milliaria & leucæ pro varietate regionum variè accipiantur, ad vitandam omnem confusionem, & communem omnibus locis doctrinam afferendam videri vniuersim sufficere per se ad excusandum peccatum

tum omissi Sacri distantiā vnius horæ à templo. Probatur. Tum quia non debent obligari homines, vt cū tanta difficultate Sacrum audiant, vt ex communi aliorum ait rectè Arriaga *de Euch. D. 57. n. 30.* cum præceptum istud sit merè humanum. Atqui ardua sanè foret obligatio, si distantia à templo maior, quàm vnius horæ requireretur. Ergo &c. Tum quia omnes omnino DD. volunt, distantiam loci à templo, quæ excuset ab audiendo Sacro, iudicio prudentis viri relinquendam esse. Atqui hoc prudentum virorum iudicium esse videtur, vt sufficiat ad excusandū peccatum omissi Sacri distantia à templo vnius horæ, teste Palao, qui *Tr. 22. D. vnic. pun. vlt.* ex communi aliorum DD. sententia regulariter distantiam per vnicam leucam hispanicam aut minùs sufficere tradit, quod viæ spatium intra vnam horam moderato gradu haud ægrè confici potest.

Dixi per se, vt indicarem hanc loci distantiam à templo excusare à peccato omissi Sacri, si hæc omissio intra annū subinde tāntū fiat; si enim sæpe aut semper contingeret, magnum cultus diuini neglectum, exiguam salutis curam, & affectatam scandali occasionem argueret, ideóque ad excusandum minimè amplius sufficeret, perindè vt è contrario minor etiam distantia quàm vnius horæ excusare per accidens potest, si videlicet asperitas viæ, cœ-

li

li pluuia, aut ſimile quid accedat. *Atque ex his* patet etiam ad opinionem in contrarium.

II. *Albanus vir nobilis & equeſtris ordinis tanta contraxit debita, vt ſoluere illa minimè poſſit, niſi cum iactura ſtatûs ſui omni fere obſequio ſumulorum & equorum ſe priuet, conuiuia conſueta omittat, conſortium & viſitationes ſui ſimilium vitet &c. quod magno dolore conquerens Patri Confeſſario ſcire ex ipſo cupit conſcientiæ ſuæ hac in re obligationem. Quæritur. Vtrum Albanus propter hanc iacturam ſtatûs ſui ſubeundam poſſit differre ſolutionem?*

Videtur non poſſe. Ita omnes ferè Authores, vt teſtatur Dicaſtillo *L. 2. de Iuſt. Tr. 2. D. 10. n. 64.* quatenus tantùm concedunt, talem debitorem poſſe retinere ea præcisè, quæ neceſſaria ſunt, ne cadat à ſtatu iuſtè obtento, ita vt mendicare cogatur, aut manibus laborare; quamuis aliqui neque iſtud permittant, inter quos eſt Molin. D. 754. Mouentur. Tum quia ſuperior ſtatus non eſt debitus magis vni, quàm alijs, ſpectatâ hominum conditione, ſicut enim fortuna ſolet quoſdam ad ſupremum ſtatum eleuare, ſic alios ad inferiorem detrudere. Tum quia in foro externo, quando devenitur ad Ceſſionem bonorum, debitor ſpoliatur iuſtè omnibus ſuis bonis, relictis illi ſolùm tenuibus veſtibus, quibus ſe tegat, aut ſolùm quotidianis, non pretioſis iuxta ſtatum ſuum.

Reſp.

Resp. Albanum posse differre solutionem debitorum ad iacturam statûs sui cauendam. Ita Sylvest. *V. Restitutio 5 q. 1. 3. & 4.* Vbi dicit, hanc sententiam esse veriorem & humaniorem. Navarr. *c. 17. n. 63.* Lessius *L. 2. de Iust. c. 16. n. 26.* Cardin. de Lugo *de Iust. D. 21. n. 8.* & alij, qui tamen omnes supponunt. 1, Albanum iustè obtinuisse statum illum. 2, eundem ad has angustias non fuisse redactum ludis, commessationibus, superfluis sumptibus &c. 3 Creditorem ex dilatione non accipere par damnum in re familiari & statu suo: secus enim non posset differre solutionem etiam cum prædicta iactura. His suppositis. Ratio responsionis est. Tum quia nimis durum & inhumanum videtur, cogi Albanum à Confessario cum tantâ difficultate & iactura statûs sui ad soluendum statim Creditoribus. Tum quia, quando debitor non potest soluere 100. aureos, nisi totidem vendat domum, quæ aliàs 300. aureis æstimatur, non potest Creditor ipsum vrgere ad venditionem tam vili pretio faciendam, vt docent Bonacin. *de Restit. in genere. Q. vlt. pun. 1. n. n. 22.* & plures ab hoc relati, & planè naturalis æquitas suadet. Ergo aliquando ex detrimento, quod debitor subeat, licitè differri potest solutio ad tempus, quo absque tanto incommodo fieri queat. Ergo etiam ex iacturâ statûs nobilis, quod longè maximum

detri-

detrimentum censetur. Debet tamen Albanus sibi detrahere, quantum potest intra limites decentiæ statûs, vt bene Lessius *Loc. cit.*

Ad 1. *in contrarium* dicimus, esto superior status ex se non vni magis, quàm alteri debeatur; si tamen aliquis eum semel iustè obtinuit, iacturam huius, vtpote graue detrimentum, non facilè pati debet, sicut nec ex eo penitus deijci. *Ad* 2. Forum externum propter iustas causas v. g. ne lites nimiùm multiplicentur, fraudes committantur &c. non attendere ad has excusationes, relinquendo illarum veritatem Conscientijs Creditoris & debitoris.

III. *Alexander Rex acatholicus videns in metropoli sua multos Romanæ fidei addictos mandat singulis & omnibus, vt diebus festis Conciones suorum Prædicantium frequentent, protestans interim, minimè se facere id propter religionem in ipsis mutandam, sed obedientiam tantùm Ciuilem ab illis exhibendam. Quæritur. Vtrum Catholici parere huic mandato possint?*

Videtur illos posse. Nam communis est doctrina inter Theologos, accedere ad templa Hæreticorum, aut eorum conciones audire, nõ esse signum, quòd accedens eiusdem cum illis sit fidei, sicuti intrare scholam, vbi docetur Medicina, non est profiteri se Medicum, sed potest ille accessus habere diuersas causas. Ergo quemadmodum quilibet ob curio-

curiositatem v.g sciendi, quid dicant Prædicantes, absque negatione fidei ad Conciones horum accedere potest, ita etiam omnes accedere possunt ob mandatum Regis.

Resp. Catholicos non posse parere Alexandro Regi, adire templa, & audire Prædicantium Conciones. Ita ex communi D. D. Cardin. de Lugo *Tom. de fide D. 14. n. 174.* aiens, ita respondisse Theologos Romæ de hoc Casu consultos. Ratio est, quia non obstante illâ protestatione talis accessus templi & auditio concionis hæreticæ ordinatur tum ad dandam concionatori maiorem auctoritatem, tum vt paulatim aliqui maximè rudiores pervertantur, tum in contemptum rei Catholicæ; & licet in aliquibus cessent eæ rationes, tamen omnes obligantur abesse, ne vnus alium suo Exemplo trahat, atque sic multi seducantur; imò si vel vnicus esset Catholicus in regno ac ciuitate Alexandri non tolerandus, nisi obediret mandato regio & communibus aliorum concionibus interesset, non posset parere. Nam licet aditus ad templum hæreticorum & auditio Prædicantis ex se possit esse actio indifferens, attamen in his circumstantijs non est indifferens, sed determinata, vt sit actio religiosa significans cultum sacrũ erga locum illum & actiones, quæ ibi fiunt, qualis actio est intrinsecè mala, ideoque in nullo casu licita.

Atque

Atque ex his patet ſimul ad rationem in contrarium.

IV. *Anatolius certâ experientiâ habet, contingere ſibi motum ſenſualitatis, & ipſam ſubinde pollutionem poſt aliquas actiones, quas committere ſolet, venialiter aut etiam mortaliter malas, in alio tamen genere, quàm luxuriæ, v. g. ad curioſum aſpectum mulieris, incautam conuerſationem, tactum, lectionem, nimium ſomnum, ebrietatem &c. & tamen ab his ſe non abſtinet, ratus abeſſe periculum conſenſûs. Quæritur. Vtrum actiones illæ contrahant malitiam mortalem ratione motuum inordinatorum ac pollutionis?*

Vidétur contrahere. Ita Medina, Zumel, Armilla, Sotus, Valent. 2. 2. D. 9. q. 3. pun. 3. §. *Itaque duo requiruntur.* & alij apud Thom. Sanch. *de Mat. L. 9. D. 45. à num.* 11. Mouenuentur 1. Qui ponit cauſam, ex qua videt per accidens ſecuturũ homicidium, ſemper peccat mortaliter. Ergo etiam qui ſe exponit periculo ſentiendi motus inordinatos &c. 2. permittere motus libidinis eſt intrinſecè malum. Ergo nullo caſu licitum. 3. Permittere illos motus, & negatiuè ſe habere, eſt peccatum mortale, quando cauſa eos permittendi nulla ſubeſt extra genus luxuriæ. Ergo etiam mortale eſt, facere aliquid, vnde prouideas eos ſecuturos. Confirmatur. Si pollutio ex actionibus illis ſequens non eſt mortalis, neque mortalis erit, ſi ſequatur ex opere illicito in

in genere luxuriæ, sed leuis, cùm etiam hîc non intendatur.

Resp. Prædictas actiones non contrahere malitiam mortalem ratione motuum inordinatorum ac pollutionis, dummodo absit periculum consensûs formalis. Ita P. Sanch. *loc. cit. n* 16. Vasq. 1. 2. *D. 115. c. 3.* Suar. *Tom. 3. in 3. par q. 80. art. 7.* Less. *L. 4. de Virt. c. 3. n. 100.* Filliuc. *Tr. 30. c. 8 q. 6. n. 152.* Bonac. *de Matr. q. 4. p. 10 n. 9.* Arriag. *Tom 3. D. 46. n. 23.* & plures alij. Ratio est, quia etsi eiusmodi actio vitari per se debeat ob propriam malitiam, non tamen apparet, quam ob rem sub culpâ mortali vitanda sit propter eum effectum, ad quem non est Suâpte naturâ ordinata, sed merè per accidens propter maximã humanæ naturæ fragilitatem, & peculiarem subiecti conditionem disponit. Confirm. quia actiones istæ malæ extra genus luxuriæ semper adiunctum habent commodum temporale, quod facit, vt motus consequentes, & concomitantes contingant præter intentionem. Ergo non videtur homo talem actionem exercens consentire interpretatiuè saltem perfectè in eiusmodi motus.

Ad 1. in contrarium negamus conseq. quia propter summam naturæ imbecillitatem, & occasionum frequentiam, vt isti motus, & ipsa etiam pollutio sint peccata mortalia, requiritur perfectius voluntariũ, quàm qualecun-

que in causâ remotâ. *Ad* 2. Negamus anteced. alioqui ne ex causa quidem valdè vtili & honestâ id licitum foret. *Ad* 3. negamus iterum conseq. quia illud ob reprimendi facilitatem importat consensum interpretativum perfectum: hoc ob summam cavendi difficultatē non item. *Ad Confirm.* negamus suppositum, dari scilicet peccatum leue in genere luxuriæ, quia minima etiam delectatio Venerea tam vltrò insurgens, quàm directè quæsita est mortalis, si delectatio consensu acceptetur, vti vnanimiter tenent omnes Patres Societatis nostræ ex decreto R. P. Vincentij Caraffæ Anno 1647. edito, quidquid doctrinæ huic omnem omnino turpitudinem excludenti, ac morum sanctitati, ac Religionis puritati, honoriqúe quàm maximè consulenti reclamet Ioannes Caramuel *in Reg. S. Benedicti D. 69. n. 1052. & seqq.* cuius opinionem nonnulli etiam grauiùs censent apud Dian. *P. 7. Tr. 11. Resol. 28.* Vniversim igitur loquendo, quandocunque causa commotionis Venereæ ac pollutionis est suâpte naturâ turpis, tunc, per se loquendo, malitiam inde contrahit peccati mortalis peculiariter in Confessione explicandi.

V. *Anno nonagenarius senex rogatus, quâ ratione ad ætatem tam longam & adhuc vegetam peruenisset, ait, nunquam se vel famem vel ebrietatem expertum esse, sed quotidie bis semper moderatè*

derate comedisse, etiam postquam Officium Scribæ annum ætatis sexagesimum inchoans apud Principem deposuit, & solus vixit. Quæritur. Vtrum Anno non peccarit, nunquam ieiunando tam in officio Scribæ, quàm post hoc depositum annum sexagesimum inchoans?

Videtur peccâsse grauiter vtroque tempore, ieiunium omittendo. Ita Sylvest. Caiet. Gabriel & alij plerique Theologi. Tum quia officium Scribæ parùm est laboriosum; vnde Sancius *in Select. D.54. n. 16.* ait, vires magis, quàm laborem considerandas esse in Scriba, si à ieiunio eximatur. Tum quia senex tantùm excusatur ratione detrimenti, si quod patitur, vt docent omnes. Atqui Anno, vt supponimus, non patiebatur detrimentum, hoc ipsò quod adhuc robustus fuerit circa annum sexagesimum. Ergo &c. Tum quia nec in iure, nec in communi hominum iudicio habetur determinatum tempus cessantis præcepti de ieiunio, vt argumentatur Bardi *in Bulla Cruciat. P. 2. Tr. 3 c. 2. sect. 4. n. 37.* & ex ipsa opinionum diuersitate patet. Tum quia Religiosi, si circa annũ 60. vegeti sint, adhuc tenentur ad ieiunia Ordinis sui. Ergo etiam Sæculares eiusdem ætatis non eximuntur à ieiunio Ecclesiæ, si tunc adhuc robusti sint.

Resp. 1. Annonem probabiliter non peccasse omittendo ieiuniũ in officio scribæ vique ad annum ætatis sexagesimum. Ita Diana *P. 4.*

Tr. 4. *Tr.* 4. *Resol.* 131. secutus Ludouicum De San Iuan. Tum quia officium scribendi apud Principem constantes vires requirit, & facilè aliàs istiusmodi homines per ieiunium inidonei illi officio redduntur. Tum quia probabile est, quod docet Facundez *Præcepto* 4. *Ecclesiæ. l.* 1. *c.* 8. *n.* 15. *&* 16. ab Eugenio IV. Pontifice eximi â ieiunio omnes omnino opifices, etiam illis diebus, quibus non laborant. Ergo probabiliter etiam eximuntur, qui scribendo se alunt, cùm hoc officiũ difficilius sit multis opificijs. Resp. 2. Annonem itidem probabiliter nõ peccasse omittendo ieiunium, cùm abdicato officio Scribæ annum ætatis ingrederetur sexagesimum viribus adhuc robustus. Ita Thomas Sanchez *Tom* 2. *Consil. Mor. L.* 5. *c.* 1. *Dub.* 4. *n.* 7. & alij, quos citat, & sequitur Diana *P.* 1. *Tr.* 9. *Resol.* 20. Tum quia sicut pueri non tenentur ante 21. completum, licet robusti, ita neque senes mares post 60. inchoatum (eò quod iste annus inchoatus in favorabilibus habeatur pro completo, vt colligitur *ex L. quâ ætate ff. de Testam.*) & fœminæ post 50. vt volunt nonnulli apud Dian. *P.* 9. *Tr.* 7. *Resol.* 73. Nam sicut decuit ponere terminum inceptionis ad tollendos scrupulos, ita etiam ob eandem causam expedit ponere terminum desitionis.

Ad 1. *in contrarium* negamus officium scribæ non esse sufficienter laboriosum ad excusandum

sandum à Ieiunio. Ad 2. negamus minorem; patiebatur enim Anno detrimentum hoc ipso, quod robur in ista ætate incipiat esse illusiuum, & desinat esse verum. Ad 3. dicimus, determinatum tempus desinentis jeiunij rationabiliter desumi ex lege tempus jeiunij incipientis determinante, cùm pro vtroq; eadem stet causa. Ad 4. negamus antecedens. Nam eodem modo discurrendum siue obligatio ad jeiunium proueniat ex præcepto, siue ex Religione, siue ex voto, modò hoc votum non sit editum à fœmina post annum ætatis 50: & à viro post annum sexagesimum, vt ex Sanchez *l.* 4. *Moral. c.* 11. bene aduertit Diana *p* 9. *loc. cit.*

VI. *Anthero Viro nobili iniungitur pœnitentia à Confessario admodum grauis, quam ille acceptat quidem, vtpote haud irrationabilem, non tamen exsoluit ob difficultatem illius; quod audiens alius Confessarius, simulque statum vitæ præteritæ haud obscurè ex præsenti Confessione conijciens eam pœnitentiam mutat, minuitque absq; prioris Confessionis repetitione. Quæritur. Rectenè fecerit secundus Confessarius?*

Videtur malè fecisse. Ita nonnulli apud Dianam *p* 2. *Tr.* 15. *Resol.* 53. qui absolutè putant, pœnitentiam rationabilem mutari non posse. Tum quia sententia à supremo Iudice, qualis est absolutio Sacramentalis nomine Christi à Sacerdote facta, est irreuocabilis. Tum quia hæc commutatio non potest fieri

extra Sacramentum, vt omnes concedunt: nec intra, quia pœnitentia in hoc posteriore Sacramento iniuncta non potest integrare Sacramentum illud prius. His Authoribus subscribunt eoùsque Suarez *in 3. p. Tom 4. D. 38. sect. 10. n. 4.* Coninck, Layman, Bonac. Palao *Tr. 23. D vnic. pun. 31. n. 13.* Lugo *de pœnit. D 25. pun. 1.* & alij, vt putent, pœnitentiam mutari non posse ab alio Confessario absque repetitione prioris Confessionis, quia actus iudicialis fieri debet, cognitâ causâ, circa quam versatur.

Resp. 1. Ex iusta causa potuisse secundum Confessarium mutare & minuere Anthero pœnitentiam à priore Confessario impositam. Ita docent Valent. Suarez, Vasquez. Henriquez. Coninck. Layman & plerique alij apud Bonac. *D. 5. de pœnit. q. 5. sect. 3. pu. 3. n. 1.* Ratio fundamentalis est, quia ex benignitate Christi Sacramentum hoc ita videtur institutum, vt de peccatis iam iudicatis & absolutis iterum iudicari & absolui pœnitens possit, adeóq; noua pœnitentia imponi, sublatâ priore: vel potius dari possit electio pœnitenti, positâ alterâ pœnitentiâ, vt, quam malit, ex duabus eligere valeat, non mutando vel tollendo priorem pœnitentiam.

Vnde infertur 1. Quemcunque Confessarium etiam inferiorem mutare aut minuere posse pœnitentiam ab altero impositam Reginald.

ginald. in praxi *Tom. 1. L. 7. n. 78.* quia potestas iudicandi causam ab alio iudicatam cui, libet Confessario convenit, & in hoc omnes sunt æquales, vt proinde posterior sententiam prioris non revocet, sed etiam causam iterum iudicet, & pœnitentem ab ea absoluat, relictâ optione, vt, quam maluerit, satisfactionem eligat. *Infertur* 2. Eundem posse mutare vel minuere pœnitentiam non tantùm vindicatiuam, sed etiam præseruatiuam & medicinalem, modò hæc non sit simpliciter & vnicè necessaria, sed etiam vtilis ad vitanda peccata. Dicastillo *de Sacram. Pœnit D. 14. n. 144.* quia hoc probat ratio suprà allata. *Infertur* 3. Posse quoque Confessarium inferiorem mutare pœnitentiam pro peccatis reseruatis impositam. Bonac. *loc. cit. n. 6.* Sà *V. Satisfactio n. 5.* alij. Quia peccata semel ritè clauibus subiecta desinunt esse reseruata, vt proinde circa illa omnes Confessarij æqualem habeant potestatem; neque hinc finis reseruationis infringitur, siquidem peccata non reseruantur, vt pœnitens necessariò sequatur iudicium Superioris de pœnitentia iniuncta, quin possit adire alium: sed vt se sistat Superioris iudicio pro absolutione impetranda, ab eoque monita salutis accipiat.

Resp, 2. Confessarium secundum posse mutare vel minuere pœnitentiam à primo impositam absque repetitione prioris Con-

fessionis. Ita sentiunt Navarr. *in Man. c.* 26. *n.* 22. Tolet. *L.* 3. *c.* 11. *n.* 5. Sa *V. Satisfactio n.* 5. Rodriquez. *in summa* T 1. *c.* 56. *n* 8. Bela *p.* 1. *c.* 15. & alij, quos citat & sequitur Diana *resol.* 53 *cit.* Ratio est. Tum quia secundus Confessarius iuxta præsentem dispositionem potest de tota simul causa pœnitentis iudicare, prout ipsi magis expedire censuerit. Tum quia ex altera confessione sufficienter arbitrari potest statum vitæ præteritæ. Tum quia communis praxis Confessariorum hoc habet, quam Lugo *n.* 109. Layman *l.* 5. *Tr.* 6. *c.* 15. *in fin.* & alij improbare non audent, sed ex ea responsionem hanc practicè tutam esse affirmant.

Resp. 3. Secundum Confessarium in casu nostro rectè fecisse mutando minuendoque pœnitentiam Anthero à priore Confessario impositam. Sequitur hæc responsio ex duabus prioribus, eamque apertè tradit Facundez *de Præc. Eccles. Tr.* 2. *l.* 9. *c.* 4. Nam potuit hoc facere ex iusta causa. Ergo cùm hæc subesse ponatur vel ob solam difficultatem exequendi priorem, rectè fecit, quod in bonum animæ eam mutauerit ac minuerit.

Ad 1. *in contrarium* concedimus, sententiam à supremo Iudice datam reuocari nō posse; attamen, illâ persistente, potest alia similis ferri in eadem causa, quâ positâ optio pœnitenti relinquitur, eligendi ex illis duabus, quam

quam maluerit. *Ad 2.* Dicimus, ex communiore & probabiliore Sententia Authorum apud Palao *lo. cit. n.* 91. comutationem hanc fieri oportere in Sacramento Pœnitentiæ, sufficienterque subrogari posse pœnitentiam alteram in locum prioris, tametsi illius prioris Sacramenti pars integralis non sit; satis quippe est, quod sit pars integralis Sacramenti denuò suscepti; quamuis contraria etiam sententia improbabilitatis non arguenda videatur, quæ putat, comutationem hanc extrà Sacramentum fieri posse, & docetur à non paucis Authoribus apud Palao *lo. cit. n.* 9. & Dian. *lo. cit.* item *P.* 9. *Tr.* 9 *Resol.* 54. §. *Nota etiam Leandrum.*

Ad argumentum Suarezij & aliorum, quod commutatio necessariò fieri debeat in Sacramento pœnitentiæ, satis patet ex dictis; nam sufficienter cognoscitur præteritæ vitæ status ex præsenti; Vnde etiam contrarij Authores aiunt, repetitionem prioris confessionis compendiosè tantùm faciendam, scilicet quia status pœnitentis ex hac posteriore satis conijci potest.

VII. *Apelles pictor Catholicus vt ceptā imaginem perficeret, toto tempore antemeridiano diei festi pinxit, nec Sacrum audiuit, cùm nulla huius vrgeret necessitas. Postea in Confessionali huius se accusans dixit, se die festo neglexisse Sacrum. Quæritur. Vtrum satis se explicauerit?*

Videtur non ſatisfacere. Ita Valent. *Tom.2. D. 6 q 1 pun.* 4. Salas & alij. Nam præter omiſſionem explicanda etiam eſt commiſſio ſiue pictura, quæ peccaminoſa eſt, tum quod ſit cauſa neglecti Sacri, tum quod violet feſtum, vtpote Mechanica.

Reſp. Apellem ſufficienter ſe in confeſſione explicare. Ita plerique Theologi, vt mox patebit. Ratio eſt, quia pictura ſeu pictio in hoc caſu nullam habet malitiam ſpecialiter explicandam in confeſſione. Nam prout eſt cauſa omiſſi Sacri, non conſtituit peccatum mortale commiſſionis, ſed omiſſionis, vt docent Cardin. de Lugo *Tom. de Pœnit. D 16. ſect.* 11. Vaſquez, Becanus, & alij communiter; quia Apelles omittens Sacrum, vt poſſit pingere, vnum tantùm committit peccatũ mortale, cum vniuerſim cauſa in ſe non mala, ſed talis tantùm ab effectu ſecuto, vnicum conſtituat peccatum cum eo, vtpote à quo ſolo denominatur mala. Ergo pictura non eſt peccatum mortale, niſi omiſſionis. Prob. conſequentia. Quia pictura nulli graui præcepto negatiuo opponitur, ſed affirmatiuo audiendi Sacrum. Ergo pingere non poteſt eſſe peccatum mortale commiſſionis. Adhæc pingere non eſt opus Mechanicum, ac ſeruile, neque prohibitum die feſto, per ſe loquendo, v poſt Medinam, Lopez, Sà, & alios tradit Layman *L. 4. Tr. 7. c. 2. n. 3.* Tum quia

pictio

pictio perinde ac scriptio in ducendis lineis ac figuris consistit. Tum quia non minùs pictores in pingendo, quàm studiosi litterarum in studendo animi voluptate capiuntur, ac detinentur, quod signum est, artem pingendi liberalem esse. Cùm ergo pictura seu pictio in præsenti totam malitiam habeat ab omissione Sacri, satisfacit Apelles, si solã hanc in confessione exponat, nec opus est dicere, pinxi, & ideo non audiui Sacrum

Atque ex his patet ad rationes in contrarium allatas; tametsi enim pictura materialiter sit actus commissionis: formaliter tamen non est malus, nisi propter omissionem actûs debiti, vt benenotat Becanus *in primam secundæ Tr. 2 c. 3. q. 4. num. 6.*

VIII. *Artingus in articulo mortis famulo suo homini laico & prudenti sub sigillo confessionis crimen olim à se commissum detegens, cape, inquit, hos 100 florenos, qui sunt de bonis à me malè partis, & quamprimùm exspirauero, restitue eos Artisio. At famulus iste à morte Domini sui cupit priùs de hac restitutione conferre cum alijs viris bonis; cùm autẽ istud non possit aliter facere, quàm manifestando Domini sui defectum, timet violationem sigilli. Quæritur. Vtrum famulus iste sigillo aliquo obligetur, aut saluo isto conferre cum viro aliquo bono possit de re sibi credita?*

Videtur obligari sigillo confessionis. Ita Adrianus *in 4. quæst. vnica.* & Nauarrus *in Enchiridio*

chiridio c.8. n.7. & nonnulli. Ratio est. Tum quia famulus, tametsi nec ex confessione, nec per istam peccatum domini sui resciat, aliquo tamen modo participat vsum clauis scientiæ, quatenus ex intentione instar Sacerdotis assumitur ad conscientiam purgandam. Tum quia prædictus famulus, si ante confessionem à domino suo fuisset interrogatus circa modũ restitutionis, idemque, quod modò, acceptà pecuniâ facere iussus in ordine ad confessionem ritè instituendam, teneretur sigillo confessionis, vt cum Facundez & alijs docet Diana *P.5. Tr.* 11. *Resol.* 44. Ergo etiam iam tenetur, cùm nõ absque respectu ad confessionem à Domino peccatum ei aperiatur, & restitutio mandetur. Tum quia aliàs redditur odiosum Sacramentum pœnitentiæ, si, quod sub sigillo confessionis alteri detegitur, non sub eodem reticeatur. Tum quia, esto famulus non obligaretur ad sigillum ratione confessionis, tamen vi promissionis ad idem sigillum teneretur, vt docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *n.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2.

Resp. Famulum non obligari ad reticendum peccatum Artingi Domini sui sub sigillo confessionis, sed ex lege secreti naturalis. Ita Suarez *To.* 4. *in* 3. *part. Disp.* 33. *sect.* 2. *n.* 1. Valentia, Vasquez, Tanner, Lugo, Dedicastillo *de Pœnit. Tr.* 8. *D.* 12. *n.* 31. & plerique alij. Ratio est. Quia vbi non est Sacramentalis

talis confessio, quam pœnitens facit Sacerdoti in ordine saltem ad consequendam quoque sacramentalem absolutionem, ibi non est sigillum confessionis. Atqui in nostro casu nõ est talis sacramentalis confessio. Ergo nec sigillum. Mai. ex eo probatur, quod iuxta communem TT. obligatio sigilli sit effectus confessionis sacramentalis; quod autem non est, non causat, & (vt loquuntur Iuristæ) quod iure non subsistit, nullum præstat effectum. Min. hinc constat, quòd Artingus sciat, famulum suum esse laicum, cui idcirco vtique sacramentaliter confiteri non cupit; certè intentio confitendi ex nulla circumstantia casûs cõijci potest. Quod si tamen ex hypothesi putaret, laicũ etiam vt talé absoluere posse, eiq; confiteri intenderet, adhuc laicum non teneri sigillo confessionis, volunt Doctores communiter, teste Dicastillo *n.* 30. quia cùm erret ex ignorantia juris, non apprehendit veram absolutionem sacramentalem, qualem Christus instituit, sed laicam, quam Christus non instituit. His opponunt se Gaspar Hurta. D. 12. *de pœn. diff.* 3. & nonnulli. Mouentur, quia aliàs odiosa fieri posset confessio, si pœnitentes scirent, sua peccata licitè evulgari posse, si ipsi aliquid juris ignorarent, & fortè absolutionem à Christo non institutam apprehenderent; quotus enim quisque est pœnitentium, qui sciat omnia iura pertinentia ad

abso-

absolutionem à Christo institutam? Verùm contra istos adhuc stat resolutionis nostræ ratio; propter defectum scil. confessionis sacramentalis saltem apprehensæ non adesse eiusdem effectum; vnde etiam rationabiliter confessio odiosa reddi nequit, cùm ex illo nihil detegatur.

Ad 1. in contrarium negamus famulum participare vllum vsum clauis scientiæ, cùm confessio nulla intercesserit. *Ad 2.* negamus ob causam recèns indicatam, ex qua ipsa etiam vrgent Suarez, *sect. 2. cit. num 4.* Henriquez & alij. *Ad 3.* negamus, inde odium confessionis rationabiliter prouenire, cùm facilè cuiq; constet, nullam hîc extitisse confessionem sacramentalem. *Ad 4.* itidem negamus, vi saltem promissionis oriri obligationem sigilli confessionis, cùm absque ratione hoc asseratur, vt notant Theologi communiter.

IX. *Arialdus in casum cum graui censura Papæ reseruatum incidit, nec tamen ante paschalem communionem (cui absque infamia subducere se nequit) sive Pontificem sive Episcopum adire potest. Confert igitur se ad Parochũ suum, & absolutionem ab eo flagitat. Quæritur. Vtrum Parochus absoluere Arialdum possit?*

Videtur non posse? Ita P. Vasquez T. 3. *in 3. Part. Q. 91. art. 3. dub. 8. n. 4. & dub. 9. n. 23.* quem præter alios sequitur Diana P. 9. Tr. 7. *Res. 10.* Mouentur. Tum quia Tridentinum

sess.

sess. 14. *c* 7. *de Refor.* ait, sacerdotem extra articulum mortis nihil posse in casibus reseruatis. Tum quia *in decreto Clementis VIII.* idem expressè statuitur. Tum quia in casibus Episcopo reseruatis nihil potest Sacerdos inferior, vt teste Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *part.* D. 30. *sect.* 3 communiter sentiunt DD. Ergo etiam nihil potest in casibus Pontifici reseruatis.

Resp. Parochum posse absoluere Atrialdum. Ita post Canum, Domin. Sotum, Ledesmam, Tanner *Tom.* 4. *Disp.* 6 *Q.* 10 *dub.* 6. *n.* 112. Wiggers de Sacram. *Q.* 21. *de Excom. dub.* 4. *n.* 48. Palao *Tr.* 33. *Disp. vnic. pun.* 4. §. 4. *n.* 3. & alij. Ratio est. Quia reseruatio ad charitatis & animarum bonum introducta non debet in horum cedere malum; est quippe data hæc reseruandi potestas in ædificationem, & non non in destructionem 2 *Cor.* 13 *v.* 10. Atqui cederet in graue charitatis & animarum malum, si in talibus circumstantijs non possent, Parochi à reseruatis absoluere Ergo credibile non est, eam potestatem à Pontifice denegatam fuisse Parochis.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, Tridentinum intelligendum esse *per se*: secus si à iure, vel ex priuilegio concedatur; quemadmodum Suarez *lo. cit. n.* 8. existimat, concessum esse nõ solũ Episcopis, sed etiã inferiorib. Sacerdotibus, quoties Papa adire non potest, & vrget tempus communicandi, *ex tex in c. Nuper de sent. Excom.*

com. vbi habetur: *à suo absoluatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Ex quo Glossa infert. *Ergo simplex sacerdos absoluere potest.* Atque hinc patet etiam *ad 2.* siquidem decretum Clementis eodem modo, quo Tridentinũ, est intelligendum. Ad 3. negamus, in feriorem graui aliquâ causâ vrgente non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis idque ob rationem in responsione adductam, vt etiam sentiunt citati DD. & plures alij, quos allegat Diana *loc. cit. Res.* 11. Addimus in tali casu Parochum esse quoque Iudicem, eiusque absolutionem esse directam, licet interpretatiuam & onerosam, obligatione comparendi penes pœnitentem remanente, aliàs enim nulla iurisdictio ob necessitatem inferiori sacerdoti communicaretur, vt bene Palao *loc. cit.* contra nonnullos.

X. *Aripertus à Bruto deprehensus in flagranti scelere capitali, & statim ad Iudicem delatus advertit accusatorem in probatione succumbere, haeret tamen & scire cupit, an negare possit, se scelus admisisse: & si negaverit, atque inde infamia columniæ accusatori aspergatur, an & quomodò amissam famam Bruto restituere debeat? Quaritur. Quid ipsi dicendum?*

Videtur Aripertum crimen negare non posse. Ita Richard. 4. *Dist.* 15. *art.* 5. *q.* 3. Quia aliàs mentiretur, quod nunquam est licitum.

Resp. 1. Aripertum negare posse, crimen se

se perpetrasse, quod tamẽ crimen reipsâ perpetrauit. Ita Sotus *lib. 4. de Iustit. D. 43. n. 4.* & alij. Tum quia per iniuriam de eo crimine accusatur; certum enim est apud omnes TT. eum peccare, qui contra iuris ordinem de crimine occulto quemlibet accusat, & publicè infamat, adeoque etiam iniuriam inferre. Tum quia non mentitur, etiamsi neget, se crimen commisisse, addito etiam iuramento, subintelligens, vt fateri teneatur, ac proinde nec peccat. Nam responsio datur convenienter interroganti; Iudex autem eo casu quærere solùm existimandus est, an videlicet commiserit crimen, ad quod confitendum sit obligatus. Quodsi Iudex alio etiam casu intendat, quo ipsi permissum non est, adeoque quærere velit contra iuris ordinem, tali Iudici non legitimè interroganti responderi non debet, sed amphibologiâ eludi potest, dicendo, non commisi crimen, quod scilicet tibi dicere tenear.

Resp. 2. Si Bruto accusatori inde infamia aspergatur, quod Aripertus accusatus crimen negauerit, non est iste obligatus ad aliquam illi famæ restitutionem faciendam. Ita ex communi Layman *L. 3. Tr. 6. c. 4. n. 4.* Nam quisque ius habet defendendi famã suã contra iniustũ infamatorem: & si aliter non possit eam conseruare, quàm infamatorem infamando, iusta erit infamatio, si fiat cum mo

deramine inculpatæ defensionis. Brutus autem iniustè infamauit Aripertum peccatorem occultum ad Iudicem deferendo: & iste infamatus non potest aliter suam famam defendere, quàm negando, crimen se commisisse, cuius accusatur. Ergo si exinde infamia irrogetur accusatori, sibi ipsi imputet. Confirmatur *ex regul. 55. ff. nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur.* quâ regulâ vnicè nititur responsio data, eiusque sensum explanat. *Dixi cum moderamine inculpatæ tutelæ*; nam si alia ratione æquè commodâ possit Aripertus honorem suum defendere v. g. postulando, vt Brutus probet, quæ asserit, atque insuper excusando eundem de mendacio & calumnia, videlicet aliquo errore deceptum ad accusandum processisse, talem rationem ex lege charitatis inire debebit, vt bene ex Molina & aliis notat cit. Author. Atque sic etiam patet ad rationem oppositam.

XI. *Armogastes ex prænobili Familia in minoribus adhuc constitutus beneficium habet, ex quo vltra 25. aureos pro annuis reditibus non accipit; vnde negligit horas canonicas, quasi ex illorum tenuitate ad has non teneretur. Quæritur. An ex tenuitate talis beneficij liber sit ab onere horarum canonicarum?*

Videtur, quod non. Ita post Sylvest. Nauar. Beiam, Barbosam, Bonac. & plures alios Palao *Tr. 7. D. 2. pu. 1. §. 2. n. 9.* Tum quia libe-

rè acceptans beneficium eoipso etiam onus illi annexum acceptat. Tum quia absolutè jura loquntur, beneficium dari propter officium. Tum quia beneficium habens 25. aureos pro annuis reditibus non est tenue.

Resp. Armogasten ex his beneficij reditibus nõ obligari ad horas can: dicendas, adeóque excusari tam à peccato, quàm onere restitutionis. Ita Sotus *L* 10. *de just. q.* 5. *Art.* 3. Vega, Ledesma, Lessius *L.* 2. *de just. c.*34. *Dubit.*31. *n.* 169. & alij docti RR. Quamuis autem aliqui ex adductis Authoribus octo solùm, decem, aut quindecim aureos assignent, à nobis tamen non dissentiunt; siquidem illorum tempore ad bonam honestamque Clerici talis sustentationem decem aut quindecim aurei plus facere potuêre, quàm modò viginti quinque valeant, vt ipsemet fatetur Palao *lo. cit. n.*8. Ratio igitur nostri responsi est. Quia qui *altari seruit, de altari viuere debet.* 1. *Cor.* 4. Ergo qui de altari ob tenuitatem redituum viuere non potest, vt contingit in proposito, non tenetur seruire altari, dicendo preces canonicas. Confirmatur. Qui habet plura, eaque pinguia & ampla beneficia, non nisi semel in die officium recitare tenetur, vt habet communis contra Binsfeldium apud Dian. *P.*9. *Tr.* 9. *Resol.* 10. Cur quæso ad idem onus obligetur, qui tenues solùm reditus habet?

Ad 1. *in contrarium* dicimus, Beneficiarios

acceptando beneficium obligare se ad horas can: sub hac semper tacitâ conditione, si fructus ex ea tantos percipiant, vt ex bona saltem parte honestè viuere pro statu suo queant, id quod in præsenti non contingit. *Ad* 2. Beneficium tenue reputari in jure pro non beneficio, vt colligitur *ex C. is cui. de præb. in 6. Ad* 3. Reditus 25. aureorũ iudicio prudentis hoc tempore tenues reputari, cum teste Suarez *Tom.* 2. *de Relig. L.*4. *C.*21. *n.* 2. bonam seu tertiam partem Clericalis sustentationis non attingant; infra quam partem plerique Authores cũ Maldero *de Virtut. Tr.* 10. *c.*2. *dub* 3. omnes reditus agnoscunt, & vocant *tenues.* Obligationi autem quali quali pro hac tenui parte alijs modis & orationibus satisfieri potest, quàm officio diuino aliquoties saltem recitato, vt proinde ad hoc nulla sit obligatio, sicut benè aduertit Malderus contra Lessium & alios lo: cit.

XII. *Attalas vir nobilis & honoris supra modum cupidus in vltimo morbo paucis ante mortem diebus cùm visitaretur à Parocho suo, facit mentionem loci sepulturæ suæ, petítque ab eo honoratiorem præ alijs, pro quo spondet* 30. *aureos statim soluendos, si hoc pacto concedere velit. Consentit Parochus, accipit pecuniam, & mortuum Attilam ex pacto sepelit intra templum, ad latus dextrum, prope summum altare. Quæritur. Vtrũ hîc non fuerit commissa Simonia?*

Videtur, commissam esse. Ita Suarez *de Relig.*

lig. Tom. 1. Tr. 3. L. 4. c. 14. n. 22. Malderus *in 2. 2. Tr. 9. c. 3. dub. 9.* Filliuc. *Tom 3. Tr. 45. c. 3. n. 26.* & alij. Mouentur. Tum quia tota res pretij est loci Sanctitas, vel respectus ad maiorem Sanctitatem. Tum quia si ob honorē humanum emeretur ab aliquo dignitas Ecclesiastica, vtique committeretur Simonia. Ergo etiam in proposito; cùm in vtroque casu id, quod venditur, sanctum sit, & honor ille annectatur spirituali.

Resp. In proposito casu nullam commissam esse Simoniam. Ita Emanuel Sà *V. Simonia n.* 2. Becan. *de Simon. q. 4. n.* 1. Bonac. *Tom. 1. D. 1. de Sim. Q. 4. pun. 6. n.* 1. Barbos. *Part. 3. de offic. & potest Parochi c. 26. n. 16.* Vbi plures alios refert. Ratio est. Tum quia locus est honoratior ob rationem & respectum merè temporalem v. g. quod ad dextrum, quod in loco conspicuo, quod iuxta illustres &c. Ergo tunc non emitur res sacra, sed honor quidam humanus, qui in ciuili aliqua æstimatione & excellentia positus est. Tum quia emens locum honoratiorem, in quo sedeat, non committit Simoniam, vt docet ipse Suarez *c.* 28. *n.* 23. Ergo nec emens locum honoratiorem, in quo sepultus iaceat, vt bene arguit Bonac. *n.* 4. Tum quia talis locus non est necessarius ad sepeliendum. Ergo nec sepultura, nec sacrum venditur.

Ad 1. In contrarium patet ex dictis, illam

ſcilicet dignitatem non ſumi à reſpectu ſpirituali v. g. quod intra templum, prope altare &c. ſed ab aliqua humana & civili æſtimatione; imò Palao *Tr. 17. D. 3. de Simon. p. 8 in fin.* putat, etiam priore reſpectu accipi poſſe pretium, non quidem rigoroſum, & datum in commutationem illius exceſſûs & dignitatis, ſed latè acceptum, & datum in ſuſtentationé miniſtrorum, ſicuti qui pro Miſſa maiori plus exigeret. *Ad 2.* Negamus conſequentiam; nam in Beneficijs Eccleſiaſticis omnis vera pactio ſpecialiter prohibita eſt *C. vlt. de pactis*, quod non in ſepultura & alijs contingit.

XIII. *Auxibius Lanio catholicus frequenter diebus ieiunij tam extra, quàm intra Quadrageſimam pro cibis familiæ ſuæ condiendis adhibet pinguedinem ex lardo, & adipe, cùm tamen opulentus ſit; quod aduertentes famuli deferunt ad Confeſſarium, & ſcire cupiunt, num ex cibis talibus comedere poſſint. Quæritur 1. Vtrum Auxibius peccet mortaliter adhibendo talem pinguedinem? 2. Quid Confeſſarius dicat, famulis faciendum eſſe?*

Videtur Auxibius peccare mortaliter. Ita præter alios Layman *L. 4. Tr 8. c. 1. n 5.* Tum quia eodem præcepto prohibetur hæc pinguedo diebus ieiunij, quo caro. Tum quia conſuetudo eſt recepta, & communiter homines reputant mortale, adhibere pinguedinem ex lardo

lardo & adipe diebus ieiunij; vnde & famulis ab hisce cibis abstinendum, cùm æquè hos, ac ipsum Dominum obliget commune Ecclesiæ præceptum.

Resp. 1. Auxibium, si absit scandalum graue, erronea conscientia &c. probabiliter non peccare mortaliter, adhibendo talem pinguedinem diebus ieiunij. Ita Glossa *in C. Presbyter*, Hostiensis, Abbas, & alij, quos nouissimè sequi videtur Facundez *præcepto 4. Ecclesiæ. l. 1. c. 2. n. 20.* Ratio est, quia pinguedo, cum iuxta Aristotelem non sit caro, etiam non computatur inter carnes, sed inter oua & lacticinia, quibus vtrisque in loco, vbi habitat Auxibius, vesci licet diebus ieiuniorum; quidquid sit de nonnullis alijs locis, in quibus lacticinia, non tamen oua permissa sunt.

Resp. 2. Confessarium posse permittere famulis esum ciborum tali pinguedine conditorum, & omnem eis scrupulum eximere debere, quod etiam in sua sententia fieri vult Layman *lo. cit.* addens etiam cum Dominis & quidem ditioribus dissimulandum, si non possint commodè abduci; quæ certè parùm cohærenter docet cum adductis fundamentis suæ doctrinæ.

Ad 1. in contrarium negamus, eodem præcepto prohiberi carnè & pinguedinem, cùm hæc, vt diximus, inter oua & lacticinia computetur, à quibus abstinendi minorem esse obli-

obligationem, vel hinc patet, quod habens dispensationem ad comedendas carnes, non teneatur ieiunare: sicut tamen habens dispensatione m ad comedenda oua & lacticinia adhuc ad ieiunium tenetur. *Ad 2.* dicimus, hanc consuetudinem non introductam esse absolutè & liberè animo se obligandi, sed initio ex deuotione mera: postea verò ex errore creditum, adesse obligationem; quod autem ex errore vim legis habere putatur, eandem non habet, etsi omnes illud obseruent, idque defectu voluntarij, quod per errorem intervenientem tollitur, vt optimè Facundez *loco cit. num.* 14.

XIV. *Bechtoldus emit torquē aureū à Rechario, quem iste ait se hæreditate à Maioribus suis accepisse, & graui necessitati, quâ iam premitur, levandæ hactenus reservasse. Sed post aliquod tempus deceptū se cōperit, & torquē illū noto cuidā Domino furtim sublatum esse agnoscit, cui tamen restituere nequit absque probabili periculo pretij, quod expenderat, perdendi. Adit ergo Recharium, & rescisso contractu, redditoque torque pretium suum repetit, recipítq; haud ignarus, hunc statim se subductum, nec furtum domino restituturum. Quæritur. Vtrum Bechtoldus facere hoc licitè potuerit?*

Videtur non potuisse, sed torquem Domino suo, non furi reddere debuisse. Ita Caietan. Covarr. Medina, Molina *de Iustit. Tom* 3. *Disp.* 722. & alij apud Dianam. *P.* 1. *Tr.* 8. *Res.* 69.

69. Mouentur. 1. Quia qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur iniquæ ipsius detentioni. 2. Quia melior status, quem res acquirit, pertinet ad dominum, à quo statu citra iniuriã extrahi, & in deteriorem (qualis in proposito est apud Recharium furem) reponi nequit. 3. Quia dominus, si cõperit rem suam esse apud alium, potest iure hanc repetere ab illo. Ergo iste tenetur ad eam domino non furi restituendam. 4. Quia in foro externo obligatur emptor rem domino, non furi restituere. Ergo idem tenetur facere in foro interno. 5. Quia si Bechtoldus sciuisset, torquem esse furtiuum, adeóque malâ fide emisset, teneretur eum statim Domino restituere, non furi. Ergo ad hoc ipsum obligatur, etsi bonâ fide processerit, cũ saltem iam sciat, illum esse alienum.

Resp. Probabilius esse, Bechtoldum, vt suæ consuleret indemnitati, licitè contractum rescindere, & torquem aureum Rechario furi reddere potuisse. Ita Vasquez. *opusc. de Restitut. c. 9. §, 2. d. 3. n. 13.* Less. *L. 2. de Iust. c. 14. dubit. 3.* Dicastillo *L. 2. de Iust. Tr. D. 5. n. 95.* Cardin. de Lugo *de Iust. D. 17. n. 29.* & plures apud hos relati. Prob. 1. Quia Bechtoldus nullã iniuriam fecit domino, hunc torquem emendo, & apud se detinendo, cum bonâ fide emerit. Ergo non potest dominus meritò ægrè ferre tanquam iniuriâ affectus, si illum reponat in eum statum, in quo ante erat, ne

pretium amittat suum; siquidem nemo ex charitate aut iustitia tenetur alieno commodo magis, quàm suo prospicere. Prob. 2. Quia hic contractus fuit omnino involuntarius, vtpote ex errore factus. Ergo potest Bechtoldus eũ rescindere. Ergo & torquem acceptum restituere, & pretium recuperare. Prob. 3. Si quis rem inuentam in plateis assumeret, & postea resciret, eam sibi fore noxiam, posset reponere eodem loco, vt suæ consuleret indemnitati, nec teneretur illam suo damno seruare, vt domino suo restitueretur. Ergo etiam possessor bonæ fidei ad recuperandum pretium poterit rem furtiuam relinquere furi; est enim vtrobique paritas, vt bene Lessius, Dicastillo, alij.

Ad 1. in contrarium negamus, Bechtoldum cooperari iniquæ detentioni, quia vtitur tantùm iure suo ad se seruandum indemnem, relinquens reliquum conscientiæ Recharij furis. *Ad 2.* Quamuis Bechtoldus non possit torquem aureum alienum positiuè eijcere è statu meliore, quem apud se habet; potest tamen permissiuè se habere, non conseruando positiuè bonum illius statum cum tanto suo damno, vt bene Lugo *num.* 30. *Ad 3.* concesso antecedente, negamus consequentiam, quia rem alienam bonâ fide possidens non tenetur eam cum tanto dispendio reducere ad dominum; licet aliàs iste eam, vbicunque fuerit,

fuerit, sibi vendicare possit: ille autem de nouo distrahere eandem nequeat. *Ad 4.* iterum negamus consequentiam. Nam ad multa compelli potest ciuis ob bonũ & pacem communem, ad quæ ante talem compulsionem non tenetur, vt rectè Dicastillo *n. 109.* Expedit autem Reipublicæ, vt Iudices rem emptam intelligentes furtiuam dominum huius non per ambages ducant, sed compendiariâ vsi huic illam statim adiudicent: emptori interim pro recuperando pretio actionem in furem relinquant. *Ad 5.* Antecedens negare Sylueſtrum, Halensem, & præter alios Lugorem *n. 37.* Sed esto, vt concedunt illud Vasq. Turrian. Lessius, alij apud Dicastillo *loco cit. n. 113.* Negamus consequentiam, quia tunc teneretur ratione iniustæ acceptionis, hocipso quod emisset malâ fide rem alienam animo retinendi velut suam, inuito domino. Ergo quod postmodum non possit consulere propriæ indemnitati, sicuti potuisset, si bonâ fide processisset, sibi suæque malitiæ imputet.

XV. *Bertrandus mirè afficitur erga S. Thomam Aquinatem ex insignibus huius S. Doctoris libris, quos assiduò voluit; & quia plures eximiâ pietate & doctrinâ viros in eodem sacro Ordine S. Dominici aduertit, ipse quoque desiderio huius inardescit, adeò vt voto se obstringat, nullum alium Religiosum Ordinem, præterquam S. Dominici, se ingressurum. Quæritur. Vtrum hoc votum valeat?*

Videtur

Videtur valere. Ita post Paludanum, D. Antoninum, Syluestrum & alios Thomas Sanchez *in Decal. l. 4. c. 8. n. 47.* Tum quia istud votum est conditionatum obligans ad rem perfectam, ingressum scilicet Religionis. Tum quia consultius est cuilibet, obligari, quàm omnino liberari. Sed ex voto illo obligatur vouens saltem ex conditione. Ergo &c. Tum quia Scholastici Societatis Iesu, dum præter simplicia vota promittunt, se Societatem ingressuros, obligant se, non alium se nisi hunc Ordinem recepturos. Tum quia valida sunt hæc vota ex omnium sententia: *Promitto me horas Canonicas non nisi deuotè recitaturum: non nisi pio affectu eleemosynam daturum: non nisi pauperem puellam in vxorem ducturum &c.* Ergo etiam ista valebunt: *Promitto me non nisi flexis genibus horas Canonicas dicturum: non nisi huic mendicabulo eleemosynam daturum: non nisi hunc sacrum Ordinem ingressurum &c.*

Rdsp. Votum prædictum Bertrandi non valere. Ita P. Ferdinandus Palao *Tr. 15. D. 1. pun. 8. §. 5. n. 16.* Probatur hâc fundamentali ratione. Votum de materia inseparabiliter apta simul & inepta non est validum. Atqui votum Bertrandi est tale. Ergo &c. Prob: Min. Materia apta est ingressus in sacram Religionem S. Dominici: inepta est non-ingressus aliarum sacrarum Familiarum, quarum

rum vtraque inseparabiliter in voto includitur. Ergo &c. Prob. antec. Votum Bertrandi habet hunc sensum: *Si aliquam ingrediar Religionem, promitto, me hanc S. Dominici ingressurum*, iuxta quem tacitè & indirectè promittit materiam voto ineptam, nimirum non-ingressum aliarum Religionum, & quidem inseparabiliter, cùm absque violatione voti aliam Religionem ingredi nequeat. Confirmatur responsio. Votum de re inutili vouendi non valet. Sed hoc Bertrandi est tale. Ergo &c. Prob. Min. Votum retrahens ab opere absolutè bono, & solùm obligans ad opus bonum ex conditione pendente à voluntate vouentis non est vtile vouenti. Atqui votum Bertrandi est tale. Ergo &c.

Ad 1. in contrarium negamus, votum Bertrandi obligare solùm ad rem perfectam, sed inseparabiliter ad rem perfectam siue aptam simul, & ineptam. *Ad 2.* concedimus, cæteris paribus; si nimirum obligatio fiat in re absolutè apta, quod in præsenti non est. *Ad 3.* dicimus, Scholasticos Societatis IESV non promittere, se non ingressuros aliũ Ordinem præter Societatem, cùm in hac iam sint per tria vota substantialia Religionis, sed se accepturos gradum in Societate, quemcunque Superiores determinauerint. Ad hæc per illum ingressum in Societatem (sicut etiam, quandocunque aliquis absolutè promittit, se ingressurum

ſurum certam aliquam Religionem) non includitur in voto formaliter non-ingreſſus in alias Religiones, ſed tantùm concomitanter; quod ſecus ſe habet in voto Bertrandi, vbi ille non-ingreſſus formaliter in voto involuitur.

Ad 4. Negamus conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia vota in antecedente allata excludunt materiam voto ineptam: Vota autem in conſequente poſita excludunt materiam voto aptam; vnde magna intercedit diſparitas, vt ipſe aduertit Sanchez *num.* 55.

XVI. *Bonoſus Beneficiatus Sororem habet ex eodem patre: aliâ autem ex matre, cui ancillanti & iam nubili occaſio ſe offert honeſti matrimonij, nec aliud eam ab hoc moratur, quàm defectus dotis, quam tamen frater dare non vult, ipſa autem habere aliunde non poteſt. Quæritur. Vtrum Bonoſus rectè deneget dotem ſorori?*

Videtur non malè denegare. Tum quia Filius non tenetur dotare matrem, etiamſi hęc inops ſit, ille autem dives, vt cum alijs docet Rebellus *P.* 2. *L.* 5. *q.* 4. *n.* 41. Ergo nec ſororem. Tum quia nullibi hæc obligatio præſcripta eſt; imò ab ea videtur eximi, *L. cum plures.* §. *cũ totor. ff. de adminiſtr. tutor.* vt notat cum alijs *cit. Author n.* 11. Tum quia Bonoſus non habet alia bona, quàm ex Beneficijs collecta, quæ non tenetur in conſanguineos expendere.

Reſp Bonoſum obligari dotem conſtituere

re sorori, ideoque malè hanc illi denegare: Probatur. Tum ex *L. cùm plures cit.* Item *L. 2. § sed non vllos,* & Glossa *V. præstiterit ff. de Tutel. & rationibus distrahent.* atque alijs, in quibus habetur, fratrem obligatum esse titulo sanguinis alimenta præstare sorori. Ergo & dotem, cùm regulariter ex illis ad hanc efficax argumentum desumatur, vt cum pluribus Iuristis notat Palao *Tr. 32. D. 9. p. 5. §. 3. n. 1.* Tum quia communis Doctorum sententia defendit, hanc obligationem incumbere fratri respectu sororis, vt videre est apud Authorem recèns citatum & Layman *L. 3. Tr. 4. c. 13. n. 5.* Tum quia in filium descendit officium paternum respectu filiarum. Ergo cùm patris sit, dotare filiam, ad idem obligabitur frater; esto aliàs non sit hæres patris, modò aliunde habeat, ex quo dotare possit. Tum quia opus hoc est pietatis magnæ, obligationis naturalis, & iuri maximè conforme. Ergo non excusabitur ab eo præstando Bonosus, quòd sit Clericus, nec alia bona nisi ex beneficio collecta habeat, vt præter alios rectè notat Navarr. *de Redditib. q. 2. monito 26.*

Ad 1. In Contrarium negamus Consequentiam; nam illud novum matris connubium in iniuriam quodammodo ipsius filij cedit, vt loquitur Rebell. *Lo. Cit.* secus istud sororis matrimonium. *Ad 2.* Patet ex dictis; nam etsi leges de solis alimentis loqui videntur, tamen

men sunt ex communi D D. consensu de dote quoque præstanda intelligendæ; imò Palao *loc. cit.* ait, solam Authorum communem sententiam sufficere ad hanc fratri obligationem imponendam. *Ad 3.* Dicimus, sicut Bonosus tenetur ex his bonis sororem alere, ita & dotare, si aliunde ista habere soror nequeat, vt rectè Covarr. *in Cap. peruenit. de arbitr. n.* 1. rationem addens, quod causa dotis non minùs sit favorabilis, quàm alimentorum.

XVII. *Brictius præsentes habet trecentos aureos, quos ex debito statim numerare debet Creditori suo; advertens autem insperatam occasionem magni lucri per pecuniam illam faciendi, expendit eam, atq; interea solutionem differt, haud ignarus, nullum aut perexiguum damnum ex ista dilatione creditori enasci. Quæritur. Vtrum facere hoc licitè possit?*

Videtur licitè posse. Nam potestas lucrandi, & spes lucri futuri etiam alienæ pecuniæ interuentu est pretio æstimabilis, & aliquid vltra debitũ, computandumque inter bona ipsius debitoris. Ergo ne de his grauem iacturam patiatur, potest solutionem differre.

Resp. 1. Si Brictius plures habeat Creditores, & ex dilatione solutionis vni faciendæ speret lucrum, quo omnibus satisfacere possit, aliàs non satisfacturus, non malè facit differendo solutionem. Ita Lessius *L. 2. de Iust. c. 16. n. 24.* Layman. *L. 2. Tr. 2. c. 12. n. 2.* & alij.

alij. Ratio sumitur ex lege charitatis, quæ obligat alienam iacturam impedire, cùm fieri absque graui incommodo proprio potest. Ergo creditor ille priuilegiatus tenetur in dilationem consentire, ne alij debitis suis priventur. Resp 2. Si Brictius vel vnum hunc habeat creditorem, vel alijs aliunde satisfacere possit, malè facit differendo solutionem ob lucrum, quod interim obtinere potest. Ita Caiet. *V. Restitut. c. 6.* Martin. Nauar. *c. 17. n. 59.* Petrus Nauarr. *l. 4. c. 4. n. 43.* Lessius, Layman *lo. cit.* & communiter alij. Ratio est, quia creditor non tenetur consentire in hanc debiti retentionem, sed meritò fert eam invitus; siquidem ex restitutione Brictius non cogitur aliquod damnum pati in proprijs, sed in alienis eorum interuentu lucrandis. Vnde

Ad rationem in oppositum distinguimus; potestas & spes lucri futuri est pretio æstimabilis, & aliquid vltra debitum, computandumque inter bona ipsius debitoris, si fundetur in bonis proprijs, & non debitis, concedimus: si in alienis, vt fit in proposito, negamus; nam quando spes lucri alienis nititur, sicut nō potest alienum detinere, ita nec eam lucri spem; quippe iniustè eam spem retinet, qui retinet rem, cui illa annectitur.

XVIII. *Callistus Episcopus iam Septuagenarius Confirmationis Sacramentum collaturus videt innumerabilem turbam confirmandorum conflu-*

xisse; & quia communem formam novit esse paulò longiorem, habere vellet aliquam breuiorem, vt sic & tota administratio Sacramenti citiùs expediretur, & ipse minùs fatigaretur. Suggeritur ipsi à quodam Theologo hæc: signo te chrismate salutis in nomine Patris &c. aut ista: Confirmo te in nomine Patris &c. Quæritur. An vnam ex istis Callistus adhibere possit?

Videtur posse. Ita nonnulli apud Coninck *de Sacram. Q. 72. art 4. n. 67.* Tum quia opus non est, in forma nominari materiam Sacramenti, vt patet in Baptismo, vbi non nominatur aqua. Tum quia particula (*Chrismate salutis*) satis intelligitur in verbo confirmo, sicuti etiam particula (*signo crucis*) in verbo signo. Tum quia Card. Bellar. *L. de Confirmat. c. 10.* ex quodam antiquissimo Rituali Rom. refert hanc formam suprà allatam: *Confirmo te in Nomine Patris &c.*

Resp. Callistum adhibere non posse breuiorem Confirmationis formam, quàm istam communem: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris & filij & spiritûs S.* quam sub mortali seruare tenetur, ne Sacramentum dubium reddatur. Ita ex receptissima Theologorum doctrina Dicastillo *de Sacram. Tr. 3. D. Vnic. n. 76.* dicens, communem illam formam esse essentialem quoad omnes suas partes, quod Palao *Tr. 20. D. Vnic. de Confirm. pun. 5. n. 3.* ait, docere omnes

nes Catholicos Doctores. Tum quia Concilium Florentinum *in decreto fidei sub. Eugen IV.* exactè formam huius Sacramenti describens omnia illa verba statuit. Ergo credidit esse essentialia; alioqui formæ partes non essent. Tum quia idem ex continuo vsu & traditione Ecclesiæ haud obscurè habetur. Tum quia verbum confirmo ex se non satis significat materiam huius Sacramenti: multò minùs æquipollet verbum signo, cui idcirco propter generalitatem suam necessariò additur particula *Signo Crucis.* Tum quia sola illa forma communis, prout involuit omnes paticulas, significat necessaria in hoc Sacramento, quæ per formam significari debent, nimirum 1. Causam Principalem efficientem plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas. 2. Finem, seu effectum gratiæ salutaris ad pugnam, qui indicatur per verba, confirmo te Chrismate salutis: 3. Spirituale signum militis Christiani, quod exprimitur verbis Signo te signo Crucis. Ergo eadem forma, prout omnia illa verba complectitur, est sola essentialis.

Ad primum in contrarium negamus, opus non esse, materiam Sacramenti huius nominari, cùm id apertè Florentinum requirat. Adhæc Chrisma per verbum confirmo non satis exprimitur: at bene aqua per verbum baptizo. Ad 2. Patet ex dictis. Ad 3. Dici-

mus cum Suarez D.33. Sect. 5. Palao pun. 3. n.5. & alijs, ibi non exprimi totam formam, sed verbis concisis confirmationē declarari.

XIX. *Castellus jurium Studiosus in rixas venit cum quodam suo commensali, & hunc prouocatum lethali vulnere læsit; vnde vitæ suæ consulens fugâ elapsus est vltra Rhenum, vbi cum casum hunc Barbatio amico suo narraret, quæsiuit iste, num gladium suum, quo vulnus intulit, secum haberet, respondit Castellus, adesse eum adhuc à sanguine læsi rubentem. Statim igitur Barbatius ensi illi vnguentum vel puluerem aut nescio quod medicamentum, vt vocant sympaticum, illeuit, quo facto, vulneratus breui conualuit, & scriptis litteris Castellum, vt rediret, rogauit, periculi securus, quod & fecit. Quæritur. Vtrum hoc licitè factum?*

Videtur licitè fieri potuisse. Tum quia Ioan. Baptista Porta in sua Magia *L.* 8. *c.* 14. scribit, Maximilianum Imperatorem simili remedio vsum ad sanandos vulneratos etiam absentes. Tum quia Auicenna, Alexander, Scotus & nonnulli magni nominis Philosophi docent, agens creatum naturaliter in distans agere posse. Tum quia quoties est dubium, an effectus à causa naturali proueniat, eò quod non constet, an vires eius excedat, nec ne, censendum potius est, à causa naturali prouenire. Ergo licitè adhiberi potuit tale medium absque nota superstitionis.

Resp.

Resp. Barbatium illicitè medicamentum istud illeuisse gladio à sanguine vulnerati adhuc rubenti. Ita Bonacina *Tom. 1. de legibus: D.3. q. 5. pun. 4. n. 18.* Gaspar Wenk *Disput. de notis vnguenti magnetici & eiusdem actionis impressa Dilingæ 1626.* & communiter alij Authores. Probatur. Hic effectus vel est à causa naturali, vel à Deo, vel à malo spiritu. Nõ à causa naturali. Tum quia nulla virtus naturalis agit in distans, sed per contactum vel formalem, vel virtualem. Tum quia interruptâ sphærâ actiuitatis non potest agens naturale producere suum effectum, vt experientiâ constat per interpositionem parietis inter magnetem & ferrum. Atqui in præsenti talis fit interpositio per obiecta plura, vt per se constat. Ergo &c. Non etiam idem effectus est à Deo. Quia quando non constat ex Scriptura, vel Ecclesiæ traditione aliquẽ effectum esse à Deo, non debet is Deo tribui, vt docet Delrio *l. 3. q 4. §. 1.* Ergo erit à spiritu malo & superstitiosus, ut docent Delrius, Valentia, Suarez, Sanchez & alij apud Bonac. *loc. cit.*

Ad 1. dicimus, si simile quid effecerit Maximil. Imp. hinc nõ iustificatur Barbatius, cum par vtrinque sit ratio. *Ad 2.* Authores hos asserere istud non interruptâ sphærâ actiuitatis, quæ tamen interruptio in proposito contingit. Taceo hisce Philosophis ab omnibus alijs contradici. *Ad 3.* Non versari nos in casu

dubio, ſed certo & veriſſimo, ita vt contraria opinio vnius & alterius nullâ aliâ ratione nixa minimè dubium moueat, vel probabilitatem mereatur.

XX. *Carina vxor aliquot diebus domo ſuâ abeſt, & diu multumque à viro ſuo quæſita nequit vſquam reperiri, aut ſciri ex vllo, quò deuenerit, donec poſt tres hebdomades ex fonte quodam in medijs plateis ſito mortua fuerit extracta. Quæritur. Vtrum ſepeliri in loco ſacro poſſit?*

Videtur non poſſe. Ita cum nonnullis Diana *P.5. Tr.3. Reſol.* 100. quia præſumitur ſe ipſam interemiſſe.

Reſp. Carinam in loco ſacro ſepeliendam eſſe. Ita Trulench *Tr. de jure Parochi. c.9. dub. 6. n.* 10 Barboſa *de Parocho. p.3. c.26. n.*49. & plures apud hunc. Ratio eſt, quia inter duas præſumptiones ſimul concurrentes, cæteris paribus, illa præualere debet, quæ delictum excludit, & fauorem continet, vt docet Menoch. *caſ.89. num.23.* Ergo cùm hîc ſint duæ præſumptiones, vna quod Carina ex deſperatione ſe ipſam præcipitauerit: altera quod ex mentis alienatione id fecerit, vel per inſidias, aut vim ab alio deiecta fuerit, & non magis hoc, quàm illud conſtet, poſterior præſumptio præualere debet priori; cùm vniuerſim in dubio minus delictum ſit præſumendum. *l. meritò. ff. pro ſocio.* nec quiſquam eſt præſumendus, violentas ſibi manus inferre volu-

voluisse, siquidem vnicuique à natura datum, vt se ipsum, quàm potest maximè, seruet & tueatur. *Atque ex his* patet ad rationē in contrarium.

XXI. *Chrysostomus Presbyter & insignis Ecclesiastes rogatur à Parocho quodam, vt in dedicatione templi sui ad confluentem magnum populum dicere ex cathedra velit, annuit ille, sed hoc pacto, vt & prandiū liberale & aureū daturū sepelliceatur Parochus. Consentit in pactū Parochus, & habita concione Chrysostomo lautum prandium exhibet, atque abeunti promissum aureum porrigit. Quæritur. Vtrum loquendo de solo actu concionandi, abstrahendo à labore, sustentatione, vel alio titulo, &c. simonia simul & iniustitia fuerit commissa?*

Videtur nullam commissam esse simoniam accipiendo aliquid pro actu concionandi, cum concionari sit functio Theologiæ, pro qua tradenda aliquid posse dari & accipi, patet ex praxi, & cum pluribus docet Suarez *l. 4. de Sim. c. 18. n. 7. & 9.* aut profectò non solùm simonia, sed etiam iniustitia fuisset commissa, cùm Chrysostomus nullum habuisset ius accipiendi aliquid à Parocho, vt tradunt Suarez *loc. cit. c. 4. n. 7.* Lessius *c. 35. n. 162.* Layman *l. 4. tr. 10. c. 7. n. 5.* & alij.

Resp. In proposito casu fuisse quidem commissam simoniam, nullam autem iniustitiam. Primam partem tradunt S. Thom. 2. 2. q. 100.

q. 100. art. 3. ad 2 Caiet. Sylueſter, Angelus, Paludanus, Leſſius, Suarez, Layman, Palao, *Tr. 17. D. 3. de Simonia. pun* 10. *n.* 7. & alij communiter. Ratio eſt. Tum quia concio eſt actus ſacer tam ex parte finis, quàm ex parte principij, cùm Prædicatores ſint Miniſtri Dei, & eius loco ſubrogati. Tum quia actus concionandi ex ſe & naturâ ſuâ fertur ad mouendam voluntatem, eamque inflammandam ad omne bonum: actus autem Theologiæ non item, ſed inſtructionem ſolius intellectûs. Secundam partem docet Vaſq. *in opuſc. de Reſtit. c. 6. n 5. & 6.* Ratio eſt. Tum quia vendendo ſpiritualia nulla fit emptori, per ſe loquendo, iniuria; quando enim Clerici Math. 10. iubentur *gratis dare, quæ gratis acceperunt,* hoc debitum gratuitæ donationis, non reſpicit perſonas, quibus conferuntur, quaſi illis debeantur, ſed res ipſas, quibus ea reuerentia debetur. Tum quia inæqualitas quæ in actu ſimoniaco apparet, & iuſtitiæ repugnare videtur, vitio non eſt vertenda, cùm materia ſit incapax æqualitatis; imò malitia huius peccati potius latet in attentata æqualitate.

Ad 1. in contrarium patet ex dictis, actum ſcil. concionandi non eſſe actum Theologiæ naturalem, ordinatum ex ſe ſolùm ad inſtructionem intellectûs, ſed eſſe peculiare opus Spiritûs Sancti tendens ad inflammandam hominis

hominis voluntatem ad amorem Dei, ad pœnitentiam &c. *Ad* 2. dicimus, esto Chrysostomus nullum ius habuerit accipiendi aliquid à à Parocho pro concione, quia tamen accepit, isto volente miniméque inuito, quomodo iniustitiam erga ipsum exercuerit?

XXII. *Clara Monialis in nupero Germaniæ bello Monasterio suo expulsa aliquamdiu apud cognatos suos sæculares morata est cum aliqua sorore sua Religiosa, vbi dubitans de obligatione sua ad officium diuinum, quod in Monasterio dicere solebat, adijt Confessarium, eique dubium hoc proposuit, ex quo audijt, se non obligari, quamdiu ex tali causa extra Monasterium versetur. Quæritur. Rectène dixerit Confessarius?*

Videtur malè dixisse. Ita Suarez *l.* 4. *de Relig. c.* 17. *n.* 9. Palao *Tr.* 7. *D.* 2. *pun.* 1. §. 3. *n.* 5. & plerique alij, dum vniuersim docent, Religiosos ex eo, quod sint extra Monasterium, non esse extra statum choro deputatum, cùm non sint extra statum Religiosum. Confirmatur. Si Clara non amplius obligatur ad horas, dum à Monasterio abest, nullus Religiosus in Sacris nondum constitutus tenebitur ad easdem in itinere, peregrinatione &c. Atqui hoc est absurdum. Ergo &c.

Resp. Bene dixisse Confessarium. Nam 1. Sententia non prorsus improbabilis est, quã tenent Caiet. *in Summa V. horæ Can.* Emmanuel Sa *V. horæ Can. n.* 1. *in editione complut.*

Marchantius *in Tribunali Sacr. Tom. 2. Tr. 2. parte 2. Tit. 3. sect. 1. q. 2.* Lessius *in Resolut. Casuum Conscient. pos. P. 2.* D. Thom. *V. hore Can. casu 94.* & nonnulli alij, Moniales sub onere peccati mortalis non teneri ad horas Can. dicendas in ipso etiam Monasterio. Ergo multò minus ad eas sub peccato tenebitur Clara extra Monasterium versans. 2. Religiosus è Monasterio fugiens: Item ad tempus eiectus non tenentur ad horas, vt cum alijs docet Bonac. *Tom. 1. de horis Can. D. 1. q. 2. pun. 2. n. 6.* quia constituuntur in statu, in quo non est consuetudo recitandi officium Diuinum. Ergo cùm Clara furore bellico expellatur ex suo Monasterio: & ob eundem non tam sponte suâ fugiat, quàm aufugere cogatur, censenda etiam est in eo statu constituta, in quo non est consuetudo recitandi horas Can. Ergo ad eas non obligatur.

Ad argumentum in contrarium dicimus, Claram non quidem esse extra statum Religiosum, attamen in tali, in quo non est consuetudo recitandi officium Diuiuum. Ad confirmationem concessâ sequelâ negant minorem Franc. Bordonus apud Dian. *P. 6. Tr. 8. resol. 12.* & Ioan. Caramuel *in Reg. S. Benedicti D. 117. n. 1443.* rati, nullum Religiosum in Sacris nondum positũ teneri ad officium Diuinum, si quacunque ex causa extra Monasterium versetur. Quæ doctrina videri potest magis habere

habere locum in Monialibus, cùm sint, qui dicant, Moniales non posse inducere consuetudinem, quæ apud ipsas vim legis obtineat. Sed quidquid sit de hoc. Negamus sequelam, quia Religiosus in itinere aut peregrinatione moraliter censetur in ipso adhuc Monasterio, adeòque non in statu, in quo ex consuetudine non est obligatio, in quali tamen putatur Clara, cùm ab hoste eiecta, & fugere coacta vtiq; magis in aliũ statum transiisse dicatur, quàm Religiosus sponte fugiens, aut ob delictum è Monasterio eiectus. Si ergo hi in statu alio positi rectè à Bonac. asserantur, cur non & illa?

XXIII. *Cordula vxor narrat Confessario, maritum suum sæpius debitum exigere coniugale modo & situ non consueto, idque solùm ad maiorem voluptatem inde hauriendam citra tamen periculum effusionis seminis extra vas legitimum. Vnde anxia hæret, num eidem reddere aut negare debitum illud debeat. Quæritur. Quid faciat?*

Videtur negare debere sub culpa veniali. Ita Henriquez *lib.* 11. *c.* 16. Ratio est, quia cooperari veniali est veniale.

Resp. Cordulam marito suo debitum coniugale prædicto modo cum veniali scil. culpa exigenti reddere illud absque vllo peccato posse & debere. Ita Sanchez *l.* 9. *D.* 16. *n.* 8. Basilius Pontius *l.* 10. *c.* 11. *n.* 4. Escobar *in Theol. Moral. Tr.* 7. *exam.* 9. *c.* 9. *n.* 201. & plures

plures alij. Ratio prioris est. Tum quia cum actus ille ex se & intrinsecè malus non sit ob peccatum mariti exigentis, potest ex causa iusta excusari à culpa illa veniali, quam ex cooperatione contrahere deberet; causa autem talis ex parte vxoris reddentis sufficiens est, ne displiceat viro, rixas excitet &c. Tum quia in præsenti casu peccatum veniale apud maritum petentem surgit ex vehementiore voluptatis appetitu, cui non cooperatur vxor reddens, sed actum exercet licitum coniugibus, cum etiam iste modus sine illo appetitu fieri possit. Ergo &c. Ratio posterioris est, quia cum Cordula non peccet reddendo, cur à tali debiti redditione eximatur? *Atque sic* patet etiam ad rationem in oppositum.

XXIV. *Cyriacus vt rebus à se narratis fidem faciat, frequenter subdit, eas ita veras esse, vt verum est, Deum existere, Christum natum esse ex Virgine, vt vera sunt sancta Euangelia &c. quem confirmandi modum multi horrent, tanquam impium, ideoque Cyriacum grauiter reprehendunt, qui tamen culpam agnoscere non vult. Quæritur. Vtrum verba illa blasphemiam contineant?*

Videtur blasphema esse. Ita Couar. *de pactis. 1. P. §. 7. n. 9. vers. 11.* Suarez *L. 1. de blasphemia. c. 6. n. 12.* Barbosa *3. P. de Potest. Episc. alleg. 50. n. 92.* & alij. Quia comparatio diuinæ veritatis adducitur ad firmandam veritatem obiecti creati, quæ firmari intenditur æquando

do veritatem obiecti creati cum diuina. Ergo committitur blasphemia, & quidem hæreticalis, cùm creaturæ attribuatur, quod est proprium Creatoris.

Resp. Cyriacum vi præcisè illius comparationis & verborum nec blasphemiam, nec culpam lethalem committere. Ita Azor *1. P. Instit. Moral. L 11. c. 3. q. 2. in fin.* Sanchez *L. 2. in Decalog. c. 32. n 31.* Bonac. *D. 3. de 1. præcep. decal. q 8. p. 2. n. 13. in fin.* & alij. Ratio est, quia nihil DEO tribuitur per contumeliam, nec aliquid eidem aufertur, sed solùm instituitur similitudo aliqua, vsurpaturque diuina veritas ad hyperbolicam locutionem & exaggerationem, non ad æqualitatem, vt sensus sit; illud ita suo modo verum esse, sicut verũ est istud, v. g. Deum esse &c. *Dixi vi præcisè illius comparationis & verborum*; nam si intenderet Cyriacus adæquare infallibilitatem & certitudinem diuinæ veritatis cum creata, vtique blasphemiam committeret; sed tam impia mens nec vi verborum concipitur, nec iure præsumitur. *Atq; ex his* patet ad rationem in contrarium.

XXV. *Didacus Collegij cuiusdam Societatis IESV Rector magnâ rei familiaris premitur necessitate. In hac offert ipsi Largus vir quidam pius notabilem pecuniæ Summam, quâ malum domesticæ penuriæ satis leuaretur, sed eâ lege, vt certa & stabilia Sacra annuatim in templis Societatis*

atque

atque etiam à Patribus illius dicantur. Quaritur. An Didacus salua Religionis suæ paupertate pecuniam oblatam eâ conditione accipere possit?

Videtur non posse. Tum quia S. Ignatius Soc. IESV Fundator similem aliquando obligationem nullo modo admittere voluit etiam summâ pressus egestate, vt habetur *Part. I. Hist. Societ. lib.* 10. *n.* 109. Tum quia vel daretur pecunia per modum stipendij, vel eleemosynæ? Neutrum dici potest, quia in dicta Societate grauissimè vtrumque prohibetur, si fiat in compensationem, vti accidit in præsenti casu, in quo minimè daretur pecunia, si Sacra non legerentur, adeòque non nisi in compensationem horum.

Resp. 1. Didacum non posse pecuniam hanc accipere siue tanquam stipendium, siue tanquam eleemosynam in compensationem Sacrorum à Patribus Societatis IESV dicendorum. Ita ex communi Layman *l.* 4. *Tr.* 10. *c. vlt.* §. 2. *n.* 17. habeturque in examine generali eiusd. Societatis *cap.* 1. §. 3. vbi significatur, hanc accipiendi impotentiam esse modũ quemdam seu speciem paupertatis, quam Societatis IESV Religiosi vouent iuxta Constitutiones illius; vnde testatur Palao *P.* 3. *D.* 3. *pun.* 11. *n.* 4. omnes Doctores, qui de hac materia scripserunt, sentire, vi voti paupertatis talem compensationem in Societate Iesu admitti non posse.

Resp.

Resp 2. Didacum accipere posse prædictam pecuniam, hoc modo, vt vel aliqua Sacra v g. spatio medij anni dicantur, vel annuatim ab vno Patre in templo Societatis vnũ (aut alterum etiam) Sacrum legatur. Ita R. P. Mutius Viteleschus Generalis Societatis IESV respondit olim, à Collegio quodam admitti posse tria millia florenorum eo fine (sed sine obligatione rigida) vt quotannis ab vno Patre in templo eiusd. Societatis funebre anniuersarium legatur. Ratio est. Tum quia sic abest omne pactum defectu rigidæ obligationis; solùm quippe subest obligatio ex gratitudine & fidelitate, quam vtique intellexit P. Mutius sub obligatione non rigida; & admitti eam posse concedit Palao *loc. cit. n. 6. in fine.* Tum quia sic quoque abest species compensationis defectu commensurationis inter pecuniam datam, & Sacra celebrata; siquidem communi hominum iudicio pro tali notabili pecuniæ summa multò plura Sacra legi deberent, & verò libentissimè etiam legerentur ab alijs Clericis, si hæc illis pecunia offerretur. *Non obstat* exemplum S. Ignatij supra relatum; potuit ille alias causas habuisse, & fortè periculum scandali tunc aduertisse, quale in nostro casu non apparet.

Resp. 3. Didacum accipere posse eandem pecuniam, si Largus illam liberaliter offerat: & vicissim ipse eâdem liberalitate Sacra quædam

dam dicenda promittat, absque tamen dependentia promissionis vnius ab altera. Ita post Nauarrum, Rodriquez, & Sanchez, Layman loc cit. Ratio huius est, quia sic etiã pactum, omnisque compensatio (quæ sola puritati paupertatis Societatis IESV obstant) longè arcentur. *Atque sic* patet simul ad argumenta in oppositum allata.

XXVI. *Dionysius Astrologus multos euentus futuros à libero arbitrio dependentes, & res occultas ex astris prædicit, non quidem certò, sed, vt ait, probabiliter, ideòque in amore & æstimatione est apud Principes etiam viros, cùm subinde haud aberrare videatur. Quæritur. Vtrum hos euentus & facta occulta prænunciare sic possit?*

Videtur posse. Ita Caietanus 2. 2. *q. 95. art. 5.* & nonnulli apud Palao *Tract. 17. D. 1. pun. 4. n. 5.* quia naturaliter vnusquisque suam naturalem sequitur propensionem & inclinationem. Sed ad hanc astra haud leuiter concurrunt. Ergo ex illis saltem probabiliter vniuscuiusque facta enuntiari possunt.

Resp. 1. Dionysium prædictos euentus & res occultas prænunciare etiam probabiliter solùm non posse, sed prædictionem talem esse superstitionẽ, quæ proinde attendi & æstimari licitè à nullo possit. Ita Lest. *l. 2. de justit. c. 43 n. 42.* Sanchez *l. 2. in Decal. c. 38. n. 33.* & communiter alij. Ratio est. Tum quia ex astris humanâ industriâ deduci non potest cognitio

gnitio probabilis horũ euentuum. Tum quia astra nõ sunt causæ immediatæ liberorum effectuum, sed ad summum naturalium inclinationum. Tum quia contra propriam propensionem & inclinationem peruersam vnusquisque Dei auxilio adiutus procedit. Ergo ex regulis astrologiæ inuestigari non potest cognitio probabilis; aliàs non diceret Ieremias c. 10. *à signis Cœli nolite timere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt*; nam si ex astris cognitio probabilis futurorum euentuum haberi posset, neque vanæ essent populorum leges, neque irrationabile, illa timere. Cùm ergo ex solis astris cognitio probabilis haberi non possit, nec ex Dei, aut Angelorum bonorum reuelatione proueniat, restat ac necesse est, vt ex instructione & ope mali dœmonis acquiratur. Vnde meritò Sixtus V. in tales etiam, qui similes euentus certò non se affirmare protestantur, seuerè ab inquisitoribus animaduerti iussit, cuius constitutionem innouauit Vrbanus VIII. *Bullâ editâ Anno 1631.*

Resp. 2. Si Dionysius tenuissimam solùm coniecturam faceret, quæ impressam ab astris inclinationem non excederet, probabiliter nec superstitionem committeret, nec quidquã contra motum Sixti V. aut Vrbani VIII. faceret; quia coniectura illa ex tenuitate sua non sufficeret ad iudicium de euentu futuro

ſiue abſolutè ſiue probabiliter ferendũ, adeò-que foret potius prædictio contingentiæ, quàm effectûs; vnde etiam eam in foro conſcientiæ licere, cum alijs docet Palao *loc. cit. n. 9.* quidquid ſit de foro externo, vbi ex præſumptione proceditur, & forma talis ad occultandam malitiam prætendi cenſetur.

Atque ex his patet etiam ad rationem in contrarium ſuprà allatam.

XXVII. *Dinantus homo ferus ſuam à ſe vxorem Gordianam abigit, nec tamen ipſi de vitæ ſuſtentatione prouidet; ita ergo deſerta Gordiana impellente paupertate in adulteriũ conſenſit Vdoni liberalem mercedem pollicenti, quod reſciens Dinantus diuortium facere cogitat à Gordiana ob commiſſum huius adulterium, in cuius notitiam venit. Quæritur. Vtrum hoc poſſit?*

Videtur facere hoc non poſſe. Ratio eſt. Tum quia Dinãtus eijciendo è domo Gordianam, & alimenta ei non ſubrogando eſt cauſa & cooperator adulterij eiuſdem, quaſi cogens ac inducens illam in flagitium iſtud. Tum quia idem conſentit in adulterium vxoris hocipsò, quod non prohibeat, cum poſſit; maritum autem repudiare vxorem non poſſe ob adulterium, cuius eſt author, & in quod ipſemet conſentit, communis eſt Theologorum doctrina.

Reſp. Dinantum facere iure poſſe diuortium à Gordiana vxore ſua ob commiſſum ab hac

hac adulterium. Ita ex communi fere DD. Dicastillo de Matrim. *D. 8. num. 37.* Probatur. Tum *ex c. significasti. de diuort.* Tum quia non ignoscendum est ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit, vt ait Vlpianus *l. palam. n. 34. ff. de diuortijs.* Et Glossa *c. ex litteris. de diuort.* Tum quia non sufficit quælibet causa remota à marito absque intentione data, vt adulterio vxoris cooperari & consentire censeatur. *Atque sic* patet etiam ad rationes in contrarium, quæ Dinantum solùm probant fuisse causam remotam adulterij Gordianæ vxoris suæ; secus foret, si ille eà intentione eiecisset hanc, & necessaria negasset, vt adulteraretur, vti rectè post alios notat cit. Author.

XXVIII. *Dometius vir negotijs sæcularibus multùm implicitus paruam tamen diligentiam adhibet in examinanda conscientia, dum ad Confessionem se parat; vnde mortalia quædam omittit per ignorantiam, quæ à peccato mortali ipsum non excusset; esto supina non sit. Quæritur. Vtrum talis Confessio Dometij sit valida?*

Videtur non esse. Ita post Gabriel. Maiorem, Adrianum & alios Vasquez *in 3. part. Tom. 4. q. 92. art. 2. dub. vnic.* Coninck *D. 4. de pœnit. dub. 11.* Layman *l. 5. Tr. 6. n. 2.* Præposit. *q. 2. dub. 6.* Facundez *de 2. præcept. Eccl. l. 2. c. 7.* & quotquot vniuersim negant, Confessionem posse esse validam & informem;

nominatim autē defectu integritatis eandem non admittunt Suarez *in 3. part. Tom. 4. D. 23. sect. 4. n. 3.* Tanner *Tom. 4. D. 6. q. 7. n.* III. Lugo *D. 14. n. 103.* Dicast. *de pœnit. D. 8. n 91.* & alij. Prob. Tum quia Concilia Florent. in decreto vnionis, & Trident *sess. 14. c. 4 & 5. & Can. 5. 6. & 7.* pro Confessione; quæ sit necessaria pars huius Sacramenti, semper assignant *formaliter integram*, id est, in qua dicantur omnia mortalia (nisi adsit iusta causa excusans) quæ post diligens examen memoriæ occurrunt. Ergo non est valida Confessio, in qua ex defectu examinis mortaliter culpabili omittitur aliquod mortale. Tum quia defectus integritatis vel est culpabilis mortaliter, vel venialiter tantùm? Si 2. non impedit fructum, nec Sacramentum erit informe. Si 1. committitur sacrilegium, siue ex intentione, siue ex ignorantia mortaliter culpabili proveniat integritatis defectus, ac proinde Sacramentum erit nullum. Tum quia sequeretur, talem pœnitentem validè & infructuosè confessum, si in eo statu moreretur, damnatum iri, consequens videtur durum, cùm Sacramentum sit informe absq; omni eius culpa.

Resp. Confessionem Dometij probabiliter fuisse validam, licet informem, id est, sine effectu gratiæ sanctificantis. Ita communiter docet schola D. Thomæ & plures alij, quos refert & sequitur Diana *P. 2. Tr. 3. Miscellan: Resol.*

Resol. 31. & P. 3. *Tr.* 4. *Resol.* 65. quibus addo Filliuc, *Tr.* 7. *n.* 132. & Henriquez *in Sum. l.* 5. *c.* 11. *n.* 1. Prob. Tum quia huiusmodi pœnitens cupit satisfacere, & putat se satisfacere integritati Sacramenti: adhibet etiam diligentiam in examinanda sua conscientia, licet non sufficientem. Ergo facit Confessionem formaliter integram; esto materialiter talis non sit. Tum quia si in hoc casu non posset esse validum & informe Sacramentum, sæpissimè aliqui, maximè rudes, tenerentur repetere suas Confessiones, cùm facilè omittere possint peccatum mortale ex obliuione vel ignorantia mortaliter culpabili, etiamsi accedant ad Sacramentum animo omnia peccata sua confitendi, & in hunc finem etiam se examinent, licet non sufficienter; & tamen praxis Confessariorũ habet, huiusmodi confitentes non astringere ad iterandam Confessionem peccatorum, quæ cum illa obliuione vel ignorantia confessi sunt, sed pœnitentibus iniungunt, vt de illa negligentia in prioribus confessionibus admissa doleant.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, talem Confessionem esse formaliter integram, nec ad hanc, vt præcisè valor Sacramenti subsistat, exigi à Concilijs eam diligentiam, ex qua pœnitens inculpabiliter nullũ omittat peccatum mortale, sed ex qua non intendat mutilare integritatem Confessionis. Confirmatur. Plus

requiritur ad fructum huius Sacramenti percipiendum, quàm ad valorem solùm eiusdem ponendum, vt concedunt Lugo D. 14. *de pœnit. n.88.* Dicast. *D. 6. n.* 84. & alij plures asserentes, Confessionem posse esse validam & informem defectu attritionis extensiuo inuincibili. Cùm ergo ad fructum Confessionis requiratur diligentia, quâ inculpabiliter nullũ omittatur peccatũ mortale, sufficiet ad valorẽ eiusdem diligentia, quâ creditur nullũ culpabiliter omitti, etiamsi reuera non ita se habeat. *Ad* 2. Negamus committi sacrilegium in susceptione huius Sacramenti cũ prædicta obliuione vel ignorantia mortaliter culpabili; siquidem ista ignorantia non intenditur, sicuti crassa & supina, quæ idcirco scientiæ comparatur. Vrgent. Obliuio ista vel manet in actu confessionis, vel non? si illud, confessio erit sacrilega: si hoc, erit fructuosa. Dicimus, manere quidem illam, attamen præter opinionem: non verò intendi; vnde integritati formali non officit, quia à scientia lethalis culpæ deficit, quæ sola valorem confessionis destruit. *Ad* 3. Conceditur sequela, in qua nihil tam durum apparet, quàm sibi imaginatur Facundez *loc. cit. n.*10.

XXIX. *Domitius Presbyter valde liberalis est in promittendis Missis, vt numerus harum facilè numerum dierum superet, quibus celebrare possit; quod aduertentes alij mirantur, si verbis suis stare possit,*

possit, quibus ille ait, pluribus se promissionibus vno Sacro satisfacere propter præstantiam Sacrificij. Quæritur, Rectène id faciat Domitius?

Videtur malè id facere. Ita D. Bonauent. Richard. Durand. Palud. Couarr. Suarez, Lay. & alij, quos refert & sequitur Diana *P. 5. Tr. 14. Resol. 81.* Item Dicast. *Tom. 1. de Sacram. Tr. 5. D. 3. n. 113.* Tum quia in Constantiensi Concil. damnatur hæc propositio Wiclephi: *speciales orationes applicatas vni per Prælatos non plus prodesse eidem, quàm generales orationes.* Ergo hocipsum asseri nequit in Sacrificio. Tum quia Sacrificium est finiti valoris & effectûs, vt post plures docent Card. de Lugo *de Euch. D. 19. n. 246.* & Cardin. Sfortia Pallauicinus *l. 6. Thes. Theolog. 173. & 174.* Et sit etiam infinitus, tamen effectus semper est finitus. Ergo inter plures diuisus minor semper est in singulis. Tum quia sic frustraneum erit, pro vno vel pluribus defunctis multa offerre sacrificia. Tum denique quia hâc ratione Sacerdos vnicâ Missâ pluribus satisfacere posset, etiamsi ab illis stipendiũ acceperit, quod est absurdum, & prohibitum à Sac. Congreg. & decreto Vrbani VIII. Papæ.

Resp. 1. Virtutem & valorem sacrificij esse ex se infinitum tam quoad intensionem, quàm quoad extensionem. Ita Vasq. Suarez, Coninck, Palao *Tr. 22. D. vnic. pun. 6. num. 11.* Dicast. *D. 3. cit. dubit. 4. n. 77.* & communiter

alij. Ratio eſt. Tum quia res oblata & principalis offerens, ex quibus vnicè vis omnis deſumenda, ſunt infiniti valoris. Tum quia non eſt inconueniens dicere, hanc virtutem Sacrificio coniunctam eſſe à Deo; ſi enim ſecundum maiorem diſpoſitionem ſuſcipientis maior datur gratia, multò magis concedi id debet Sacrificio, cùm creſcere poſſit tam quoad intenſionem, quàm quoad extenſionē, ſiue ad plures perſonas in infinitum ſyncategorematicè.

Reſp. 2. Si Sacerdos confusâ tantùm ſeu generali intentione applicet Sacrificium pluribus, v. g. omnibus huius ciuitatis, probabiliter tunc minùs prodeſſe ſingulis, quàm ſi vni tantùm ſpecialiter fuiſſet applicatum. Ita Scotus, Sotus, & Sylueſt. apud Dicaſt. *loc. cit. n.107.* Item Palao *pun. 6. cit. n.16.* citans pro ſe Vaſquetium. Ratio eſt, quod Sacrificij effectus pendeat ex applicatione Sacerdotis, vt poſt Suarez, Vaſq. & alios communiter docet Laym. *l.5. Tr.5. c.2. aſſert 4.* Ergo conueniens eſt, vt applicationi perfectiori perfectior, & abundantior reſpondeat effectus.

Reſp. 3. Si Sacerdos ſpeciali intentione applicet Sacrificium pluribus, probabilius eſſe, perinde illud prodeſſe ſingulis illorum, acſi vni tantùm fuiſſet applicatum. Ita Caietanus *in 3. part. q. 79. art.5.* Vaſq. *in 3. part. Tom. 3. D. 231. c. 3.* Pet. Nauarra *de Reſtit. l. 2. c. 2. n.268.*

n.268. Gaspar Hurt. *de Sacramentis D.3. de Sacrif. Missæ diffic. 8.* Palao *pun. 6. cit n.13.* & alij ab his relati. Prob. Tum authoritate S. Hieronymi adducti *in C. non mediocriter. de Consecr dist. 1.* vbi ait: *dum pro cunctis animabus psallimus, vel Missa dicitur, nihil minùs, quàm si pro vnoquoque diceretur, accipitur.* Tum quia potuit Christus ita instituisse hoc Sacrificium, vt ex opere operato iuxta intentionem Sacerdotis conferretur æqualis fructus pluribus non aliter, acsi ille hunc ipsum fructum vni tantùm intendisset, vt concedit Dicast. *n. 115.* Ergo cùm hoc dignitatem Sacrificij vehemẽter efferat, nec minùs liberalitatem Dei commendet, atque insuper salutem nostram maximè promoueat, credendum est, ipsum sic de facto instituisse. Tum quia Sacrificium hoc (cæteris paribus) quoad impetrationem non minùs prodest singulis, ac si vni tantùm applicaretur, vt concedunt Suarez *D.79. sect. 2.* Dicast. *n.131.* & alij. Cur ergo non etiam quoad satisfactionem? cùm non minùs ad satisfaciendum, quàm impetrandum habeat valorem infinitum. Tum quia ignis applicatus pluribus passis causat eundem in singulis effectum, quem in vno habiturus fuisset huic soli applicatus, vt docent communiter Philosophi. Ergo etiam Sacrificium Missæ pluribus hominibus applicatum sortitur eundem in singulis effectum, quem habiturum fuis-

ſet in vno huic ſoli applicatum. Aut cur iſtud minoris efficaciæ dicamus, quàm illud?

Reſp. 4. Etiamſi Sacrificium infiniti ſit valoris, & pluribus applicatum non minùs ſingulis profit, quàm ſi pro vno tantùm fuiſſet oblatum, nihilominus nullus Sacerdos duo aut plura iuſta ſtipendia pro vno Sacro accipere poteſt. Ita hodie omnes poſt decretum Vrbani VIII. imò Suarez *D. 86. ſect. 2 concl. 4.* teſtatur, etiam ſuo tempore nullum fuiſſe aliud auſum aſſerere. Ratio eſt. Tum quia eſt contra communem ſenſum & vſum totius Eccleſiæ; nam ſi in aliquo Anniuerſario aut Capella maior eſt Miſſarum numerus, recurritur ad Papam, vel Epiſcopum, vt cum conſenſu Synodi diſpenſet iuxta Trid *ſeſſ. 25. c. 4.* quod minimè neceſſe foret, ſi vnum Sacrum pro pluribus ſtipendijs legi poſſet. Tum quia ſtipendium non confertur pro Sacro, ſed pro ſuſtentatione Sacerdotis ſub obligatione Sacrum faciendi. At iniuſtum eſt, & contra voluntatem cõductorum, velle pluribus ſtipendijs integris acceptis uno Sacrificio ſatisfacere. Ergo &c. Tum quia res adhuc dubia eſt inter Authores, vtrum Sacrificium pro pluribus oblatum ita proſit ſingulis, acſi tantùm pro vnico fuiſſet oblatum. Ergo iniuſtè & contra rationabilem fidelium voluntatem accipiuntur pro vno Sacro plura certa ſtipendia.

Reſp. 5. Domitium nullo etiam ſtipendio accepto

accepto pluribus Missis, quas pluribus personis absolutè & singillatim promisit, satisfacere non posse vno sacrificio. Sequitur ex dictis, & probatur. Tum quia talis promissio Sacri v. g. Annæ facta ex communi hominũ sensu significat Missam vnam vni vnicè legendam, aut eius intentioni applicandam. Tum quia certa & determinata promissio certum ac determinatum effectum postulat, qualem in proposito non habet Sacrum nisi vni promissario applicatum. Tum quia non minus is, qui Sacrum gratis oblatum acceptat legendum, quàm qui id conducit mercede, intendit obligare Sacerdotem ad id, quod est vtilius, & quantum licitè potest, atque omni meliori modo, vt rectè Graff de celebrat. Missar. *Tom. 2. cons. 3.* Etiamsi igitur Sacerdos iuxta tertiam responsionem speciali intentione applicare possit Sacrificium pluribus, ita vt probabiliter singulis horum æquè prosit, acsi vni tantùm fuisset applicatum, si tamen pluribus absolutè & singillatim Missam promisit, nõ satisfacit omnibus illis vno vnico Sacrificio propter promissionem, quã amplitudinem libertatis suæ ad certũ & limitatum modũ restrinxit, consuetum scil. sensum & vsum Ecclesiæ.

Ad 1. in contrarium negamus consequentiam, quia in Sacrificio, quando offertur pro pluribus, ita vt singulis æquè prosit, acsi pro

vno

vno fuisset oblatum, exprimi oportet singulorum nomina, vt patet ex Resp. II. id quod nõ fit in oratione generali; vnde inter damnatam propositionem Wiclephi & Resp. nostram III. grandis est disparitas, vt optimè notat Dicast. *n. 113.*

Ad 2. Eiusque priorem partem patet ex Resp. I. Ad alteram partem distinguimus: effectus Sacrificij est finitus quoad æqualitatem, ita vt eiusdem magnitudinis reperiatur in singulis, concedimus: est finitus quoad diuisionem ita vt minor in singulis existat, quàm extiturus fuisset, si idem Sacrificium pro vno solo fuisset oblatum, negamus. *Ad 3.* negamus frustraneum fore; nam esto in quolibet Sacro eadem virtus impetrandi contineatur, ac continetur in omnibus; at applicatio illius virtutis efficacior est pluribus Sacris factis, quàm vno tantùm, cæteris paribus. Vrgent rati, posse saltem vno Sacro sic liberari omnes animas è purgatorio. Negamus istam quoque sequelam, quia Sacrificium, in quit Palao *loc. cit. n.* 14. prodest animabus purgatorij secundùm mensuram gratiæ, quam habent, & deuotionem, quâ existentes in hac vitâ procurant sacrificium, ac intentionem Sacerdotis; cùm autem hæc æqualia esse nõ possint in omnibus animabus purgatorij, efficitur, nõ æquè omnibus Sacrificium prodesse. *Ad 4.* patet ex responsione quarta.

XXX. *Donatus Parochus in nupera Quadragesima, sicuti cum alijs, ita secum dispensauit circa carnis esum, nullâ peculiari petitâ facultate ab Ordinario, cùm ad hunc accessus esset perfacilis. Quæritur. Vtrum benè?*

Videtur malè secũ dispensâsse. Tũ quia nemo potest esse in propria causa Iudex, nec sibi ipsi esse superior. Tum quia inter dantem & recipientem debet esse distinctio; vnde is, qui potest & tenetur alteri conferre beneficium, non potest illud applicare sibi, *cap. fin. de inst.* Tum quia Prælatus Ecclesiasticus tam Sæcularis, quàm Regularis potens dispensare in votis cum suis subditis, non potest dispensare secum, cùm nemo in se ipsum iurisdictionem exercere, vel in proprio facto præstare authoritatem possit. *l. 1. ff. de authoritate Tutor.* Ergo nec Parochus secum dispensare in ieiunio poterit. Tum quia aliàs etiam Sacramentũ pœnitentiæ sibi ipsi impendere, & seipsum absoluere à peccatis poterit, quod nemo concedit.

Resp. Donatum licitè & validè potuisse secum dispensare in ieiunio, Ita Couar. *C. alma, 1. part. §. 1. n. 7.* Sanchez *l. 8 de Matr. n. 6. & l. 4. in Decalog. c. 37. n. 40.* Salas, Suarez, Bonac. *Tom. 2. D. 1. q. 2. pun. 1. n. 9.* & alij apud hos. Ratio est. Tum quia nec ex iure naturali, nec ex positiuo repugnat, aliquem secum dispensare; non prius, cùm iurisdictio ista

non

non sit contentiosa, neque coactiua, aut punitiua, neque Sacramentalis, quæ distinctionem personarum requirat, sed omnino voluntaria exigens solùm directionem prudentem pro examinanda causa dispensationis: nõ posterius, quia nullus reperitur textus hoc vniuersaliter interdicens, sed tantùm in particulari materia ambitiosa & fraudibus subiecta, in quẽ sensum intelligenda est *lex* 1. *cit.* Tum quia in iurisdictione voluntariâ potest quis plurium vices sustinere, dummodo exercitiũ vnius actûs non obstet exercitio alterius, ut constat ex *l. si consul. ff. de adopt.* Tum quia Parochus non debet esse deterioris conditionis, quàm Parochiani, cùm ergo isti præsentem habeant, à quo dispensationẽ acquirere possint, cur ipse absentem Superiorem quærat?

Ad 1. *in contrarium* patet ex dictis, id scilicet verum tantùm esse quoad actum iurisdictionis contentiosum, coactiuum, aut Sacramentalem. *Ad* 2. negamus, opus esse distinctione inter dispensantem & dispensatum in actu iurisdictionis võluntariæ. Beneficium non potest aliquis sibi ipsi conferre ex speciali iure Ecclesiastico citato ad vitandum pernitiosi Prælati exemplũ, vt rectè Abbas ibi n. 5. *Ad* 3. negamus antecedens cum plerisque Doct. teste Layman *l.* 1. *Tr.* 4. *c.* 22. *num.* 31. Sensum allatæ legis suprà dedimus *Ad* 4. negamus itidem sequelam, cùm huiusmodi Sacramentalis absolutio fiat per modum sententiæ,

tentiæ, quæ propriè non nisi in alium ferri potest; vnde iure diuino postulat distinctionem personalem inter absoluentem & absolutum.

XXXI. *Drogo ex Diœcesi Tabracensi committit impium Sortilegium, quod confitens Parocho intelligit in hoc Episcopatu esse casum reseruatum, quam reseruationem planè ignorabat Drogo; remittitur ergo à Parocho ad aliquem habentem potestatem absoluendi à reseruatis. Quæritur. Vtrum benè?*

Videtur bene dimisisse, cum ex hypothesi non habuerit potestatem absoluendi à reseruatis. Ita cum pleríque alijs Hurt. de Mendoz. *in* 2. 2. *volum.* 1. *D.* 84. *sect* 1. §. 8. Tum quia reseruatio talis in Synodo non est facta pœnitentibus, sed Confessarijs. Tum quia eadem non fit in odium delicti, sed ob bonam Diœcesis gubernationem, quàm distinctionem tradens Palao *Tr.* 2. *D.* 1. *pun.* 17. *n.* 8. addit, ab illa quidem priore, non autem ab hac posteriore liberare ignorantiam. Tum quia reseruatio potest etiam fieri de peccatis præteritis. Ergo ignorantia nihil ad illam prodest.

Resp. Drogonem ob ignorantiam huius reseruationis probabiliter non incurrisse in eam, ideóque à Parocho absolui à peccato Sortilegij potuisse, & consequenter malè sine absolutione dimissum fuisse. Ita Nauarr. *in Manuali c.* 27. *n.* 80. Graff *de casibus reseruatis. l.* 2. *c.* 40.

2. c. 40. n. 29. & Iosephus de Ianuario de casibus reseruatis *resolut.* 1. quos refert, & sententiam hanc satis probabilem iudicat Diana P. 10. Tr. 16. *resol.* 3. & nonnulli alij, quorum tacito nomine meminit Mendoza *loc. cit.* Ratio est Tum quia actus Sortilegij, prout substat reseruationi, est ignoranter factus. Ergo, quà talis, est inuoluntarius. Ergo non est peccatum, & consequenter nec casus reseruatus. Tum quia nulla pœna extraordinaria à Synodo imposita incurritur, si inuincibiliter ignoretur, vt cum pluribus docet Palao *loc. cit. n. 6.* Atqui omne statutum reseruationis est pœnale, & in odium peccati, vt apertè docet Facundez *L. 8. in 2. præcept. Eccles. c. 1. n. 28.* alios referens. Ergo nullum statutũ reseruationis incurritur, si inuincibiliter ignoretur, vt pluribus ostẽdimus cent. 1. casu LXXVIII.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, reseruationem, cùm sit in pœnam delicti, non posse nõ esse directè ad pœnitentes, esto inde etiam ad Confessarios se reflectat; vnde etiam respectu horum non est limitatio iurisdictionis absolutè, sed cum ordine ad pœnitentes, qui & ipsi statutis Diœcesanis obligantur. *Ad* 2. Reseruationem casuum semper spectare bonum Ecclesiæ, nihilomins tamen esse pœnam, vt etiam docent Reginaldus, Bonac. & alij apud Dianam *P. 6. Tr. 6. Resol. 42.* *Ad* 3. Reseruationem de præteritis non fieri per modum

statuti

statuti in ordine ad pœnitentes, sed per modũ præcepti in ordine ad Confessarios; vnde mirum non est, ignorantiam in his non prodesse delinquenti; Reseruationes autem de præteritis non facilè censeri debent Episcopales, & in Synodo factæ, vbi plerumque ex lapsu aliquorum statuuntur, vt alij ab eodem absterreantur; cuius contrarium fortè fit in Religionibus, vbi per casuum reseruationem non tam attenditur correctio aliquorũ, quàm præseruatio omnium, vt proinde videatur se habere per modum præcepti directè, & vnicè Confessarios concernere. Atque hæc responsio nostra ad præsentem casum, vt merito suo probabilis, ita perquam vtilis videtur Parochis, cùm rari sint è Parochianis, qui reseruationes Synodales sciant.

XXXII. *Dympna sponsa & illustris virgo pridie nuptiarum, dum ad Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ se parat, meminit, se post pubertatem votum Castitatis absolutum edidisse; vnde vehemẽter anxia indicat id Cõfessario (qui est ex Ordine quodam Mendicantium habens jurisdictionem quasi-Episcopalem) & rogat, oratque ab hoc vinculo solui, cùm nec Summus Pontifex adiri, nec nuptiæ absque ingenti infamia, & graui suo & aliorum incommodo differri possint? Quæritur. Quid faciat, dicatque Dympnæ Confessarius?*

Videtur debere dispensare cum ea. Ita Crousers *in Regul. S. Francisci c. 7. lect. 29.* Mo-

uetur. Quia Confessarius ille, vt ponimus, potest dispensare in omnibus votis & iuramentis, in quibus potest Episcopus potestate ordinariâ. Sed Episcopus potest dispensare in votis reseruatis in casu necessitatis potestate ordinariâ. Ergo &c. Prob. Min. Episcopus potestate ordinariâ potest in sua Diœcesi, quidquid potest Pontifex in toto orbe Christiano, nisi eidem sit specialiter prohibitum, vt habet communis Theologorum. Atqui vota reseruata in graui necessitate non sunt reseruata, & specialiter prohibita Episcopo. Ergo potest in hoc casu dispensare potestate ordinariâ; cùm tantùm reseruentur extra casum necessitatis: & ante reseruationem circa omnia vota possit dispensare Episcopus.

Resp. Confessarium non posse dispensare cum Dympna. Ita Suarez, Sanchez, Facundez, Layman, Palao, Barbosa *part. 2. de potest. Episc. alleg. 37. n. 14.* & alij communiter. Ratio vnica & solida est. Quia Mendicantes (& quilibet alij illorum priuilegio gaudentes) non possunt dispensare in votis reseruatis, quamdiu reseruata manent, vt fatentur omnes. Atqui vota, quæ in casu necessitatis competunt Episcopis potestate non ordinariâ, sed solùm extraordinariâ & ex benigna Pontificis interpretatione, adeóque per accidens, manent reseruata. Ergo Mendicantes dispensare in ijs non possunt. Quid ergo faciendum Confessario? quàm citissimè

citissimè adeundus est Ordinarius, & dispensatio ab eo flagitanda; sin iste etiam aditus ad Ordinarium tam citò fieri nequeat, Dympna vel ægritudinem aliquam interea prætendere vel aliquod incommodum, aut etiam periculum subire debebit.

Ad rationem in contrarium, concessâ Maiore, negamus Minorem Ad probationem distinguimus Min: Vota reseruata in casu grauis necessitatis non sunt reseruata, & specialiter prohibita Episcopo iure ordinario, negamus: extraordinario & ex benigna Pontificis interpretatione, concedimus; hæc autem accidentalis concessio non facit, quò minus illa vota ex sua indiuiduâ ratione absolutè dicantur reseruata, & indispensabilia remaneant cuilibet alteri ex priuilegio quasi Episcopalem iurisdictionem habenti, vt clarè patet in casibus reseruatis, qui non desinunt esse reseruati eò, quod in articulo mortis eorum absolutio cuilibet Sacerdoti per accidens concedatur.

XXXIII. *Elfrida mulier maritata pro vsu corporis sui pretium non exiguum accepit à Rabone nobili adolescente, de quo pretio nunc resipiscens angitur, maximè quod extorserit illud blanditijs & mendacijs, quasi tanto illius arderet amore &c. Quæritur. Vtrum Elfrida sic acceptũ & extortum pretium pro adulterio retinere possit?*

Videtur non posse. Ita Ioan. Medina, Mart.

Nauarrus, Paulus Comitolus, & alij apud Dianam P. 2. Tr. 16. Res. 38. & Card. de Lugo de just. D. 18. n. 45. Tum quia accipiens aliquid ob scelus, peccat, cum illud approbare videatur. Ergo non potest accipere. Ergo nec retinere. Tum quia actus ille non est licitè vendibilis, cum non sit licitè ponibilis. Tum quia peccatum & fraus nõ debent delinquentibus patrocinari.

Resp. Elfridam absolutè posse acceptum pretium à Rabone pro vsu corporis sui præstito retinere. Ita Lessius l. 2. c. 14. dub. 8. & Tanner. Tom. 3. D. 4. q. 6. n. 300. vbi ait, omnes fere Theologos & Iuristas in hoc cõuenire consentiente D. Thom. 2. 2. q 62. art. 5. ad 2. Ratio est, quia pro omni actu, qui pretio æstimabilis est, accipi potest merces. Atqui actus meretricius, si spectetur nõ vt turpis & illicitus, sed vt naturalis, & hominũ delectationi accomodatus, potest pretio æstimari. Ergo &c. *Diximus absolutè posse retinere*, nempe non tantùm iure naturæ, sed etiam positiuo, quia per hoc nullæ meretrices etiam occultæ ac maritatæ huius præmij factæ sunt inhabiles, vt contra nonnullos docent Sylvester, Couarr. Sotus, Molina, Corduba, P. Nauarrus & teste Dicastillo Tr. 2. de just. D. 6 n. 18. comuniter alij.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, accipere vel dare ante scelus patratum, esse peccatũ, quia tunc dans inducit ad scelus, & accipiens spondet

spondet ac promittit scelus, sub tali enim conditione datur & accipitur; dare autē vel accipere post scelus patratum, non esse peccatum, quia tunc non datur vel accipitur, quod crimen placeat, sed ratione laboris, sumptûs, delectationis, vel periculi suscepti, aut ratione pacti onerosi, quod fieri potest cum perfecta sceleris detestatione, & animo nunquam amplius committendi, vt bene Dedicastillo *loc. cit. n. 6.* *Ad 2* inde non sequi, illius actûs venditionem esse contra iustitiam, quâ enim parte vtilis est & delectabilis, habetur dignus pretio, vt in Respon. diximus. *Ad 3.* in proposito Elfridæ non patrocinari peccatum, sed ius, quod habet ad pretium, vt ponimus, non excessiuum, licet modo illicito acquisitum, absque fraude tamen, quam nō faciunt blanditiæ & mendacia muliebria consueta, qualia Elfrida adhibuit, sed tantùum insolita, cum hæc, non illa voluntarium tollāt, vt præter alios rectè notat Lugo *loc. cit.*

Hinc infertur contra Dianam & Valerum apud eundem *loc. cit.* Elfridam patrato opere pretium promissum & acceptum non solùm retinere, sed etiam nondum acceptum exigere iure posse, vt rectè cum alijs tradit Dedicastillo *loc. cit. n.* 11. quia promissio non fuit gratuita, sed onerosa, nempe contractus innominatus, *do, vt facias*, quem contractum

cum altera pars impleuerit, altera quoque ex iustitia implere tenetur.

XXXIV. *Esau venator nuper eiaculando in ceruum tetigit quidem istum, non tamen ita, vt ex ictu statim concideret, sed vlterius progressus post alterum ictum, quem ab Ismaële accepit, primùm mortuus procubuit. Quæritur. Cuiusnam horum sit ceruus, cum præsertim dubium sit, num post ictum ab Esau acceptum effugere potuerit?*

Videtur esse Ismaëlis. Ita habetur §. *illud quæsitum. Instit. de rerum diuisione.* Et *l. naturalem ff. de acquirendo rerum dominio.*

Resp. 1. Ad Esau pertinere ceruum, si iste lethali ictu ita ceruum tetigit, vt moraliter eius persequentis manum effugere nõ posset. Ita ex communi Dicastillo *Tr. 2. de justit. D. 9. n.* 330. Ratio est, quia ad acquirendum feræ dominium requiritur, vt apprehendatur, & quidẽ tali apprehensione, quâ censeatur amittere naturalem suam libertatem. Atqui Esau ceruum lethaliter vulnerans vt manum suam effugere non posset, sic eum apprehendit per globum à se emissum & vulnus lethale eidem inflictum, quod sufficit, cum non requiratur, vt apprehensio per manum immediatè fiat. Ergo &c. Confirmatur *ex l. in laqueum. ff. de acquirendo dominio*, vbi dicitur, *feram fieri meam, si in meam venerit potestatem.* Sed ceruus sic lethaliter vulneratus, vt effugere non posset, venit in potestatem Esau. Ergo &c.

Resp.

Resp. 2. Ceruum ad Ismaëlem pertinere, si ita leuiter ab Esau fuit tactus, vt capi ab ipso non posset. Ita cit. Author, qui rectè ait §. *illud quæsitum. & l. naturalem. cit.* ex communi Authorum in hunc sensum intelligi. Ratio est, quia Esau suo ictu non ita apprehendit ceruum, vt iste suam naturalem libertatem amisisse censeretur, sed hanc libertatem primùm Ismaël altero ictu abstulit, & ceruum in suam redegit potestatem. Ergo &c. Resp. 3. Si dubium sit, num ceruus primo ictu ab Esau tactus euadere potuerit, tutiùs quidem esse, quod sétit Laym. *l. 3. Tr. 1. c 5 num.* 12. vt inter vtrumque iuxta proportionem dubij diuidatur, sed fortè non necessarium; nam si dubium inde oriatur, quod vulnerator difficulter ceruum capturus fuerit, censebitur ceruus retinuisse naturalem libertatem suam. *l. naturalem. cit.* adeóq; pertinere non ad Esau vulnerantem, sed ad Ismaëlem primò occupantem, vt rectè Dicastillo *loc. cit. n. 331. Atque sic* patet etiam ad rationem in contrarium.

XXXV. *Eudoxia ob grauissimum malum, quod leui mendacio sibi alijsque peperit, iuramento promittit* DEO, *nullum deinceps mendacium cuiuscunque rei causâ se facturam, quod resciens maritus eius Theodosius, ne Eudoxia nimis inde anxia reddatur, votum illud ac iuramentum irritat, nullumque declarat. Quæritur. An hoc potuerit?*

Videtur non potuisse. Ita Nauarr, Azor,

Suarez, Lessius & alij plures, quos refert & sequitur Palao *Tr. 15. D. 2. pun. 6. n. 2.* Mouentur, quia vxor non est quoad hoc subiecta viro, neque votum istud est præiudiciale marito, cùm nec vsui matrimonij, nec educationi prolis, nec gubernationi domûs obstet.

Resp. Theodosium votum ac iuramentum Eudoxiæ suæ, stante matrimonio, de nõ mentiendo emissum potuisse irritare. Ita cum aliis P. Thomas Sanchez, *L. 9, de Matr. D. 3. n. 7. & D. 39. n. 4. Item L. 4 in Decal. c. 34. n. 3.* Vbi grauissimè contendit, maritum omnia vota vxoris (sive sint libera, sive obligatoria) stante matrimonio edita irritare posse, quam sententiam absolutè admittit Facundez *L. 2. in Decal. c. 37. n. 12.* & probabilem atque in praxi tutam iudicant Palao *loc. cit.* Lessius *L. 2. de Iustit. c. 40. dub. 15. n. 88.* & alij; Probatur. Tum ex lib. *Num. 30.* Vbi eodem modo sacer textus loquitur de voto vxoris, ac de voto puellæ existentis in domo Patris, Tum quia Vxor subiecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia subiecta est Christo *ad Ephes. 5.* Ergo omnes eius actiones viro subiectæ sunt. Tametsi igitur Maritus & Vxor pares sint quoad obligationem non-mentiendi: item quoad libertatem non petendi debitũ, adeoque neuter coniugum alteri sit subiectus, attamen subijcitur vxor Marito tanquam capiti, atque idcirco huius est, dirigere vxorem, ne imprudenter voveat ac iuret.

Ad

Ad rationem in Contrarium dicimus, esto materia huius ac similium votorum non sit subiecta marito, est tamen voluntas vxoris eidem subiecta, & ita Eudoxia à Theodosio est dirigenda, ne nouis implicata obligationibus ad matrimonij onera, educationem prolis, & familiæ gubernationem ac socialem vitam minùs inde apta reddatur.

XXXVI. *Euentius Campsor dedit Norinbergæ mille florenos Euentiano Campsario, qui spondet solutionem Francofurti, vbi tamen nullam habet pecuniam, nec aliquem notum, qui id onus in se recipiat. Campsor ergo suum correspondentem seu Factorem ibi positum Campsario accommodat eius nomine sibi satisfacturum, qui ex composito recambit, seu nouas litteras cambij ad primum campsorem remittit, iubens accipere solutionem à primo Campsario, quo fit, vt Euentianus ibidem debeat soluere, vbi primò accepit, & quidem geminâ iacturâ duplicis cambij. Quæritur. Vtrum istud recambium (quod aliqui* recursæ *vocant) sit licitum & iustum?*

Videtur illicitum. Ita Molina *de just. Tr.* 2. D. 404. Sotus *de just. l.* 6. *q.* 10. *art.* 1. Tanner *Tom* 3. D. 4. *q.* 7. *n.* 149. Antonius Merenda *Tr. de Camb. Nundinali. c.* 2. *n.* 108. & præter alios latissimè Paulus Comitolus *in resp. moralib. l.* 3. *resp. quæst.* 15. *&* 16. Mouentur. Tum quia quandocunque solutio datæ pecuniæ eodem loco repetitur, signum est mutui. Atqui hoc

sit in præsenti. Ergo &c. Tum quia pecuniam præsentem cum absente commutare, vbi nulla est, perinde fictitium est cambium, ac emptio equi ab eo, qui nullum habet. Tum quia campsor ex mera lucri cupiditate non vult dare pecuniam campsario indigenti. Ergo nomine Cambij mutuum palliat, vt lucretur. Tum quia Campsarius involuntariè cambiũ accipit, cum malletaliâ ratione nempe mutuò pecuniam acquirere. Ergo contractus est irritus. Tum quia Creditor ipsum debitum in solutionem accipere non potest. Atqui istud in proposito fieret, alter enim Campsor, qué prioris factorem posuimus, pro solutione nõ numerat pecuniam, sed tantùm creditũ chyrographo signatum remittit ad primum campsorem; quod creditum non est aliud, quàm ipsum debitum campsarij, & ita merus lusus committitur.

Resp. Recambium prædictum *recursa* speculatiuè loquendo, iustum, licitumque est, ac defendi potest, etsi practicè non sit consulendum. Ita Ioan. Salas de Cambijs *dub.* 17. Less. *de just. c.23. dub.7.* Nauarr. *Tom.* 2. *Corc. Tit. de vsuris. cons.*1. Marcus Serra. *Tom.2.in* 22. *D. Thom. q.* 77. *art.* 7. Ludouic. Caspensis *Tom.*2. *tr.* 19. *D.*6. *s.*5. Card. Lugo *de just. D.* 28. *n.* 98. & plures, quos refert & sequitur Diana *part.*1. *T.* 8. *R.*1. *&* *P.* 9. *Tr.*8. *R.*67. Prior pars. Probatur 1. authoritate Pij V. Papæ, qui

qui Bononiensibus in quodam Breui facultatem dedit erigendi forum, in quo approbare videtur cambium *recursæ*, formalia verba italica refert Lugo *n.* 84. Prob. 2. ratione, Tum quia, vt huiusmodi cambium verum ac reale, nõ siccũ & fictitium sit, neutiquam requiritur, vt Campsarius ipso tempore contractûs habeat iam actu, & reipsâ pecuniam in loco, vbi facienda solutio, sed sufficit, vt illam ibi habeat in spe, & virtualiter, aliàs nec vendi nec permutari possent debita imposterum soluenda. Tum quia in eiusmodi reciprocis cõtractibus Campsor posterior seu Factor prioris (qui tamen censetur in præsenti vnus idemque) duas personas repræsentat; nim. creditoris, quatenus accipit solutionem, & debitoris, quatenus eius nomine per suum factorem sibimet satisfacit; quod in alijs negotijs humanis frequenter accidit; nam Legati & oratores modò suam, modò Regum ac Principum, à quib. missi sunt, personam agũt. *Nec refert*, quod in 2. cambio non numeretur præsens pecunia, sed dentur tantûm litteræ recambij, si enim creditor contentus sit, perinde est, pecuniam, vel aliquid æquiualens, vt chyrographum, reddere. Posterior pars responsi probatur inde, quod facilè subsit vsura saltem mentalis, præsertim si nolis aliter cambire, nisi tali flexu eodem loco solutionem cum lucro recipias, vt idcirco meritò

lege

lege humanâ talis cõtractus possit prohiberi; nã res probabiliter malæ aut periculosæ iure interdici possunt, etsi nõ evidenter sint malæ, sed quâdam subtilitate defendi queant, quãuis defacto talis prohibitio non extet.

Ad 1. in Contrarium distinguim. Ma. quandocunque repetitur solutio vi primi contractûs conceditur: quandocunque vi contractûs alterius repetitur. vt fit in proposito, negatur. *Ad 2.* negamus esse fictitiam commutationem præsentis pecuniæ cum absente actu nõ habita; constat enim ex dictis sufficere, si habeatur virtute, seu haberi possit alterius fide & obligatione, vt fit in proposito; quo modo etiam equus emi potest ab eo, qui illum actu quidem non habet, habere tamen potest. *Ad 3.* negamus consequentiam, quia campsor non tenetur ad mutuum, sed iustis commutationibus intẽdit, esto simul ad suũ lucrũ attẽdat. *Ad 4.* negamus antecedens, quia campsarius absolutè est voluntarius, cum per iniuriam à nullo compellatur ad talem modum contrahendi, esto secundum quid sit involuntarius, quatenus non faceret, nisi necessitas vrgeret. *Ad 5.* negamus Min. quia non ipsum debitum accipitur pro solutione sed obligatio fidei Campsarij ad soluendum, licet iste nitatur spe alienæ solutionis.

XXXVII. *Eustasius Sacerdos religiosus post peractum Sacrificium in templo accipit secum ab altari*

altari sacram Hostiam ab alio Sacerdote consecratam, vt hanc inde ad infirmum in Monasterio deferat, antequam sacras vestes exuat. Post peractam autem ibi Communionem infirmi aduertit, fuisse adhuc moditas reliquias sacræ Hostiæ in patena relictas. Quæritur. Quid cum istis Eustasius faciat?

Videtur sumere non posse, sed debere vel alteri relinquere Sacerdoti in proximo Sacro absumendas, vel ad Sacrarium referre. Ita Suarez, Vasquez, Coninck, Layman, Lugo, Diana, Arriaga de Euchariſt. *D.* 44. n. 51. & communiter alij. Rationem dant, quia illæ particulæ non spectant ad Sacrificium ab Eustasio inchoatum & iam peractum. Ergo non habet jus illas sumendi non jeiunus. Confirmatur, si potest Eustasius sumere has reliquias, posset etiam sumere totam sacram Hostiam, si illam infirmus ob morbum subitò ingrauescentem non amplius potest accipere. Atqui hoc nemo admittet. Ergo &c.

Resp. 1. Si Eustasius adhuc in altari post ablutionem sumptam aduertisset in patena fragmentum sui Sacrificij siue magnum siue paruum, etiam non ieiunus sumere illud potuisset. Ita ex communi Arriaga *D. cit. n.* 49. Ratio est, quia hoc fragmentum pertinet ad idem Sacrificium, ad quod consummandum habet jus Eustasius. Idem sentiendum, si aduertisset finitâ Missâ; imò postquam alios, licet multos communicasset.

Resp.

Resp. 2. Si Eustasius iam in Sacristia sacris tamen vestibus adhuc indutus aduertisset prædictum fragmentum sui Sacrificij, sumere etiam potuisset. Ita plures post P. Granadum *in 3. Part. contr. 6. Tr. 10. disp. 8. n. 11.* Ratio est, quia adhuc iudicatur non absoluisse totaliter Sacrificium. Quod si sactis vestibus iam fuisset exutus, fragmentum illud vel ad Sacrarium reportare, vel alteri Sacerdoti post ipsum celebraturo reseruare debuisset, nisi absque irreuerétia neutrum horum obseruari possit; tunc enim dictat ratio, vt potius à non ieiuno sumatur, quàm irreuerenter quoeunque in loco relinquatur.

Resp 3. Eustasium particulas sacræ Hostiæ ab alio Sacerdote consecratæ post communionem infirmi in patena deprehensas probabiliter adhuc sumere posse. Ita Marchinus de Sacram. Ordinis *Tr. 3. p. 3. c 3. n. 19.* Tamburinus *de expedita commun. c. 2. §. 8. n. 38.* & cum Palao *Tom. 4. Tr. 21. D. vnic. pu. 13. n. 20.* plures in hanc opinionem valde inclinant. Ratio est, Tum quia omnes Sacerdotes ab vno eodemq; Christo sunt quodammodo vnus huius Minister: sicut etiã vnum est veluti specie Sacrificium. Ergo sicut ex hoc fundamento Sacerdos ieiunus potest sumere Hostiam à se consecratam & simul aliam ab alio priùs præconsecratam, ita etiam poterit sumere reliquias quaslibet post Missam repertas. Tum quia diffi-

difficile est discernere, an illæ reliquiæ post ablutionem inuentæ sint ex præconsecratis ab alio, an seipso. Ergo non præsumitur Ecclesiæ voluntas, vt tam anxiè hîc Sacerdotes hæreant.

Resp. 4. Eustasium easdem reliquias non posse dare infirmo, si illas, postquam iste iam communicauit, primùm reperiat, Ita ex communi Fagundez *de 3. Præcept. Eccles. L. 3. c. 5. n. 31.* saltem cum intervallo. Ratio est, quia iste sic bis communicaret. Quod etiam dicendum videtur, etiamsi infirmus ille foret Sacerdos; quia in hoc casu habet se instar Laici sub vna specie communicantis & extra ministerium sacrificij,

Resp. 5. Si infirmus, ob vim morbi inopinato auctam, sumereamplius nequeat sacram hostiam ad se delatam, non posse eam sumere Eustasium, sed debere reportare ad Sacrarium. Ita ex communi Arriaga *n. 50.* Quia illa sacra Hostia in rigore & materialiter non est reliquia seu fragmentum, etiamsi ab ipso Eustasio fuisset consecrata, Ergo facultas illa sumendi reliquias post ablutionem non extenditur ad illam.

Atque ex his patet etiam ad rationes in contrarium; tametsi enim illæ particulæ non spectent ad Sacrificium ab Eustasio inchoatum iuxta omnem rigorem, suo tamen modo spectant, in quantum scil. vterque Sacerdos

est

est quasi vnus Christi Minister: & vnum vbique velut specie Sacrificium existit.

XXXVIII. *Galation & Episteme illustres personæ sponsalia contraxerunt, & post tres ab hinc hebdomades nuptias indixerunt celebrandas; interea autem temporis occultum deprehendunt impedimentum dirimens intercedere: at nuptiæ absq; graui incommodo ac periculo vltra præfixum illud tempus differre non posse videntur. In hac mentis anxietate quærunt ex Confessario, quid factu opus, an ab Episcopo, vel ipso Papa petenda dispensatio? & quia intelligunt, non illum, sed hunc duntaxat dispensare posse, statim cursorem ad eum expediunt, qui Romam delatus mox rescripsit intra triduum haud dubiè dispensationem à Papa impetrandam, quo responso accepto, & elapso iam triduo celebrant nuptias. Quæritur 1: An Episcopus in tali casu dispensare possit? 2. An nuptiæ in hoc casu rectè celebratæ sint?*

Videtur Episcopus in hoc casu dispensare non posse. Ita P. Layman. *L. 5. Tr. 10. Part. 4. c. 6. in fine.* Et *L. 1. tr. 4. c. 22. n. 4.* vbi ait, solùm Sanchez *L. 2. D. 4. n. 7.* cunctabundũ & nullius Doctoris authoritate nixum in cõtrarium propendere. Nuptias etiam ante dispensationem certò cognitam invalidè & illicitè fuisse celebratas, præter alios docent Vasquez *1. 2. D. 156. n. 30.* & Suarez *L. 8. de leg. c. 15. num. 26.* Ratio illorum est, quia præsumi non potest, mentem Pontificis dispen-

santis

santis esse, vt dispensatio valorem suum habeat, antequam dispensatio certissimâ cognitione innotescat, quia alioquin ministraret occasionem abutendi dispensatione.

Resp. 1. Episcopum in casu præsenti & vrgente necessitate dispensare posse. Ita præter Sanchez *cit.* Basilius Ponce *l. 8. c. 13. n. 6.* Salas *de legib. D. 20. s. 3.* Gasp. Hurtado *D. 26. diff. 2. n. 7.* Palao *de sponsalib. D. 4. pun. ult. §. 1. n. 9.* Dicastillo *Tr. 10. de Matr. D. 8. n. 56.* & plures apud hos relati. Ratio est, quia Episcopis conceditur facultas dispensandi in hisce impedimentis post contractum iam matrimonium, vt fatentur ipsimet Aduersarij, siquidem commune Reipubl. Christianæ bonum, animarumque salus exigit, ne vrgente necessitate homines salutari remedio destituantur. Atqui ante matrimonium contractum vrgere eadem necessitas dispensationis potest, vt supponitur in præsenti, & varios alios casus afferunt citati Authores, quos iustum pondus & robur habere, contra Auersum ostendit breuiter Dicastillo *loc. cit.*

Resp. 2. Nuptias inter Gallationem & Epistemen validè esse celebratas post responsum Româ allatum de dispensatione intra triduum certò impetranda, si postea intelligatur eo tempore à Papa dispensatum fuisse. Ita Sotus *in 4. dist. 24. q. 2. art. 1.* Sanchez *l. 3. de Mat. D. 36. n. 6.* & alij. Ratio est, quia com-

mune est omnibus donationibus, gratijs, & priuilegijs, vt cum vnus postulauit per se vel per suum procuratorem, quamprimum alter consensum præbuit, donatio vel priuilegium suam vim & robur accipiat, antequam postulanti innotescat, propterea, quod iam ante suum consensum dederat. Hinc probabile videtur, quod in raro casu, si nimirum ex vna parte magna vrgeat necessitas, nuptias celebrandi & diu non differendi: ex altera verò parte moraliter certum sit, dispensationem à Papa iam datam esse, posse etiam licitè celebrari nuptias (& in præsenti celebratas fuisse) si impedimentum occultum sit, vel omne absit scandalum.

Ad rationem in contrarium dicimus, magis credendum esse, Papam dispensantem velle, vt dispensatio à se concessa statim valeat propter id, quod per se & suâpte naturâ illi inest, quàm vt non valeat propter id, quod per accidens aliquando coniunctum esse possit.

XXXIX. *Fugatius adolescens Pragensis in Italiam à parente missus Mediolani incipit amare puellam, quam etiam in Coniugem accepisset vel Mediolani vel Pragæ, nisi impedimentum ab vtriusque parentibus timuisset. Simul ergò abierunt Augustam Vindelicorum, & aliquantulùm ibi morati coram Parocho & Testibus contraxerunt. Quæritur. Vtrum matrimonium istud sit validum?*

Videtur

Videtur non esse validum. Ita Pet. de Ledesma *de Mat. Q. 45. art. 5. pun. 3.* Henriquez *l.11. de Mat. c.3. num.3.* & præter alios Rota *in decis. nouiss. 643. n. 2. & 3. volum. 1.* Ratio est, quia habitantes alicubi animo redeundi ad propriam domum, tametsi diuturno tempore ibi habitauerint, hospites tamen sunt, & peregrini, *l.1. §. hæc autem verba. V. hospes. ff. de his, qui deiecerunt.* vbi hospes dicitur *non habens domicilium.* Atqui hospites & peregrini non possunt contrahere coram Parocho illius Parochiæ, in qua peregrinantur, vt communiter docent Theologi. Ergo, &c.

Resp. Omnino validum esse Matrimonium istud, si Augustam venerint animo habitandi ibi per maiorem anni partem; esto fortè istud postea non contigerit. Ita Sanchez *l.3. de Mat. D.23. à num. 12.* Præposit. *in 3. part. q.4. de Matr. clandestino. dub.9. n.58.* Palao *Tr. 28. de Sponsalib & Matr. D.2. pun. 13. § 9. n. 9.* Diana *P.11. Tr.3. Resol.34.* & plures ab his relati. Ratio est, quia tametsi ex tali habitatione proprium domicilium non acquiratur, attamen acquiritur quasi domicilium, vt conueniri inde aliquis possit. *l. hæres absens. §. proinde. in fine. ff. de judicijs.* Sed habitatio constituens quasi domicilium sufficit, vt per se Parochianum constituat, sicut patet tum *ex argument. c. fin. de parochijs.* tum ex recepta praxi quoad Scholasticos in Vniuersitatibus, Mer-

catores in emporijs, Mercenarios in elocatione laborum ſuorum &c. hiſce quippe ſolus illius loci Parochus Eucharistiam in Paſchate, & Extremam Vnctionem in agone miniſtrat, quod ſignum eſt, illorum Parochum eſſe cenſendum Ergo &c.

Ad rationem in Contrarium negamus Maiorem, & dicimus cum Sanchez *loc. cit n. 19. in l. 1. cit.* domicilium habentem non ſumi ibi ſtrictè, ſed vt diſtinguitur contra hoſpitem & peregrinantem. Cæterùm Baſil. Pontius *de Mat. l. 5. c. 15. §. 1.* negat Min. ratus, Parochũ illius Parochiæ, in qua etiam per tranſitum habitas, ſeu peregrinaris, eſſe tuũ Parochum, & matrimonio iungere te poſſe. Verùm hoc communiter alij reijciunt; nam quod Parochus peregrinantibus Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrare poſſit, ideſt ex priuilegio Pontificis in fauorem peregrinorũ, non autem ex eo, quod proprius ipſorum ſit Parochus; vnde nulla inde valet argumentatio.

XL. *Georgius Bavarus à ciue Paſſauienſi emit equũ & doliũ vini, pro illo ſpõdet quinquaginta florenos, pro huius ſingulis amphoris ſingulos aureos intra menſem ſoluturus & vtrumque auecturus. Interea temporis neſcio quo infortunio equus mortuus concidit: dolium autem vini fractum & omne vinum effuſum eſt, nullo amphorarum numero*

adhuc

adhuc inito. Quæritur. Quis damnum istud ferat, Emptor, an Venditor?

Videtur ad venditorem pertinere. Ita ex communi Layman *L. 3. Tr. 4. c. 17. §. 2. n. 12.* Probatur. Tũ ex textu *in l. bona fides. ff. de actionibus empti.* Vbi dicitur *resoluto contractu ex vna parte resolui eundem ex alia.* Tum quia res, quæ perit, domino suo perit. Atqui emptor non est dominus rei ante traditionem. Ergo nec huic, sed venditori perit. Tum quia iniustitia fieret emptori, si interitum ferre deberet rei non suæ. Tum quia si interitum equi ferat emptor. Ergo & iacturam dolij vini effusi, cum venditio huius etiam à corpore incipiat & tamen interitum rei mensurandæ ad venditorem spectare comũniter docent Doctores.

Resp. 1. interitum equi ad emptorem spectare, ac proinde hunc teneri soluere 50. florenos perinde ac si equus ei traditus fuisset. Ita habetur Instit. *de emptione & venditione §. cũ autem. iuncta Gl. L. quod sæpe. § si res. ff. de contrahenda emptione. & L. 1. ac seqq. C. de periculo & commodo rei venditæ.* Tum quia sic censetur esse mens contrahentiũ, cũ aliter cõuentum non fuerit. Tum quia eius debet esse incommodum, cuius est commodum rei venditæ. Sed hoc spectat ad emptorem iuxta *cit. iura.* Ergo &c. Resp. 2. interitum vini effusi ad venditorem spectare, adeoque emptorem nihil huic soluere pro illo teneri. Ita ex

communi Dedicastillo *de Iust. Tr. 9. D. 1. n.* 108. Probatur. Tum *ex cit. L. 2. Cod. de periculo & commodo rei venditæ*, & alijs iuribus. Tum quia emptio & venditio similium rerum fit tacitè sub hac conditione, *si mensuretur*. Ergo si pereat ante impletionem huius conditionis, venditori perit, cum ante contractum perfectum & absolutum pereat, vt bene Hurtadus *de Contr. D. 2. difficul. 12.*

Ad 1. in Contrarium dicimus cum Gomez *in cit. legem*, Molina *Disp. 366.* & alijs, id intelligi, quando fit resolutio per dispositionē legis, Principis, vel sententiam Iudicis, quod in proposito non fit. *Ad 2.* distinguimus Maiorem; res quæ perit, Domino suo perit, abstrahendo à iuris dispositione, esto: attendendo illam, negamus; nam volunt leges omnia rei commoda & incommoda in venditione rei determinatæ pertinere ad emptorem, qui etiā esset rei dominus ante traditionē, nisi itidem iura hanc traditionem requirerent, vt notat Molina *cit. illa dispos. 366. n. 11 Ad 3.* negamus emptori fieri iniuriā, cū etiā eidē commoda permittantur; æquissimū autem est, vt idem sentiat & cōmodū & incōmodū. *Ad 4.* negamus consequentiam, quia licet venditio incipiat à corpore, id est, totum simul vendatur, pretium tamen non exprimitur vnicum, sed singuli aurei pro singulis amphoris, quod perinde est, ac si venditio inciperet à mensura

aut

aut quantitate certa, vt præter alios notat ipse Layman *loc. cit. num. 3.*

XLI. *Gertrudis rusticana fœmina accedit ad Confessionale, & ait, dolere se valdè de peccatis commissis, & offensa DEI, verèque emendare se velle, interim nullum peccatum etiam veniale in specie exprimit, vel Confessarius examine deprehendit. Quæritur. An possit Sacramentaliter absolui?*

Videtur non posse. Ita omnes ferè Thomistæ, & alij apud Dianam *3. P. Tr. 3. Resol. 1.* Tũ quia Trident. *Sess. 14. c. 5.* requirit talem Confessionem, per quam status confitentis agnoscatur. Atqui hæc non est talis. Ergo &c. Tũ quia Sacramentum Pœnitentiæ requirit determinatam materiam. Hîc autem nulla talis datur. Ergo &c. Tum quia absolutio Sacramentalis necessariò debet saltem super aliqua peccata cadere directè. Sed in casu hoc non fieret istud. Ergo &c. Accedunt his Authoribus Suarez *de Pœnit. D. 23. sect. 1.* Coninck *de Pœnit. D. 7. n. 6.* Lay. *l. 5. Tr. 6. c. 8. n 8.* & alij. Quatenus putant, talem posse quidem absolui speculatiuè, non tamen practicè.

Resp. Gertrudem Sacramentaliter absolui posse tam speculatiuè, quàm practicè loquendo. Ita Reginaldus, Henriquez, & alij, quos citat & sequitur Diana *loc. cit.* quibus addo Card. de Lug. *de Pœnit. D. 17. n 8.* & P. Dicastillo *de Pœnit. D. 9. n. 744.* etsi Authores isti

ferè loquantur de infirmo. Probatur responsio nostra absolutè. Tum quia, qui solùm meminisset in genere, se fecisse aliquod peccatũ mortale, & hoc ita confiteretur, deberet absolui, vt docet S. Thom. *in* 4. *D.* 21 *q.* 2. *art.* 1. *&* 2. Ergo etiam absolvendus est, qui absolutè confitetur, se peccásse, licet in specie ob ruditatem nihil exprimere valeat. Tum quia integritas confessionis quoad speciem, numerum, & circumstantias non est ita necessaria, quin iustis de causis sæpè possit omitti. Ergo à fortiori ob impotentiam vndecunq; provenientem, quâ pœnitens non possit nisi in communi explicare peccatum, sufficiet ea confessio, vt censeatur formaliter integra. Tum quia si Gertrudis sic disposita absolui nequeat. Ergo non est obligata ad Confessionem toto anno faciendam, cùm hæc Confessio non percipiatur nisi in ordine ad absolutionem Sacramentalem. Atqui hæc sequela non est admittenda. Ergo &c.

Ad 1. *in Contrarium* dicimus, Concilium requirere tam integram Confessionem, quàm hîc & nunc à pœnitente fieri potest, qualem etiam facit Gertrudis, ex eaque status huius sufficienter cognoscitur. *Ad* 2. Negamus Minorem. Nam dolor Gertrudis & Confessio, quæ sunt intrinseca materia Sacramenti, sunt actus singulares & omnino determinati, versanturq; circa peccata determinata, quæ ipse

pœni-

pœnitens commisit, licet ob ruditatem suam exprimere nequeat. *Ad 3.* Directè in hoc casu remitti offensam diuinam, in qua omnia peccata in specie conveniunt, ideoq; etiam remittuntur aliquo sensu indirectè, licet postea explicitè confitenda sint, si in specie occurrāt, & hoc sufficit ad essentiam Sacramenti. Ad Suarez, Coninck, & Lay: dicimus, si speculatiuè verum est, Gertrudem absolui posse, vt ipsi concedunt. Ergo etiam practicè. Nam in re morali tunc solùm dicitur aliquid speculatiuè verum, & non practicè, quando id, quod in speculatione consideratur, non potest exhiberi in praxi, quin aliqua contingat variatio: at verò quando omnino invariatum potest reduci ad praxin eâ ratione, quâ consideratur in speculatione, vti fit in præsenti, si speculativè verum est, practicè quoque verum censeri debet.

XLII. *Georgianus nuper triduo ante diem S. Iosephi ex errore vincibili sibi persuasit, prædictum diem S. Iosephi Monachij in Bauaria non celebrari festiuè, cum tamen iussu Serenissimi & Reuerendissimi Principis & Episcopi Frisingensis hoc anno festiuus ex omnibus Cathedris fuerit iam indictus; adueniente igitur ipso die Iosephi omittit Sacrum, nullā tunc amplius habens cogitationem de festo. Quæritur. An peccârit, non quidem actu, sed habitu agens contra conscientiam?*

Videtur peccâsse. Ita Rodriquez *Tom.* I.

Sum. c. 71. n. 2. Medina 1. 2. *q.* 19. *art. 6. vers. sed numquid.* & plures alij. Quia iudicium illud seu persuasio vincibiliter errans non fuit reuocata. Ergo moraliter manere, & contra illam agi censetur.

Resp. Georgianum non peccâsse. Ita Azor *Tom. 1. Instit. Moral. l. 2. c. 8. q. 12.* Sanchez *l. 1. in Decal. c. 11. n. 7.* Vasquez, Salas, Præposit. & alij. Ratio est, quia omissio Sacri non potest oriri à voluntate, & persuasione præterita, cũ neutra harum nec in se, nec in effectu amplius existat. Ergo non potest ab illis malitia aliqua in omissionem deriuari.

Confirmatur. Si actus censetur manere moraliter, & denominare opera subsequentia, dum non retractatur, ergo infidelis, qui omnia sua opera in honorem idoli retulisset, peccaret semper deinceps peccato infidelitatis, quod est absurdissimum. Non obest, tempus præcessisse, vt ait Medina; nam dilatio præcisè non potest auferre perseuerentiã moralem persuasionis & voluntatis.

Atque ex his patet etiam ad rationem in oppositum.

XLIII. *Georgia famula nullam quidem peculiarem curam domûs gerit sibi commissam, interdum tamen mittitur ad penum; quoties autem ipsa intrat, simul illuc irrepit Georgius eiusdem heri famulus, & aliqua inde non exigui pretij furtim aufert. Nunc iste aufugit: illa verò anxia hæ-*

ret,

ret, quod furta ipsius manifestando non impediuerit. Quæritur. Vtrum teneatur ad restitutionem?

Videtur non teneri. Quia famulus, cui specialiter non est commissa cura rerum, non tenetur restituere pro furtis non impeditis, siue illa facta fuerint ab alijs confamulis, vt ex communi tradit Layman *l. 3. Tr. 2. c. 5. n. 5.* siue ab externis, vt docent Azor *Tom. 3. l. L. 8. c. 13. q. 8.* Bonacina *Disp. 1. de Restit. in genere. Q. 2. pun. 11. n. 7.* & alij. Atqui Georgiæ non est specialiter commissa rerum domesticarum cura. Ergo &c.

Resp. teneri Georgiam ad restitutionem prædictorum damnorum. Nam ex communi Authorum apud Dedicastillo *Tr. 2. de Iust. D. 4 n. 143.* tenetur famuli restituere damna ab alijs illata, & ab ipsis non impedita, si illis custodia rerum est commissa. Atqui Georgiæ cura penûs pro eo tempore, ad quod accepit clauem, fuit commissa, vt bene advertit Diana *P. 11. Tr. 6. R 6.* Ergo&c. Cæterùm verum quidem est, famulum, cui rerum cura peculiariter non est mandata, non teneri ad restitutionem damni, quod alius confamulus fecit, & ipse non impediuit: attamen tenetur ad restitutionem damni eius, quod fecit externus, & ipse similiter nõ impediuit, vt rectiùs tenent P. Navar. *Lib. 3. de Restit. c. 1. n. 224.* Sotus *L. 4. de Iust. q. 7. art. 3.* Lessius *L. 2. de Iustit. c. 13. n. 37.*

13. n. 37. Card. de Lugo Disp. 19. de Iust. n. 105. & plures apud hos relati, quia semper videtur quiuis famulus pro aliqua cura domûs constitui, & hæc cura illi committi, licet nõ cum speciali vigilantia; certè communis hominũ sensus est, eos magis teneri ad custodiam rerum domini sui, quàm externos nullâ mercede ad seruitia domestica conductos.

Atque sic patet quoque ad rationem in contrarium.

XLIV. *Gentianus Aulicus sibi suisque honestũ victum & vestitum comparat: à conuiuijs, visitationibus, itineribus sumptuosis se abstinet: exiguo famulorum & equorum obsequio vtitur, idque propterea, quod aliàs vltra vires & facultates debita contrahere debeat, quibus nunquã sit soluendo. Interim tum à Principe, tum ab alijs Aulicis vexatur, instigaturque, vt tempori seruiat, & pro statu suo se more aliorũ gerat. Quæritur. Vtrum Gentianus in victu, vestitu, famulitio, cõuiuijs &c. maiores sumptus facere possit, certus moraliter, se inde debita contracturum, quibus postea non sit soluendo?*

Videtur posse. Tum quia ex communi Theolog. licitè quisque se gerit pro statu suo. Tum quia ad conseruationẽ statûs potest quis retinere pecuniam numerandam creditori, & differre solutionem, vt docent expressè Lessius *l. 2. de justit. c. 16. n. 26.* & alij apud hunc relati. Cur ergo non possit propter eundem statum

tum (conuenienter scilicet huic se gerendo) accipere mutuò pecunias, cōducere famulos, aliosque contractus inire, & differre itidem solutionem? Tum quia non statim ex eo redditur aliquis impotens satisfacere creditoribus, si more aliorum pro suo se statu in victu, vestitu, & aliis gerat; fortè fauebit fortuna, vbi nondum apparet. Tum quia quilibet potest Gentiano vendere aliqua, interueniente grauiore causà, etiamsi cedat in præiudicium creditorum priorum, vt docent Rebellus *l. 8. q. 16. sect. 3. n. 8. & 9.* Sanchez *l. 1. in Decal. c. 7. n. 18.* & alij. Ergo ipse etiam potest emere, & conducere varia, etiamsi videat periculum proximum impotentiæ suæ, cùm causa grauis minimè desit, nimirum obseruatio statûs sui, redemptio amaræ vexationis à Principe alijsque aulicis &c.

Resp. Gentianum Aulicum in Victu, vestitu, famulitio &c. non posse licitè maiores facere sumptus, si moraliter certus sit, debita inde se contracturum, quibus postea non sit soluendo. Ita ex communi aliorum Cardin. de Lugo *de Iustit. D. 20. n. 106.* Ratio fundamentalis est, quia qui moraliter certus est de sua impotentia soluendi creditoribus, aut de proximo huius impotentiæ periculo, non potest novum pactum & contractum inire, quo debitum novum contrahat in damnum priorum Creditorum resultans. Atqui Gentianus

est

est moraliter certus de hac impotentia aut proximo eius periculo. Ergo nõ potest sumptuosius vivendo pacta & contractus novos inire in detrimentum priorum Creditorum. Confirmatur varijs similibus casibus. Nam 1. Vir non potest ducere vxorem indotatam, quando ipse non est soluendo Creditoribus, vt docet P. Dicastillo *L. 2. de Iustit. Tr. 2. D. 11. n. 85.* quia scilicet ad alendam illam deberet novum debitum contrahere in damnum aliorum. 2. Vxor non potest aliquas res, quarũ vir dominium habet, accipere vltra congruam sustentationem, si sciat inde Creditores passuros, vt docet Vasquez *in opusc. de restitut. c. 11. n. 79.* 3. Filij, qui suo se labore alere absque dedecore valent, non possunt velle sustentari à parentibus, quos nôrunt Creditoribus non esse soluendo, vt docet Navarr. *c. 17. n. 269.* 4. Famuli inseruientes alicui, quem vident impotentem fieri ad satisfaciendum Creditoribus, non possunt aliquid ab eo accipere, aut acceptum retinere, nisi fortè tantũdem acquisierunt Domino inseruiendo, vt docet Molin. *D. 330 n. 7.* Ergo etiam Gentianus non potest sumptuosius vivere, si inde moraliter sciat fore, vt non sit solvendo Creditoribus; imò nemo advertẽs eandem impotentiam, potest ipsi cooperari iuxta dicta.

Ad 1. in Contrarium distinguimus; quilibet potest se iuxta statum suum gerere, quantùm fieri

fieri potest absque damno tertij, Concedimus: secus, negamus. *Ad 2.* Quidquid iam sit de antecedente, negamus consequentiam. Quia minus est, post factam impotentiam aliquamdiu solutionem differre, quàm eam primùm à Creditore auferre, & hunc iure suo spoliare, ut docet ipse Lessius *loc. cit. n.27.*. *Ad 3.* dicimus, quidquid, metaphysicè loquendo, contingere possit, sufficere in proposito, quod Gentianus hanc impotentiam moraliter futuram putet. *Ad 4.* In tali impotentia soluendi posse Gentiano tantùm vendi necessaria ad vitæ sustentationem, non autem superflua ad luxum, vt docent citati Authores; vnde nec ipse in periculo morali eiusdem impotentiæ pacta & contractus potiùs ad ostentationem, quàm honestatem statûs inire potest.

XLV. *Gustauus tabachi vsui ita immodicè est deditus, vt simul ac manè euigilat, eũ vsurpet, nec horam dein per totum ferè diem elabi sinat, quin eundem siue in folio, siue in fumo, siue in puluere per nares, aut os sumat, & tamẽ post illum sic sumptum frequenter S. Eucharistiam accedit. Quæritur. Vtrum sit verè ac naturaliter ieiunus?*

Videtur non esse, ideoque peccare mortaliter. Ita Lezana *in Summa Quæst. Regul. Tom. 3. V. Euchariſt. quoad Regulares n. 18.* & Antonius de Leone apud Dianam *P. 5. Tr. 13. Resol. 9.* Mouetur. Tum authoritate duorum Concil. Prouinc: Limensis III, & Mexicani III. in quibus

bus vſus tabachi ante Communionem prohibetur tum Laicis, tum Sacerdotibus. Tum quia tabachus verum eſt nutrimentum, vt teſtantur non pauci ex ſola eius ſumptione ſuſtentati. Tũ quia eſt medicina, ſub hoc enim prætextu, vt ſcilicet ſuperfluos humores pellat, noxios abſumat &c. communiter adhibetur. Tum quia de folio & puluere ſemper aliquid in ſtomachum traijcitur.

Reſp. Guſtavum conſueto vſu tabachi nõ violare ieiunium naturale, ideoque nec arceri inde à Sac. Communione. Ita Card. de Lugo, *in Reſp. Moral. L. 1. dub. 9.* Granad. *in 3. Part. D. Thom. Contr. 6. Tr, 10. D. 8. n. 4.* Marchant. *in Reſolut. Paſtor. Tr. 4. in Append. ad cap. 2.* Præpoſitus *in 3. part. Q. 8. art. 8. dub. 1. n. 39.* Antonius de Eſcobar *in Theol. Morali Tr. 7. Exam. 6. c. 5. n. 63.* & plures alij, quos citat & ſequitur Diana *loc. cit. & part. 8. Tr. 8. Reſol. 3.* Ratio fundamentalis deſumenda videtur ex vniverſali regula ad plures caſus diſſolvendos, vtrum in ijs violetur naturale ieiunium, impediaturque Sac. Communio; quam regulam P. Dicaſtillo *Tom 1. de Sacram. Tr. 4. D. 9. n. 278.* tradit in hunc modum. *Tunc Eccleſia prohibet alicui Communionem propter violatum ieiunium naturale, quando id, quod præceſſit, morali æſtimatione cenſetur comeſtio aut potatio; quod tunc contingit, quando & quantitas & qualitas materiæ, & modus traijciendi in morali æſti-*

mationes

matione sufficit, vt quis Comedisse & Potâsse censeatur. Atqui Gustavus in morali Ecclesiæ æstimatione non censetur comedisse aut potâsse, quando absque intentione comedendi & bibendi, vel solum folium tabachi mandit dẽtibus, idque contritum mox expuit: vel quãdo solũ pulverem tabachi per nares attrahit: vel quando solum fumum tabachi respirando excipit &c. Ergo Ecclesia non prohibet ei Sac. Communionem propter violatum ieiunium naturale. *Dixi in responsione* consueto tabachi vsu; si enim aliquis tabachi folium in os admissum deglutiret integrum, is vtique hoc modo insueto vsurpandi tabachum violaret ieiunium, cùm in morali Ecclesiæ iudicio comedisse censeretur.

Ad 1. in contrarium dicimus, Concilia illa, cùm Prouincialia solùm sint, non obligare extra Prouincias illas, in quibus habita sunt. Deinde prohibuerunt sumptionem tabachi tantùm ratione vomitûs, quem in partibus illis prouocabat, in his autem nullum illius facit periculum. *Ad 2. & 3.* negamus, tabachum vel nutrimentum, vel medicinam esse veram; historijs autem adduci solitis non facilè esse credendum, notat Dandinus *de anima. l. 2. com. 53. digress. 25.* Sed demus, tabachum esse & nutrimentum & medicinam, modus tamen sumendi non est talis, vt quis morali Ecclesiæ judicio comedisse aut potâsse dici possit,

ſit. *Ad* 4. Negamus ſemper aliquid in ſtomachum traijci, quod enim dentibus teritur, mox iterum exſpuitur: fumus ore exceptus per nares ſtatim exit: quod per nares attrahitur, non neceſſariò in ſtomachum traijcitur; ſed eſto, aliqua etiam traiectio in ſtomachum fiat, ea tamen non fit eâ intentione & modo, vt inde homo morali iudicio comediſſe aut potâſſe cenſeri queat, ſicut rectè notat Lugo *loc. cit.*

XLVI. *Hadrianus Iudex inter partes litigantes Caſpium & Caſpianum aduertit cauſam huius probabiliorem, quàm illius: & tamen pro Caſpio fert ſententiam ideò, quod cauſam huius ſaltem probabilem agnoſcat. Quæritur. An bene?*

Videtur bene pronunciâſſe. Ita Medina, Salas, Sayrus, Dicaſtillo & alij, quos referunt & ſequuntur Palao *Tr.* 1. *D.* 2. *pun.* 10. *n.* 7. & Diana *p.* 2. *tr.* 13. *reſol.* 3. *&* *p.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 42. Mouentur. Tum quia eoipsò, quod opinio ſit probabilis, eſt conformis rectæ rationi. Ergo tutâ conſcientiâ quis eam ſequi circa cauſarum ciuilium deciſionem poteſt. Tum quia Confeſſarius tenetur ſequi opinionem probabilem pœnitentis, relictâ propriâ probabiliore. Ergo Iudex etiam in decidendis cauſis poteſt initi ſententiæ probabili, relictâ probabiliore.

Reſp. Hanc doctrinam ſatis quidem credibiliter tradi, probabilius tamen eſſe, Iudicem

cem non posse causam decidere ex sententiâ probabili solùm, relictâ probabiliore, adeòque malè fecisse Hadrianum. Ita Valent. Bannez, Azor, Becanus, Filliuc. Malderus, Sanchez *l.1. in Decal. c.10. n.7.* Layman *l.1. Tr.1. c.5. §.3. n.16.* Tanner *Tom.3. D.4. quæst.4. n.28.* & post plures alios Arriaga *Tom.3. Theolog. D.24. n.27.* bene ostendens *à num. 31.* eandem esse rationem Iudicis supremi, & inferioris; inter quos nonnulli distinguunt. Ratio est. Tum qui a Iudicis est, secundum iura sententiam dicere. Ergo cui ipsa iura omnibus spectatis plus favere intelliguntur, etiã ipse favere debet. Tum quia officiũ Iudicis est, suum partibus ius tribuere secundum merita causæ. Ergo cùm in proposito Caspianus, cuius causa est probabilior, plus præ Caspio mereatur, & ille ius habeat ad rem, de qua agitur, Hadrianus Iudex Caspiano causam adiudicare debet.

Ad 1. in oppositum distinguimus consequens, & concedimus consequentiam ceteris paribus: secus negamus; in proposito autem obstat peculiaris ratio officij, quò minùs Iudex tutò possit in causarum decisione sequi sententiam probabilem, quando pro altera parte stat probabilior. *Ad 2.* Negamus consequentiam, nam sicut sacrum tribunal in alijs multis recedit à profano, ita etiam in hoc, quod illud cum solo reo agat, eique, quan-

tum fieri potest, faueat: istud verò inter partes sententiam dicat, & secundùm iura rigidè procedat; Vnde facilè apparet, aliam esse rationem Confessarij, aliam Iudicis.

XLVII. *Hemmingus Parochus die 1. Novemb. post Vesperas ad Nobilem quendam in sua Parochia evocatus, vt altero die in arce celebraret, ita ibi colloquijs & recreationibus distrahitur, vt præter sacrum nihil penitus pro altero die (2. Novemb. quo etiam officium Defunctorum recitandũ) culpabiliter oret. Quæritur 1. Vtrum peccet Mortaliter, omittendo præcisè officium Defunctorum. 2. Si peccârit mortaliter, vtrum ex huius solùm omißione teneatur ad aliquam restitutionem? 3. An duplex peccatum commiserit omittendo officiũ & Octauæ omnium Sanctorum & Defunctorum?*

Videtur Hemmingus mortaliter peccare omittendo præcisè officium Defunctorum. Ita Suarez *Tom. 2. de Relig. L. 4. c. 25. n. 8. & 9.* & plerique alij, è quibus 24 citat & sequitur Dian. P. 4. Tr: 4. *Resol.* 243. Tum quia officium Defunctorum tali die ponitur cum officio maiori, & præscribitur dicendum in Rubrica, vt officium proprium illius diei. Tum quia commemoratio Defunctorũ in Martyrologio legitur per nomen Festiuitatis, de qua officium diu. legi debeat. Tum quia saltem ex consuetudine recepta omnes hodie officium Defunctorum ex obligatione recitant, cui consuetudini, si derogari potest,

test, cuilibet alteri potest, nullaque amplius vim legis obtinuisse dicenda erit. Hinc vlterius sequitur, eum, qui omittit officium Defunctorum in die animarum, teneri ad restitutionem secundum 3. partem redituum illius diei, cùm spectet ad officium diuinum, & illius tertiam partem bene æquet: Item duo committi peccata, si etiam omittatur officium de octaua, cùm hæc duo officia sint longè diversissima, esto vnum pensum pro vno die persolvendum constituant.

Resp. 1. Tametsi hæc sententia probabilissima in praxi omninò tenenda & suadenda sit, nonnullis tamẽ doctis RR, videri, Hemmingum omittendo præcisè officium Defunctorum non peccare mortaliter, cui oppinioni favet Molfesius in Sum. To. 1. Tr. 5. c. 1. n. 57. & eandem defendit insignis quidam Theologus in resolutione casuum domestica. Probant hanc suam opinionem; 1. Quia Pius V. in Bulla Breuiario præfixa absolutè deobligat ad dicendum officium Defunctorum diebus in rubricis Breuiarij statutis, vbi nõ interstinguit inter officium Defunctorum dicendum 2. die Novemb. & dicendum aliis diebus. Ergo iuxta communem Regulam nec nos distinguere debemus. Probant. 2. Verba rubricæ, quibus indicatur officium Defunctorum pro 2. Novemb. non sunt præceptiua, sic enim sonant: post vesperas dicũ-

tur Vesperæ Defunctorum. Ergo ex illis nō habetur obligatio. Probant. 3. Ex sententia Graffij, Homoboni, & Vasquez apud Dian. *loc. cit.* Sacerdos non obligatur sub mortali ad dicendas priuatim Lytanias omnium Sanctorum in die Rogationum, & S. Marci, si processioni non interfuit, & tamen habet hoc consuetudo, & sub modo imperatiuo (qui tamen non nisi venialem obligationem importat) indicatur in rubrica. Ergo nec ad officium Defunctorum sic obligabitur.

Vnde duo deducunt. *Primum.* Hemingum non teneri ad vllam restitutionem præcisè ob omissum officium Defunctorum. Hoc corollarium patet ex dictis. Eundem neque in contraria sententia obligari ex eo suadetur, quod iuxta commune axioma odiosa sint restringenda. Cùm ergo Pius V. nullam faciat mentionem restitutionis ex omissione huius officij, & loquatur de officio in plures horas distincto, quale non est officium Defunctorum, constitutio huius Pontificis circa restitutionem ex omissione Breuiarij non est extendenda ad officium Defunctorum omissum.

Alterum. Hemmingum omittendo tam officium maius, quàm Defunctorū, non committere duo peccata. Sequitur evidenter ex dictis, cùm omittendo officium Defunctorum nullum peccatum mortale cōmittatur.

Posito

Posito autem, quod sub mortali ad hoc teneatur, adhuc non improbabiliter dici posset, vnum tantùm peccatum committi, omittendo vtrumque officium simul, quia ambo hæc habent se per modum unius pro tali die, sicut in maiori officio septem horæ omissæ reputantur per modum vnius ad vnum illud officium maius constituendum.

Ad 1. in contr. ijdẽ RR. dicunt, gratis asseri officium Defunctorum esse partem præceptã officij pro illa die, quomodo enim aliàs separari, & in alium diem reijci posset, sicut aliquando contingit? *Ad 2.* in Martyrologio indicari solùm laudabilem & piam consuetudinem Ecclesiæ circa memoriam pro Defunctis: non autem præceptum, aut formam orationis pro tali die, cùm absolutè & indiscriminatim, vt dictum, præceptum officij sit sublatum. *Ad 3.* hanc consuetudinẽ introductam esse ex devotione solùm erga animas, & desiderio lucrandi indulgentias, quas Pius V. in Bulla dictum officium recitantibus largitur: non autem animo obligationem inducendi, cùm enim hanc obligationem modò sustulerit Pius V. ad cauenda peccata, quomodo iterum inducere statim voluerit? Vnde aiunt, patere etiam discrimen inter hanc, & aliquas alias consuetudines.

Ita, inquam, respondent nonnulli docti RR. quorum doctrina mihi non displicet;

quia tamen in contrarium ſtat communiſſimus non tantùm vſus, verùm & eruditorum ſenſus, eandem abſolutè probabilem affirmare nondũ audeo: penes Lectorẽ iudiciũ eſto.

XLVIII. *Herodius vxorem ſuam in adulterio fuiſſe cum vicino ſuo deprehenſam, certò intelligit ex amicis ſuis, à quibus tamen inhibitus neutri illorum aliud infert malum, quàm quod rem ad Magiſtratum deferat, & vindictam poſtulet: imò vxorem correptam ad prædictorum amicorum preces in thalamum recipit. Non multis autem poſt diebus in conuiuio aliquo acerbè vexatur ab Herodiano adulterium vxoris exprobrante, vt inde irritatus è menſa ſurgat, rectàque ad ædes adulteri abiens eum nihil amplius mali ſuſpicantem interficiat, & aufugiat. Quæritur. Vtrum Herodianus in defectum Herodij ad reſtitutionem damni ex homicidio enati teneatur?*

Videtur non teneri. Nam ex communi Authorum nemo tenetur ad reſtitutionem damni, qui non influxit in iſtud. Atqui Herodianus in propoſito caſu non influxit. Tum quia non fecit animo concitandi Herodium ad tale facinus. Tum quia non incidit eidem, tale malum ex ſua vexatione ſecuturum, aut certè non niſi dubium occurrit damni inde fortè euenturi.

Reſp. Herodianum teneri ad reſtitutionem damni, quod Herodius homicidio ſuo fecit, &n on compenſauit. Ita poſt D. Antoninum, Palu-

Paludanum, Sylueſtrum, vtrumque Nauarrum, Rebellum & alios Dedicaſtillo *l.2. de juſtit. Tr.* 2 *D.*4.*n.*107. Ratio eſt, quod Herodianus ſuâ vexatione ſit cauſa efficax damni; eſt quippe illa exprobratio inſtar conſilij efficaciter influentis in damnum, vt rectè Card. de Lugo *de juſt. D.*19.*n.*90. & alij. Nec refert, Herodianum non feciſſe animo incitandi ad tale facinus, imò etiam illum dubitaſſe æquali dubio, cum conſtet, ex hac ipſius vexatione damnum proueniſſe; Nam eſto, excuſetur à reſtitutione, quando æquale eſt dubium, an concurrerit, an non? vt multi boni Authores volunt, non tamen excuſatur, quando cooperatur cum dubio, an damnum ſubſecuturum ſit, ſi reuerâ poſtea ex ipſius irriſione ponatur, vt bene citati Doctores; quod dubiũ non videtur abeſse potuiſſe, cum nemo ignorare valeat, facilè quemuis acerbâ vexatione & exprobratione grauiter commoueri. Quodſi tamen Herodianus omnimodam ignorantiam habuiſſet damni alicuius ex ſua vexatione ſecuturi, tum concedit Dedicaſtillo *num.* 108. cum Rebello & alijs, eum tam à culpa, quàm onere reſtitutionis excuſari, cum homicidium illud tunc prorſus involuntarium eidem fuiſſet.

Atque ex his patet etiam ad rationem in contrarium.

XLIX. *Ingen vir nobilis & aliàs timoratæ*

conscientiæ, cùm nuperis belli temporibus inopinatò ex famulo intelligeret, sex equos ab hostibus sibi ereptos, pecora alia abacta, & villam ac horreum incensum fuisse, in grauem blasphemiam erupit, cuius se postea in Confessione accusans ait, ad eam se non aduertisse, saltem affirmare se hoc certò non posse, additque in similia alia illicita verba non rarò se erumpere, & graues motus aduersus DEVM & rectam rationem frequenter pati absque aduertentia tamen saltem certa. Quæritur. Vtrum Ingen per blasphemiam illam, aliasque prauas commotiones peccet?

Videtur peccare. Tum quia tales etiam blasphemiæ inconsideratò prolatæ puniuntur à Deo & hominibus; de Deo patet ex S. Greg. *l.4. Dialog. c.* 10. vbi narrat, puerum septennio minorem (adeòque qui nullum adhuc rationis vsum habuit) à diabolo extinctum esse: de hominibus constat ex praxi, ab ijs blasphemos etiam ebrios (vbi itidem nullus rationis vsus) grauiter puniri. Tum quia par est ratio de alijs illicitis verbis & motibus, maximè si de illorũ incogitantia sit dubium.

Resp. Ingenem per blasphemiam illam alioſque motus non peccare, si omnem rationis aduertentiam ita præueniant, vt præcognitæ malitiæ recordari planè non possit. Ita ex communi ferè Antiquorum iuxta & Recentiorum Vasquez 1. 2. D. 107. c 3. Ratio à priori est, quia nihil potest esse malum, nisi secun-

secundùm aliquam rationem malitiæ sit voluntarium ac liberum. Atqui quod nullo modo cognoscitur affectum malitiâ, sed omnem rationis aduertentiam præuenit, non potest secundùm illam esse voluntarium. Ergo nec malum. Ma: & Min: necessariò deducuntur ex ipsis principijs Theologiæ Moralis, ac definitione voluntarij, *quod fit ab intrinseco principio cognoscente singula, in quibus est actus.* Vnde sequitur *primò*. Nulla verba, nullosque motus esse peccata, nisi præcognitos aliquo modo sub ratione mali, sed esse motus merè *primò primos*; aliàs enim liberi non sunt, quatenus mali. *Secundò*, aduertentiam illam debere esse deliberatam perfectè, aliàs sunt motus *secundò primi*, nec peccata mortalia, sed tantùm venialia. Cùm ergo Ingen vel omnino non, vel non perfectè aduerterit ad malitiam blasphemiæ, aliorumque prauorũ motuum, non peccauit in illis, aut certè non mortaliter; quod enim subdubitet, an aduerterit, potest probabiliter credere, se nõ aduertisse saltem perfectè, cùm aliàs sit vir timoratæ conscientiæ, vt præter alios rectè Mart. Bresserus *l. 6. de conscientia scrupulosa. c. 17. num.* 215.

Ad 1. in contrarium quoad punitionem blasphemiæ incogitatæ à DEO factam dicimus cum S. Thom. *in* 4. *D.*27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. & alijs communiter, illum puerum verè aduertisse

tisse ad malitiam, ideòque peccâsse, ac iustè punitum à Deo fuisse, cùm malitia præuenerit ætatem, & defectum huius suppleuerit: quoad punitionem blasphemiæ non præcognitæ ab hominibus fieri solitam, si ita est, dicendum, Iudices hos procedere ex præsumptione perfectæ aduertentiæ; quidquid iam sit, vtrum licitè præsumptio hæc fiat. *Ad 2.* patet ex dictis.

L. *Iulitta honestissima matrona post vltimum suum puerperium lacrymans conqueritur Confessario suo, tres iam proles se habuisse, nullã autem harum à conceptione singularum sine dolore fuisse, in ipso autem partu præ magnitudine cruciatuum semper in aperto vitæ periculo se extitisse: interim viro debitum coniugale porro denegare se non posse; scire proinde cupit, an non post actum coniugalem statim semen effundere, & sic sanitati, vitæque suæ consulere possit. Quæritur. Quid Iulittæ dicat Confessarius?*

Videtur, posse Confessarium hoc ipsi licitum dicere. Ita Facundez in Decalog. *Tom.2. l.6. c.3. num.5.* Ratio est. Tum quia apertum vitæ propriæ periculũ & graues à conceptione dolores prætualent iuxta rectum ordinem vitæ alienæ, & valde adhuc incertæ prolis. Tum quia ex communi fere Theolog. licitum est coniugibus, copulam delectationis causâ incipere, & non absoluere, licet hoc modo etiam prolis generationem impediant.

Resp.

Resp. Confessarium dicere debere Iulittæ, quod absque peccato lethali nunquam semen eijcere possit post actum coniugalem. Ita planè plerique omnes Theologi. Ratio manifesta est. Quia quidquid intrinsecè est malum, nunquam licet facere. Sed impedire generationem prolis, quod fit per voluntariã seminis effusionem, est intrinsecè malum. Ergo &c.

Ad 1. in contrarium dicimus, vitæ periculum & dolores suos graues Iulittam alio modo cauere posse, nim. omittendo actum coniugalem, vel deprecando, vel absolutè negando, cum vxor in talibus circumstantijs ad eum non teneatur, vt communis habet TT. *Ad 2.* negamus paritatem, quia copula absque seminatione (proxima scil. causa generationis) reputatur instar tactuum turpium, qui inter coniuges, cessante pollutionis periculo, liciti & permissi sunt.

LI. *Leovigildus Consiliarius Regius, vt è re & voluntate Principis sui diversa negotia pertractet, lites decidat &c. mirâ sollicitudine varios Doctores inquirit, & alium ex alio consulit, donec reperiat, qui ad placitum respondeat. Quæritur. Vtrum bonâ hoc Conscientiâ facere possit?*

Videtur mortaliter peccare. Ita Navarr. *in Sum. c. 17. n. 83.* & Adrianus *in 4. de Restit. Quæst. de præscript. Dub. vlt.* Movetur. Quia talis periculo errandi se exponit; timendum

quippe,

quippe, ne putans se quærere lucem, quærat tenebras, reperiatque loco illuminati ducis tenebrionem, qui eum in foveam deijciat.

Resp. Leovigildum non peccare, modò rectâ intentione procedat. Ita Thom. Sanchez *L. 1. in Decalog. c. 9. n. 24.* Baldell. *Tom. 1. D. 22. n. 2.* Bresserus *de Conscient. L. 3. c. 6. n. 78.* & alij. Ratio est. Quia in hac investigatione vtitur iure suo à natura sibi concesso, cùm solùm investiget scientiam de obligatione, quam imponunt alij. Idcirco dixi *modò rectâ intentione procedat*? si enim plures Doctores inquirat, paratus stare sententiâ illius, qui ad placitum responderit, quâcunque tandem ratione nitatur, illicitè operabitur, ut rectè concedit Bardi *Discept. 4. de Conscien: probabili c. 19. n 3.*

Atque in hunc sensum intelligimus Authores in contrarium allatos, quod scilicet supponant prauam indagandi intentionem, quod vnicum etiam ipsorum ratio convincit.

LII. *Leucianus maritus vxorem suam in mortis articulo constitutam importunis & molestis precibus diu fatigauit, & tandem ab ipsa extorsit, vt facto testamento ipsum institueret hæredem, præteritis fratribus consanguineis. Nunc post vxoris mortem angitur scrupulo, & scire à Confessario petit, num bonâ conscientia accipere hæreditatem possit. Quæritur. Quid dicat Confessarius?*

Vide-

Videtur non posse. Ita Sanchez *l.* 4. *de Matrimon. D.* 10. Lessius *l.* 2. *c.*17. *D.*7. *n.*46. Palao *tr.* 2. *D.*1. *p.*12. post Sylvestrum, Nauartrum & alios. Ratio est. Tum quia jura ciuilia requirunt, vt testamentum & quælibet vltima voluntas magnâ libertate fiat. Tum quia talis importunitas ac molestia ægræ illata iniuriam aliquam continet. Hinc Molina etiam *Tr.* 2. *D.*135. putat in foro externo tale testamentum cassatum iri, si fratres consanguinei probare possint, vxorem precum importunitate ac molestiâ à marito adactam fuisse.

Resp. Testamentum illud non solùm in conscientiæ foro valere, sed etiam jure ciuili rescissioni non subiacere, adeòq; Leucianum hæreditatem accipere ac retinere posse. Ita Medina Complut. *C. de Restit. q.*3. *causa* 2. *V. Si fiat remissio.* Basilius Pontius *de Matr. l.* 4. *c.*10. *n.*5. & alij nonnulli. Ratio est, quia metus leuis ex precum importunitate & reuerentia mariti est in potestate vxoris, eumque abijcere potest; quippe vniuersim is, qui ex metu tali operatur, non agit prudenter, atque idcirco in eius est potestate, imprudentiam repellere, habetque sufficiens in se principium repellendi illum & sine metu agendi. Ergo in proposito vxor omnino voluntariè operatur, nullamque patitur iniuriam, dum importunitatem precum & metum reuerentiæ non vult reijcere, cum facilè possit; esto inde inducta

Leu-

Leucianum maritum suũ instituat hæredem, aliàs non institutura.

Confirmatur *ex l. nec timorem. ff. 7. de eo, quod metûs causa. & ex c. 1. 3. & 4. de his quæ vi.* vbi metus leuis pro nihilo reputatur, negaturque actio patienti metum sic donata recuperandi: sed nec necessarium est, vt eiusmodi metum passis succurratur ex officio Iudicis, cum nulla, aut ferè nulla iniuria sit illata, quæ attendi debeat. *Atque sic* etiam patet ad argumenta in contrarium allata.

LIII. *Leuinius homo valde doctus & catholicus inter alios bibliothecæ suæ libros habet, retinetque nonnullos hæreticos de Religione tractantes, quos subinde legit, eorumque errores commentarijs suis inserit & refellit; quod advertens Leuinianus vir religiosus rogat, num rei huius habeat facultatem, cui ille reponit, hâc se facultate non indigere, cum nullum apud se sit perversionis periculum. Quæritur. Vtrum Levinius ex allata solùm causa excusetur à peccato mortali, & excommunicatione Bullæ Cœnæ?*

Videtur excusari. Ita nonnulli apud Palao *Tr. 4. Disp 2. pun. 10. §. 2. n. 8.* quos sequitur Caramuel *in Theolog. sua fundamentali. fundam. 17. q. 2. n. 434.* Mouentur. Tum quia hæc retentio & lectio non fauet hæresi, sed potius eam destruit. Tum quia cessante fine in casu particulari cessat, nec pro ipso obligat lex, vt cum alijs Theolog. docet Granad. *1. 2. Cont. 7.*

de

de II. tr. 3. p. 2. D. 15. s. 2. Atqui apud Leuinium cessat finis legis, nempe periculum peruersionis. Ergo &c. Tum quia Hæreticorum libri Grammatici, Rhetorici, Philosophici, Medici, Iuridici &c. saltem in pluribus Germaniæ locis retinentur & leguntur, eò quòd communiter in hac retentione & lectione periculum abesse putetur, licet varios errores & hæreses contineant.

Resp. Leuinium retinentem & legentem libros hæreticos ex prædicta causa, quod scil. apud ipsum nullum sit peruersionis periculũ, minimè excusari à peccato mortali, & incursione censuræ. Ita Suarez *de fide Disp. 10. s. 25 n. 27.* Azor, Sanchez, Coninck, Palao *loc. cit.* Card. de Lugo *Tom. de fide. D. 21. n. 62.* & plerique alij, quos refert & sequitur Diana *P. 6. Tr. 6. Res. 49. & P. 11. T. 1. R. 1.* Ratio est. Tum quia lex prohibet retentionem & lectionem talium librorum absolutè, abstrahendo, quã id intentione fiat. Tum quia esto in tali homine nullum adsit periculum, vniuersim tamen istud adest, & latet anguis in herba, quẽ prohibitione suâ detectum & sublatum vult Ecclesia, vt ita vniuersim tanquam sapiens Mater omnibus consulat. Tum quia finis legis prohibentis hæreticorum libros est, ne tales libri conseruentur, sed destruantur, vt notat Suarez *loc. cit.* Ergo Leuinius hanc destructionem omittendo peccat contra legem illã, & in censuram incidit.

Ad 1. in contrarium negamus, hanc retentionem & lectionem non fauere hæresi, cum istam in libris talibus latentem contra legem Ecclesiæ foueat, & ab interitu seruet. *Ad 2:* distinguimus inprimis Maiorem cum Lugo *n. 66*, concedendo eam, si maius bonũ fidei & Ecclesiæ surgat ex hoc, quod lex ista in hoc particulari casu non obliget, licet adhuc in comuni obliget: secus, negando eandem; vt autem prædictum bonum existat, non sufficit, Leuinium sibi videri securum; quippe facilè fingimus nobis talem securitatem; aut quisquam plus sibi fidere ausit Salomone, vt contra legem libros hæreticos (qui veneno suo instar blanditiarum muliebrium animum inflectere amant) retentione ac lectione sibi copulet, & non seducatur? Deinde negamus Minorem, tum quia finis legis est destructio talium librorum, vt dictum, qui finis etiam absente seductionis periculo subsistit. tum quia etiamsi demus, finem prædictæ legis esse peruersionis periculum, iste tamen finis non est solus, sed insuper punitio hæreticorum, sicut enim ipsos à communione fidelium, ita etiam illorum libros à manu & vsu eorumdẽ fideliũ abscindit Ecclesia. *Ad 3.* dicimus cum Layman *l. 2. tr. 1 c. 15. n. 4.* Becano 2. 2. *c. 15. q. 8.* & aljs, Bullarem hanc constitutionem in partibus nostris Septemtrionalib. secundùm talem rigorẽ non esse receptam, nisi apertiùs consta-

constaret, huiusmodi librorum Authoribus præcipuum fuisse institutum, Romanam Ecclesiam, Clericorum & Monachorum statum traducere; id quod intendunt Authores illorum librorum, quos apud se retinet, legitque Leuinius. Vnde etiam in Germania legi non posse Ioannem Auentinum, Ioannem Schleidanum, & Sebastianum Münsterum, vult ipse Layman *loc. cit.*

LIV. *Liberius in discursu & colloquio de varijs sententijs insinuat, fornicationem non esse intrinsecè malam, sed ideò solùm, quod* DEVS *eam prohibuerit, quam opinionem vehementer obstupescunt alij, & in varijs dein occasionibus eius meminerunt, vt aliorum de eadem iudicium audiant. Quæritur. Quid de illa sentiendum?*

Videtur opinio hæc probabilis esse. Tum quia eam expressè docet Caramuel *in Theolog. Moral. L. 3. n. 1600.* Tum quia DEVS Oseæ. 1. tanquam supremus Dominus dispensauit cũ Propheta circa fornicationem, vt explicat S. Thom. 2. 2. *q. 154. art.* 2. *ad* 2. Tum quia melius est proli, sic esse, quàm non esse.

Resp. Hanc opinionem (quod fornicatio non sit intrinsecè mala, sed ex sola prohibitione positiuâ) esse longè falsissimam, nihilque penitissimè habere probabilitatis. Ita vniversa Theologorum schola, vt videre est passim. Prob. 1. *ex Sac. Script. Cor. 6. Eph. 5. Gal. 5.* Vbi ab Apostolo fornicatio, tanquam res ex

se turpis & inhonesta præcipitur vitanda, comparaturque idololatriæ, furto, & homicidio, quæ secundum omnes per se & intrinsecè mala sunt. Prob. 2. Vt proles rectiùs educaretur, à natura institutum est vinculum conjugij, quo parentes mutuò & inseparabiliter astricti illius educationi & institutioni aptiùs attenderent. Ergo omissio huius ordinis ex instituto naturæ ad prolis complementum necessarij est deordinatio grauis & intrinsecè mala. Tum quia concubitus vagus, seu fornicatio ex se est contra bonum humani generis; si enim licita foret, passim proles negligeretur, ex quo non posset nisi summa confusio, perturbatio, & ignorantia in humano genere sequi. Ergo ex se & intrinsecè est graue malum, etiamsi nullo alio positiuo præcepto prohiberetur.

Ad 1. in Contrarium dicimus, opinionem aliquam non eoipsò statim esse Probabilem, quod ab vno Authore imprimatur, sed insuper opus esse, vt firmâ aliqua, & hactenus alijs vel non cognitâ, vel non satis perceptâ ratione roboretur, & non communiter ab alijs Doctoribus explodatur, vt rectè Marchantius *in Tribun. Sacrament. Tr. 5 tit. 5. q. 5.* Cùm ergo præsens opinio nullâ simili ratione stabiliatur, & ab omnibus Doctoribus vnanimiter reijciatur, tantum abest, vt à solo Authore suo aliquam probabilitatem mereatur, vt potius ipse

ipse Caramuel ab hâc & similibus novis opinionib. malè audiat, grauiterq; à nonnullis censeatur. *Ad* 2. Negamus, Deū propriè dispēsâsse cum Osea, sed mandando effecit, vt mulier, quæ prius fuerat fornicaria, post Prophetæ cōsensū foret vxor istius, vt ex Richardo rectè Dicastillo *L. 1. de virt. Cardin. D. 3. n.* 247. *Ad* 3. Dicimus cum Lessio *L. 4. c. 3.* Quamuis melius sit proli, sic esse, quàm non esse, si tamen parentes velint operam dare generationi, debent id ita facere, vt opus habeat convenientem ordinem ad prolem tum suscipiendam, tum educandam; quodsi hoc ordine careat, priuant, quantùm est ex vi actûs, prolem hoc bono, siquidem istud ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

LV. *Leutfridus ambit nuptias se dignas cū Iulia nobili Virgine, sed Pater obtrudit ei Iulianam paris nobilitatis puellam, grauiter minitans, nî pareat: ille tamen neglectis minis, & Consensu Patris contrahit cum Iulia. Quæritur. An Leutfridus peccet mortaliter contrahendo cum Iulia contra voluntatem & consensum Patris?*

Videtur sic peccare. Ita Guttierrez, Petrus Barbosa, Veracruz, & alij, quos refert & sequitur Facundez *L. 4. in Decalog. c. 4. n.* 4. Quia in re graui & iusta non obedit Patri, & offendit eum absque iusta causa.

Resp. Leutfridum non peccare mortaliter ineundo cum Iulia dignum se matrimonium.

Ita D. Thom. 22. q. 104. art. 5. c. Toletus L. 5. Sum. c. 1. n. 6. Heinriq. L. 11. de Matr. c. 6. n. 4. Sanchez L. 4. de Matr D. 23. n. 10. & plures alij. Ratio est quia in ijs, quæ ad electionem statûs, ad proprij corporis sustentationē, & ad filiorū generationē spectant, omnes homines sunt pares, nec filij subijciuntur parentibus; vnde isti imeritò offenduntur, si obedientiam ab illis hâc in re non experiantur.

Atque ex hoc patet ad rationem Aduersariorum, quibus tamen duo dederim. *Primum* cum Sanchez *loc. cit.* Filium teneri consulere patrem, saltem si commodè fieri possit, & nō longè absit, aut si non timeat malitiosè impedimentum. *Alterum* cum Toleto *loc. itidem cit.* filium teneri etiam obedire Patri, si multùm referret, illum cum alia contrahere v. g. ad graues inimicitias inter magnas familias tollendas &c.

LVI. *Lot Genes. cap. 19. vt viros, quos hospitio suo susceperat, contra vim Sodomitarum seruaret intactos, ait ad istos* v. 7. *Nolite, quæso, Fratres mei, malum hoc facere, habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis. Quæritur. Rectène hoc fecerit?*

Videtur rectè fecisse. Ita Vasquez *opusc. de scand. q. 4. 43. art. 1. dub. 1. n. 9.* Turrianus, Bas. Pontius, & post alios Diana *Tom. 5. tr. 7.*

Res.

Res. 18. Prob. Tum authoritate D. Augustini, qui *relatus in C. si quod verius est. 33. q. 2. de volente occidere vxorem, & ducere concubinam* ait, *vtrumque nefarium esse, nec debere vnum pro altero perpetrare, sed vtrumque vitare, sed si facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium.* Tum quia Lot non suadet minus malũ absolutè, sed sub conditione, quod Sodomitæ aliud grauius (contra naturã) sint effecturi. Atqui casu, quo grauius malũ sint effecturi, bonũ ac honestum est, illis persuadere, vt minore malo contenti sint. Ergo non peccat &c.

Resp. Lot (sumendo verba, vt sonant) malè fecit, & mortaliter peccauit. Ita Caietanus 22. *q. 78. art. 4. notabili. 3.* Sylvester, Sa, Valentia, Couarr. Palao *Tr. 6. p. 6. pun. 6. n. 7.* Cornelius à Lapide *in citatum locum Genes.* & alij plures. Probatur. Tum quia Lot filias suas prostituere non potuit, neque aliquid suadere, quod cederet in graue damnum suarum filiarum; quandoquidem pater non habet potestatem in corpora & pudicitiam suarum filiarum. Tum quia Sodomitæ non cogitabant de filiabus Lot vitiandis. Ergo iniquè eas obtulit illis tam impuris, vt liberaret suos hospites. Tum quia Lot inducendo Sodomitas in adulterium aut fornicationem cum filiabus suis verè huius peccati est causa, & influit in illud. Ergo peccat; esto aliud pecca-

tum maius contra naturam per illud cauere intendat. Atque hæc argumenta adeò mihi conuincentia videntur, vt contrariam opinionem Dianæ & aliorum neque probabilem putem, nisi extrinsecè à sola authoritate.

Ad 1. in oppositum dicimus, D. Augustinum iuxta Glossam loqui nō consulendo, sed permittendo: vel solùm intendit, facturum rectiùs, si adulterium, quàm si homicidium faceret. *Ad 2.* Lot à parte rei suadere malum in damnum filiarū suarum, de quo damno non cogitauerunt Sodomitæ. Ergo peccat. Nec dici potest, illum suadere solùm electionem minoris præ maiore, non autem ipsum malum. Nam id suadet, quod sub minore præcepto nouit esse prohibitum, sed hoc ipsum malum minus non est sola eius electio. Ergo &c.

Dixi sumendo verba, vt sonant. Nam Caietanus, Pererius, Salianus & alij *in cit. locum Genes.* volunt, Lot non fuisse locutū eo animo & proposito, vt id fieret, sed secundùm quandam exaggerationem siue hyperbolen ad ostendendū, quàm graue foret delictum, hospitibus suis tale inferri nocumentum, vt potiùs permitteret, proprias id pati filias, quo casu subinde aliquis dicit: me potius interfice, quàm vt hoc facias.

LVII. *Lucerius conductas à Lucio ædes inhabitans familiam alit copiosam multis scil. pro artificio*

ficio suo indigens famulis; è quibus nuper vnus abyt ex officina sua relictis prunis, quas priùs pro opere conficiendo illuc intulerat, quæ mox exardescentes non solam officinam, sed totam domum incenderunt. Lucius facilè suspicatus, malum istud culpâ alicuius domestici accidisse, postulat nunc damnum exustarum ædium sibi à Lucerio resarciri. Quaritur. An iste ad aliquid pro damno teneatur?

Videtur teneri. Ita præter alios Fachineus in *Controvers. jur. l. 1. c. 87.* & Card. de Lugo *de just. disp. 29. n. 65.* Mouentur. Tum quia incendium plerumque culpâ inhabitantium fit, vt ait I. C. *in l. 3. ff. de off. Præfecti vigilum.* Tum quia Paterfamilias est caput familiæ, eiusque imperio domestici subsunt. Ergo quod negligentiâ domesticorum fit, illius culpâ factũ censetur.

Resp. Lucerium conductorem ac Patremfamilias ad nihil teneri, nisi Lucius locator probet, incendium accidisse ex culpa certi ac determinati famuli in officio suo, qui communiter pro negligenti est habitus, & tamen à Lucerio in domum inductus & toleratus fuit. Ita Mathias Berlichius *in conclusionibus practicis. cent. 4. conclus. 25.* Vdalricus Hunnius, Ioannes Wurmserus & plures Iuristæ apud Dianam *part. 9. Tr. 7. Resol. 31.* & teste Laym. *l. 3. Tr. 4. c. 22. n. 6.* cæteri Doctores communiter. Ratio est, Quia si Lucerius ad dam-

num resarciendum teneretur, fieret id ratione culpæ latæ, aut leuis commissæ. Atqui hanc talem culpam non commisit. Ergo &c. Maiorem concedit Lugo *loc. cit.* & admittunt communiter alij DD. *ex textu in l. 25. §. qui columnam 7. ff. de locatione.* Min. Prob. Si culpam latam aut leuem commisisset Lucerius, accidisset ex eo, quod in domum suam induxisset ac tolerasset hunc determinatum famulum, qui communiter pro negligenti habitus iam etiam suâ culpâ & negligentiâ in officio istud incendium excitauit. Atqui hoc non ita se habet, negatque constanter Lucerius, vel adscribi posse hoc incendium vni determinato famulo, vel vnũ determinatum ex omnibus communiter pro negligenti in officio suo haberi. Ergo ad nihil tenetur Lucio, donec iste liquidò illud probet.

Ad rationes in contrarium dicimus, incendia fieri quidem plerumq; culpâ inhabitantium, non tamen certi ac determinati hominis in officio suo communiter negligentis, vt proinde præsumptio hæc nec vera, nec solida, nec sufficiens sit ad condemnationem Patrisfamilias. Addimus non quamuis præsumptionem de culpa inhabitantium Patremf. attingere, aut huic imputari, sed præsumptionem de culpa determinati hominis, qui communiter in officio suo pro negligenti habitus,

&

& tamen in domum fuit admissus. Vnde clarè patet, nihil hinc euinci.

LVIII. *Luperius juvenis adeò libidini est deditus, vt nec in templo mulierum aspectu illectus abstineat, sed hîc mollitiem exerceat, quam tamen circumstantiam non exprimit nominatim in Confessione, quasi nihil in ea specialis malitiæ lateret. Quæritur. Vtrum pollutio occultè in Ecclesia facta contineat specialem rationem Sacrilegij in Confessione exprimendam?*

Videtur continere. Ita Suarez *Tom. 1. de Religione. l. 3. c 7. n. 4.* Thom. Sanchez *de Matr. l. 9. D. 15. n. 11.* Bonac. *de Matr. q. 4. p. 19. n. 7.* Lugo *D. 16. de Pœnit. num. 461.* & plures alij. Probant. Tum quia si ille actus postea publicaretur, Ecclesia haberetur polluta. Ergo ante hanc publicationem iam fuit Sacrilegus. Tum quia est contra reuerentiam templo debitam. Tum quia furtum etiam occultum, si in Ecclesia fiat, sacrilegum censetur. Ergo & pollutio occulta.

Resp. Pollutionem occultam in Ecclesia factam non habere rationem Sacrilegij specialiter in Confessione explicandam. Ita Vasquez *in 1. 2. D. 98. c. 3. n. 6.* Bas. Pontius *de Matr. l. 10. c. 10 n. 15.* Martin. Perez *de Matr. D. 49. s. 4.* Caspens. *Tom. 1. Tr. de Pec. D. 2. s. 3. n. 20.* Caramuel *in Reg. S. Benedicti. D. 66. n. 1017.* & alij, quos citat & sequitur Diana *part. 7. Tr. 11. Resol. 31.* Ratio est, quia malitia sacrilegij ex

seminis

seminis effusione non contrahitur, nisi propter violationem Ecclesiæ, & motiuum inhonorandi istam. Atqui fornicatio & pollutio occulta nec violat Ecclesiam, vt suppono ex Communi ferè Theologorum: nec ex natura sua motiuum habet inhonorandi illam. Ergo &c. Confirmatur. Tactus, oscula, & turpia colloquia in Ecclesia exercita non continent specialem malitiam sacrilegij, vti vltra conceduntipsi Aduersarij, quia iure positiuo non ita sunt contra reuerentiam templi, vt istud egeat reconciliatione. Ergo nec occulta pollutio in templo facta eandem malitiam continet, cùm nec ista iure positiuo violationem Ecclesiæ contineat, quæ tunc solùm fieri censetur, quando scelus est publicum.

Ad 1. in contrarium negamus consequentiam, cùm enim ius positiuum, quo statuitur, seminis effusione violari Ecclesiam, odiosum sit, restringi illud oportet, quantum, saluâ lege, fieri potest, vt scil: non nisi de publica saltem probabiliter præuisa intelligatur. Si ergo casu solumodo publicetur, in foro conscientiæ sacrilegium non committetur, licet in foro externo præsumatur. *Ad 2.* dicimus, non quamlibet irreuerentiã contra templum commissam importare specialem malitiam sacrilegij, vt patet manifestè in tactibus, osculis, & colloquijs turpibus in templo factis. *Ad 3.* negamus paritatem, quia furtum speciali

ciali lege Ioan. VIII. *in C. quisquis inuentus. Causa* 17. *q.* 4. sacrilegij malitiam habet annexam.

LIX. *Manfredus Religiosus facultatem habet à P. Prouinciali suo accipiendi res dono oblatas aut earum pretium citra medium florenum; huiusmodi autem dona subinde accipit ille vno die plura à diuersis oblata, vt facilè vnum aureum æquent, vel superent, absq; alia vlteriore facultate, vi solùm prædictæ, quam à P. Prouinciali accepit. Quæritur. Num licitè?*

Videtur licitè id facere. Tum quia id licitè fit, quod est conforme facultati concessæ. Atqui hæc donorum acceptio est conformis. Ergo &c. Prob. Min. si nõ esset conformis facultati datæ, id fieret ratione excessûs in donis quasi in vnum coalescentibus. Sed hoc nõ est. Ergo &c. Prob: iterum Min. Tum quia singulæ donorum acceptiones sunt diversæ tam ratione personarum, quàm fortè etiam materiarũ. Tum quia eadem dona moraliter non censentur coalescere per diuersas acceptiones intra vnum aut duos menses. Ergo nec intra vnum, aut duos dies. Tum quia singula dona per singulas facultates etiam eod. die non coalescunt, etiamsi simul sumpta in magnam quantitatem excrescant, in quã expressè non consentit superior. Ergo nec coalescunt in proposito, cum vna facultas virtualiter includat plures.

Resp.

Resp. Manfredum illicitè & contra paupertatem facere, si vno die accipiat plura dona, quorum singula medio floreno æstimantur, & ipse aliam facultatem nec habeat, nec præsumat, quàm accipiendi aliquid citra medium florenum. Probatur. Tum quia facit contra aperta verba Superioris, qui solùm cōcessit facultatē accipiendi res aut rerum pretia citra medium florenum; hæc autem verba Superioris, quando clara sunt, in materia legis & priuilegij vnicè attendi debere, communis est doctrina Authorū de Legib. Tum quia priuilegium hoc derogat communi iuri & statuto, iuxta quod nemo religiosorum sibi accipere aliquid potest absq; facultate. Ergo est strictæ interpretationis, vt post Sanchez, Suarez, Salas & alios docet Palao *Tr. 3. de ll. D. 4. p. 10. num. 4.* Ergo cùm solùm facultas concessa sit ad medium florenum, non vltra hunc accipere potest Manfredus. Tum quia plura ista dona intra vnum diem accepta moraliter coalescunt in vnum, vt proportionaliter plura furta intra exiguum tempus facta coalescere docet præter alios Dian. *P. 1. Tr. 6. Resol. 34.* Ergo cùm Manfredus non habeat facultatem simul accipiendi vnum aureum, nec etiam habet facultatem eod. die accipiendi plura dona, quorum singula medium continent florenum & simul sumpta aureum æquant. Tum quia aliàs Manfredus

fredus poterit vno die à diversis accipere 10. 20. 30. aut plures florenos, quod est absurdũ, & cedere posset in grave detrimentum religionis, si idipsũ alij ex simili facultate facerent. Tum quia ideo censetur superior determinasse medium florenum, quia noluit Manfredum vi huius concessionis simul & semel plus habere absque alia facultate. Ergo contra mentem huius, adeoque illicitè à diversis donantibus accipit vno die vnum aureum, ad quid enim aliàs fuit determinatus medius florenus? Tum quia saltẽ dubium est, num Manfredus vi factæ potestatis vno die possit sæpius accipere munus aliquod medij floreni. Ergo in hoc dubio adeũdus Superior, eiusq; mens inquirenda, vt docent Suarez, Salas, Bonac: Palao *loc. cit.* & alij communiter.

Ad argumentum in Contrarium dicimus, hãc acceptionem non esse conformem facultati ratione excessûs ob materiam coalescentem. *Ad* 1. huius probationem, hoc non obstare, sicut non obstat in furtis, sufficit Manfredum non posse simul habere tantam rerum quantitatẽ vi huius concessionis. *Ad* 2. negamus consequentiam, quia rationabili & prudenti iudicio intra vnum aut duos menses etiam furta modica non coalescunt, vt cùm alijs docet Filiuc. *Tom.* 2. *Tr.* 31. *c.* 10. *n.* 244. quæ tamen intra vnum aut alterum diem facta coalescere censentur iuxta omnes. Sed quanta

esse

esse debet interpolatio, vt donationes plures coalescere non censeãtur? Respondeo, citatum Authorem, & Dian *loc. cit.* requirere in furtis saltem medium mensem, quod in casu nostro ita admittendum puto, vt intra duos menses non plures quàm quatuor tales acceptiones fiant, esto forsan non semper post vnã duæ integræ hebdomades interlabantur. *Ad 3.* negamus consequentiam, ratio disparitatis est, quia singulæ materiæ per singulas facultates intra se quasi ita conclusæ sunt, vt coalescere nequeant, id quod non est in casu nostro; esto enim vna hæc facultas plures contineat, non continet tamen, nisi limitatè, ne ratione simultaneæ acceptionis plures donationes moraliter in vnũ coalescant, & quantitatem concessam excedant.

LX. *Marcella nobilis Vidua cùm ætate & morbis confecta templum adire amplius non possit, petit ab Ordinario facultatem procurandi in ara mobili sibi Sacrum intra parietes domûs suæ, quam & impetrat, eâ tamen lege, vt intra 14. dies vnũ tantùm Sacrum legi sibi curet, nisi crescente morbi malo plura legenda Confessarius putaret: nec quisquam assistendo Sacro illi satisfacere possit præcepto Ecclesiæ de Sacro diebus festis audiendo. Quæritur 1. Vtrum Marcella, cum integro subinde mense nullum Sacerdotem habere possit, idcirco intra sequentes aut antecedentes 14. dies, quibus copiam habet Sacerdotum, tria Sacra sibi procura-*

re poßit? 2. Quot Sacra, ingrauescente morbo, Confessarius intra 14. dies concedere poßit? 3. Vtrum alij, qui diebus festis intersunt hisce priuatis Mißis, peccent mortaliter, si aliud ijsdem diebus non audiant, cùm poßint?

Videtur, Marcellam non posse intra vnos dies 14. procurare sibi tria Sacra, & nullum postea sequenti mense: nec Confessarium aucto morbi malo multò liberaliorem esse posse in concedendis Sacris Marcellæ: neque denique vllum satisfacere posse præcepto Ecclesiæ assistendo tali Sacro die festo. Ratio primi & tertij est; quia ex communi Theologorum, si verba priuilegij per se clara sint, & certam habeant significationem, nulla adhibenda est interpretatio, sed tenor & forma priuilegij iuxta verborum proprietatem obseruanda. Atqui in proposito verba clarissima sunt, vt ipsemet, qui ea legi, testari possum. Ergo &c. Ratio secundi est, quia Confessarius attendere debet ad mentem & finem concedentis, qui non vult, domum perinde Sacrorum capacem esse, ac templum, in quo quotidie fieri possunt. Ergo modum adhiberi oportet.

Resp. 1. Marcellam posse intra vnos 14. dies habere tria Sacra, si fortè intra eosdem bis postea repetitos nullum omnino acquirere possit. Hæc Responsio est comunis Theologorum ex recepto illorum effato, quod pri-

uilegium purè fauorabile seu beneficium sit latè explicandum, quantùm recta ratio dictat, si præsertim non sit contra jus commune, aut in præiudicium tertij. Atqui tale est priuilegium Marcellæ. Ergo &c. Confirmatur. Card. de Lugo *de Euch. D.21 num* 44. cum Tho. Sanchez, Nauar. & alijs, docet, si Sacerdos debeat singulis mensibus 15. Sacra dicere v. g. pro fundatore Capellaniæ, posse ipsum hoc mense dicere 30. pro duobus mensibus, quia anticipata solutio non præiudicat, sed prodest creditori. Ergo etiam Marcella potest proportionaliter præuenire in Sacris procurandis, cùm hæc anticipata procuratio non præiudicet vlli, sed gratiam concedentis magis commendet. Resp. 2. P. Confessarium posse satis esse liberalem in permittendis Sacris ob rationem dictam, modò non quotidie fieri concedat, vt maneat discrimen inter domum & templum, nisi fortè vltimum triduum v. g. quod iudicio Medicorum mortem præcederet, tria continuò Sacra in solatium ægræ postularet. Resp. 3. Quemlibet assistentem Sacro in domo Marcellæ satisfacere diebus festis præcepto Ecclesiæ. Ita ex communi Theologorum Barbosa *de Potestate Epis. P. 1. Allegatione* 24. *num* 17. *&* 18. vbi ait, Missæ audiendæ præceptum adimpleri quocunque in loco; quia nimirum consuetudine firmatum est, vt nullus determinatus locus requi-

requiratur, cui fauet Trid. *Sess. 22. Decreto de obseruandis in Celebrat. Missar.* quatenus ex Consilio solùm & monito Episcoporum obligati sunt fideles, proprias Parochias accedere; Vnde addit citatus Author, non posse Episcopos cogere fideles ad Sacrum in certo loco audiendum, & satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, cùm communi juri & priuilegijs à Sede Apost. concessis derogare nequeant. Quare prædicta verba Bullæ, ne frustra sint posita, putat Palao *Tr. 22. D. vnicâ. P. 15. n. 13.* intelligi debere, non de audiente, sed celebrante, ne scilicet aliquis Sacerdos celebret alicui externo in domo Marcellæ, vt assistendo ipse satisfacere præcepto Ecclesiæ possit, cùm ad hoc nulli Sacerdoti facultas concedatur. Sed ait Bonac. *D. 4. de Sacra. q. vltima. pu. 12. n. 4.* vbi prædictam formam in Bullis Ordinariorum approbat: Sæcularis non satisfacit Communioni Paschali extra Parochiam aut priuilegiatum templum. Ergo nec præcepto audiendi Sacri. Negamus Consequentiam. Quia ex Communi Iure Communioni Paschali satisfieri debet in Parochia, aut saltem in Ecclesia priuilegiata; quod secus se habet in Sacro audiendo, vt vidimus. Atque ex his patet ad rationes in contrarium.

LXI. *Marcus miles Catholicus in bello contra Turcas capitur ab istis, qui cupidi arcanorum exercitûs Catholici, quæ ipsum minimè latere sciunt,*

minantur ei tormenta omnia, ipsamque mortem, nî prodere illa velit, iamque reluctantem ex equuleo suspendunt. Quæritur. Vtrum Marcus ad evitanda hæc grauia incommoda pandere secreta possit?

Videtur posse. Quia nemo tenetur cum tanto suo incommodo attendere & conservare commodum alterius; vnde si Marcus sciret crimen occultum Marciani ab hoc sibi secretò revelatum, posset illud ad seruandam suâ propriam vitam, & evitanda grauia incommoda manifestare, etiamsi inde mors & infamia Marcianum manerent, vt ex communi docet Lessius *L. 2 de Iust. c. 11. dub. 8. n. 54.* & sequentibus.

Resp. Marcum non posse licitè aperire Turcis secreta, ex quibus detectis grauia incommoda exercitui Catholico oriri possint, etiamsi varia tormenta sustinenda, & tandem durissima mors sit subeunda. Ita Pet. Navar. *L. 2. de Restit. c 4. n. 130.* Malderus *de Iust. Tr. 7. c. 1. dub. 10. & 11.* Facundez *in 8. præcept. Decal. c. 6. n. 10.* Dicast. *de Iust. Tr. 2. D. 12. n. 591.* & alij. Nam naturæ lumen nos docet, bonum commune (quod à secretis Regis, Reipubl. Exercitûs &c. frequenter dependet) præponere bono priuato. Cùm ergo arcana illa cõducant ad conseruationem, & prosperum progressum exercitûs Catholici, adeoque ad bonum commune, Marcus tanquam priuatus

tus homo quælibet acerba, atque ipsam etiam mortem pati priùs debet, quàm illa secreta hostibus pandat.

Ad rationem in oppositum dicimus, neminem quidem teneri cum tanto suo incommodo attendere & conseruare commodum alterius priuatum; at verò publicum, quale periclitatur in proposito; vnde etiam concedimus, Marcum aperire posse occultum crimen Marciani, modò illud absque vi & fraude acceperit, vt bene limitat Sotus *L. 5. de Iust. Quæst. 10. art. 2. ad finem*, quia eoipsò, quod per vim acceperit, semper est contra iustitiam, illud reuelare; licet enim peccatum extorsionis secreti præterierit, durat tamen adhuc, moraliter loquendo, in effectu suo, hoc est, in obligatione servandi secreti, ita vt effectus iniustitiæ per reuelationem continuetur, vt patet.

LXII. *Mennas in graue lapsus peccatum non audet istud exponere Confessario propter magnum incommodum, quod inde haud immeritò timet & tamen urgetur necessitate confessionis annuæ, nec copiam habet alterius Confessarij. Quæritur. 1. Vtrum Mennas istud peccatum omnino tacere possit, ita vt nec in genere illius faciat mentionem? 2. Si Mennas prædictum peccatum ob iustam causam in Confessione taceat, an illius procurare debeat perfectam contritionem?*

Quoad 1. partem casûs propositi videtur, Mennam illud peccatum saltem secundùm

genericam rationem confiteri debere, dicendo v. g. *feci peccatum mortale, & fortè in genere luxuriæ, sed non memini in qua specie*, scil. *vt hic & nunc fatear.* Ita Cardinalis de Lugo *de Pœnit. Disp.* 16. *n.* 532. Dedicastillo *de ead. Pœnit. D.* 9. *n.* 880. & alij, quos refert & sequitur Diana *P.* 11, *Tr.* 8, *Resol.* 45. Mouentur. Tum quia omne peccatum mortale, cuius quis habet conscientiam, est explicandum in Confessione, si absque incommodo explicari possit, vt habet communis ex Trident. *sess.* 14. *c.* 15. Atqui Mennas habet notitiam peccati mortalis; & secundùm genericam rationem eo, quo diximus modo, absque graui incommodo explicari potest. Ergo &c. Tum quia ex communi Authorum apud Layman *l.* 5. *Tr.* 6. *c.* 18. *n.* 7. peccatum mortale in genere est materia necessaria Confessionis. Atqui istud peccatum Mennæ secundùm eam rationem, quâ explicari potest, est tale. Ergo &c.

Quoad 2. partem videtur, Mennam teneri ad perfectam contritionem, sicut tenetur Sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius vult celebrare, & non habet copiam Confessarij, vt habet communis DD.

Resp. 1. Mennam omnino tacere posse peccatum illud: nullam etiam in genere eius mentionem faciendo. Ita planè communis AA. apud Palao *Tr.* 23. *Disp. vnic. pun.* 11. *n.* 3. qui absolutè asserunt, quando necessitas vr-

get

get confitendi suo Parocho, cui sine graui periculo animæ, corporis, famæ, aut fortunatũ proprio vel alieno peccatũ aliquod significari nequeat, tunc, eo prætermisso, posse reliqua explicari, & absolutionem postulari. Ratio est. Tum quia integritas Confessionis materialis est de jure positiuo. Ergo non obligat in tali difficultate, cum lex Christi sit suauis. Tum quia incommodum excusans ab integritate materiali afficit peccatum, prout hoc indiuisibiliter se habet à parte rei. Ergo quoad totam rationem, non tantùm quoad specificã, eximit illud ab onere confitendi. Tum quia periculum incommodi incurrendi manet, si sola etiam ratio generica exponatur. Nam statim Confessarius interrogabit de specie aut circumstantia tacita. Si ergo Mennas neget absolutè, confitebitur aliud peccatum, quàm fecerit: si restrictim, hocipsò præbebit occasionem suspicandi. *Atque hinc patet ad argumenta in contrarium.* Nam inprimis confiteri tenemur quoduis peccatũ mortale, cuius conscientiam habemus, si absque incommodo graui possumus, quod non est in præsenti casu. Deinde verum est, peccatum mortale in genere esse sufficientem materiam, sed non quouis in casu necessariã, quando scil. eximitur vel ratione specificæ rationis, cum qua vnum indiuisibile peccatum à parte rei constituit; vel ratione periculi, quod eti-

am in generica ratione ſpectatum adhuc habet, quorum vtrumque accidit in caſu noſtro: neutrum verò, ſi aliquis præcisè meminit peccati alicuius in genere à ſe commiſſi, non autem quale fuerit in ſpecie; Vnde nulla eſt paritas.

Reſp. 2. Mennam, ſi cætera confiteatur, non teneri ad contritionem perfectam illius taciti peccati. Ita ex communi Lugo Diſp. 16. cit. num. 533. Ratio eſt, quia peccatum ex iuſta cauſa tacitum habet ſe inſtar illius, quod ex inuincibili ignorantia non occurrit in Confeſſione; certũ autem eſt ex Trident. ſeſſ 14. c. 5. hoc indirectè in Sacramento etiam per ſolam attritionem remitti. Ergo & illud. Ad rationem in contrarium negatur paritas, ſiquidem peccatum iſtud Sacerdotis celebraturi non remittitur vi alicuius Sacramenti. Ergo mirum non eſt, requiri ad hoc contritionem perfectam ante celebrationem: non autem in caſu noſtro.

LXIII. *Milus Sacerdos ob frequentes inter orandũ diſtractiones ſubinde dubitat de tota hora, ſubinde de pſalmo, an recitârit, quæ idcirco nõ rarò ex integro repetit, tandẽ verò pertæſus ſcire cupit, an teneatur repetere. Quæritur, quid ipſi dicendũ?*

Videtur teneri. Nam legi certæ eiuſque obligationi non ſatisfit ſolutione incertâ & dubiâ, cùm præſumptio ſtet pro lege contra libertatem. Ita Thom. Sanchez *L. 1. in Decal.*

ti 10. *n.* 12. Palao *Tr.* 1. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 7. Arriaga *in* 1. 2. *Tom.* 1. *D.* 25. *n.* 11. & plures alij.

Resp. Cum Navarr. *Tom.* 2 *operum de horis Canonicis c.* 13. *n.* 29. non teneri Milum repetere, modò non recordetur, se non dixisse, aut sciat probabiliter, se omisisse. Ratio est, quia ad deponendum dubium sufficit coniectura leuis. v. g. quod meminerit aliquorum verborum, quæ continentur in illo psalmo, vel hora, & se incępisse, ac librum tenuisse. Adhæc iudicandum pro libertate, quoties lex incommoda alicui vel molesta accidit, quantūvis stet pro illa præsumptio, vt cùm alijs docet Salas *in* 1. *secundæ Tr.* 8 *disp.* vnic. sect. 25. *n.* 295. Atqui incommodum & molestum accidit Milo præceptum de horis can: si propter dubium quoduis superveniens repeti debeat hora vel psalmus. Ergo pro libertate iudicandum, scilicet præcepto satisfactum esse. Vnde etiam Homobonus *in Consult. Cas. Conscientiæ Vol.* 2. *p.* 5. *Resp.* 210. prudenter ait, timoratos non bene facere iterum repetendo, & Confessarium hoc prohibere ipsis debere ad scrupolos cauendos. *Atque ex his* patet ad rationem in contrarium.

LXIV. *Nemotius maritus carnaliter cognoscit Mosiam, probè conscius, hanc esse consanguineam vxoris suæ in secundo gradu, & accessum hunc specialiter ab Ecclesia esse prohibitum: ignarus interim, illum esse veritum sub tali pœna, quæ*

iure petendi debitum priuet. Quæritur. Vtrum impediatur à petitione debiti, & dispensatione indigeat?

Videtur impediri & dispensationem requirere. Ita Henriquez *l. 11. c. 15. n. 11.* Basilius Pontius *l. 10. de Matr. c. 6. n* 12. Mart. Perez *de Matr. D. 52. sect. 5. n. 6.* & plures alij. Mouentur. 1. Quia hæc ignorantia non excusat à culpa. Ergo nec à pœna, cùm hæc illum tanquam effectus causam suam consequi soleat. 2. Quia Deus & homines frequenter puniunt reos, etiamsi pœnam scelerum suorum ignorauerint, aliàs etiam excusarentur fortè non pauci ab inferno, quod eum non resciuerint. 3. Mulier interficiens virum suum, vt cum adultero suo contrahere possit, non euitat pœnam & impedimentum criminis, etiamsi istud ignorauerit, vt communis habet D.D. Ergo &c.

Resp. Nemotium ob ignoratam pœnam commissi incestûs non impediri inde à debiti petitione, adeòque nec dispensatione indigere. Ita Palao *Tom. 1. Tr. 2. D. 1. pun.* 17. *n.* 8. & nonnulli alij, quos refert & sequitur Dian. *Part. 3. Tr. 5. Resol.* 12. Ratio est, quia pœnæ nouo iure ab Ecclesia statutæ non incurruntur ab ignorante illas inuincibiliter. vt tanquam probabilius docet Sanchez *in Decal. l. 4. Cap.* 22. *n.* 18. quod maximè verum est, & communiter conceditur ab alijs, si istæ pœ-

næ sunt extraordinariæ, & eas reus in seipso saltem priuatiuè debeat exequi, vt fit in proposito. Confirmatur. Censuræ Ecclesiasticæ etiam irregularitas non contrahuntur ab ignorantibus, vt communiter docent Authores. Ergo nec aliæ pœnæ Ecclesiasticæ similiter ignoratæ incurruntur.

Ad 1. in contrarium. Negamus consequentiam, cùm culpa non æquè ignoretur: nec inter hanc & pœnam ex natura rei sit connexio talis, qualem effectus naturalis cum sua causa habet. *Ad 2.* Dicimus Deum & homines punire facinorosos pœnis ignoratis eò, quod pœnæ istæ (etiam infernus respectu peccati mortalis) ordinariæ censeantur, & saltem in genere cognoscantur; scimus quippe malum puniri, & transgressores legum non esse immunes à pœna saltem ordinariâ. *Ad 3.* Negat Antecedens post Paludanum *in 4. Sent. Dist. 34. q. 1. n. 17.* & alios Baucius *in miscellaneis casuum Conscientiæ Tom. 2. Opusc. 1. q. 176.* ratus, impedimentum hoc invincibiliter ignoratum non incurri: quia est ab Ecclesia impositum in pœnam delicti. Sed hoc difficile est, & graues habet sequelas, ideoque contrarium ex communi aliorum TT: dedimus *Cent. 2. cas. 54.* vbi etiam citatum Authorē adduximus, & disparitatē dedimus.

LXV. *Nicasius Aduocatus suscipit causam Lucij, quam tamen putat minus esse probabilem, quàm sit causa Lucioli, qui contra Lucium agit.*

Post

Post aliquod autem tempus certò cognoscit, inter partes contrarias Lucium scil. & Luciolum, causam huius esse probabiliorem, quàm illius. Et licet non videat Nicasius, vnde causa Lucij possit apparere vel æquè probabilis, vel probabilior, quàm Lucioli; nihilominus pergit causæ Lucij minus probabili patrocinari. Quæritur. An licitè?

Videtur licitè agere. Ita Nauar. *in Sum. c.* 28. Azor. *Tom.* 1. *l* 2. *c.*17. *q. vlt.* Thom. Sanchez *l.*1. *in Decal. c.*9. *n.* 51. Salas, Less. Præposit, Layman, Palao & plures alij, quos refert & sequitur Diana *P.* 9. *Tr.* 8. *Res.* 42. Tum quia Aduocatus prudenter agit, dum sententiâ ductus probabili patrocinatur. Tum quia Aduocati munus tantùm est, proponere fundamenta partis suæ, & Iudici examinanda relinquere. Tum quia Lucius in hoc casu potest per se ipsum agere. Ergo etiam per alium, & consequenter alius pro ipso.

Resp. Etsi hæc sententia magnam habeat probabilitatem tum ex authoritate, tum ex ratione adducta, probabilius tamen esse, Nicasium illicitè perrexisse patrocinando. Ita Valentia 2. 2. *P.* 5. *q.* 15. *p.* 14. Sylvester *V. Aduocatus q.* 13. & nouissimè Arriaga *Tom.* 3. *D.* 24. *s.* 5. *num.* 27. Prob. 1. Nemo potest suâ actione directè eò conniti, vt alter iniquè aliquid committat, vt per se clarum videtur. Atqui in præsenti casu Nicasius directè id molire-

moliretur, vt Iudex iniustè aliquid decideret; quippe ageret, vt Lucius causam obtineret cum minore jure, certus pro Luciolo maius stare. Ergo &c. Prob. 2. Aduocatus in causa sanguinis, & amissionis omnium bonorum non potest patrocinari causæ minùs probabili contra eam, quã certò cognoscit probabiliorem, vt Malderus, Martinez & alij docent apud Dian. *P.2. Tr.13. Res.4.* cur hoc? profectò non aliam ob causam, quàm quod non liceat id moliri, vt Iudex iniquè contra illum procedat, pro quo maiora stant jura. Ergo cum hæc causa pro omni casu militet, nunquam Aduocato contra meliora jura partis aduersæ pugnare licebit. Confirmatur. Contraria sententia nec bono communi, nec saluti propriæ ipsorum Aduocatorum consulit; *non bono communi*, quia vehementer inde nutriuntur lites, dum Aduocati quasuis suscipiunt & producunt causas, nunquam, vt sibi videntur, probabili ratione destituti: *non saluti propriæ ipsorum Aduocatorum*, quia hâc sententiæ benignitate præoccupati nõ declarant Clientibus suis causam Aduersariorum esse probabiliorem (ad quod tamen ex communi TT. sub peccato mortali tenentur) sed fere semper victoriam spondent, & spe deludunt inani, donec miseri isti Clientes & jure & rebus suis cum dolore videant se priuatos. Vnde Diana *loc. cit.* non veretur dicere, plurimos

mos ex Aduocatis fœdè in peccata mortalia labi, æternúmque Aduocato Christo destitutos jure Cœli ac Beatitudinis priuari.

Ad 1. in contrarium distinguimus; prudenter agit, qui probabili ratione ductus patrocinatur, si non certò sciat, causam alienã esse probabiliorem suâ, & nihil se contra jura meliora effecturum, concedimus: secus, negamus. In proposito autem certò scit Nicasius, causam Lucioli Aduersarij esse probabiliorem, & nihil se effecturum nisi contra meliora huius jura violata; quomodo ergo non directè aget, vt ipsi res sua jniustè auferatur? *Vnde ad 2.* dicimus, Aduocatum, cui liquet, jura pro parte aduersa esse probabiliora, non amplius proponere merè fundamenta suæ partis, & Iudici relinquere examinanda, sed instare apud istum, vt iniustè decernat, quod procul dubio illicitum. *Ad 3.* negamus anteced. si enim omnibus adhibitis diligentijs iam constet Lucio, jura sua minora esse, & cedere juribus Lucioli, quomodo licitè amplius instare contra istum, & petere aliquid contra meliora jura ausit?

LXVI. *Nicetius debet Myseto trecentos florenos in signato auro ante triennium mutuò ab isto acceptos absque alia tamen conventione. Nunc debitum suum expuncturus numerat eidem totidem florenos, sed in meris sestertijs, quos accipere recusat Mysetus solutionem in auro requirens, sicut debitum*

bitum in eodem fuit contractum. Quæritur. Vtrũ Nicetius teneatur Myseto in auro satisfacere?

Videtur teneri. Ita Bartolus *in Leg. 1. §. vlt. ff. de auro & argento legato*: Panormitanus *in cap. quanto, de solution.* Covar. de *veter. Numismat. collat. c. 3. §. vnic.* & alij. Tum quia aliud pro alio, invito creditore, solui nõ potest. *l. 2. §. 1. in fin. ff. de rebus creditis.* Tum quia mutuum eâdem bonitate, quâ datum est, eodemque genere reddi debet. *L. 3. ff. eodem.* Atqui hoc non fit, cùm pro auro argentum restituitur; siquidem aurum multis partibus præstare argento, nemo ignorat. Tum quia Nicetius pro vino concesso non tenetur accipere frumentum, salem &c. vt fatentur omnes ex natura mutui & varijs iuribus. Ergo nec pro ducatis sestertios.

Resp. Nicetiũ, seclusâ particulari cõventione, satisfacere numerando trecentos florenos in quauis probata moneta argẽtea. Ita Fachinæus *L. 2. Controuers. c. 50.* Molin. *Tr. 2. D. 299. §. iura.* Rebellus *part. 2. L. 8. q. 1. Sect. 1. in fine.* Palao *Tr. 32. D. 4. pun. 1. n. 9.* & alij. Ratio est. Quia nobilitas materiæ acceptæ compensatur quantitate & valore pecuniæ solutæ; siquidem id, quod maximè in pecunia spectatur, est valor eius extrinsecus, & æstimatio. *L. 1. ff. de contrahenda empt.* vbi habetur: *eaq; materiæ formâ publicâ percussa vsum dominiumq; non tam ex substantia præbet, quàm ex*

quan-

quantitate. & l. vnica. C. de argenti pretio, quod thesauris infertur, inquit Imperator, in publicis collationibus, liceat pro 20. libris æreis vnum auri solidum, & pro singulis argenti libris quinos æreos inferre.

Ad 1. & 2. argumentum in contrarium dicimus, in proposito non solui aliud pro alio, nec in diuersa bonitate & specie, cùm in pecunia non materia illa externa, aurum scilicet & argentum, sed valor spectetur, indeq; eius substantia, qualitas, & bonitas æstimetur, ac sub ratione quantitatis ac valoris eadem pecunia in mutuum deducatur. *Ad 3.* negamus consequentiam; nam cùm frumentum datur pro vino, res alterius generis dari censetur: non verò cùm pro Ducatis dantur Sestertij, quippe tunc idem prorsus, quod datum est, redditur, nimirum valor seu æstimatio; siquidem nummi aurei nõ differunt genere ab argenteis alijsúe, si illorum substantia non ex materia externa, sed ex quantitate, valore, & potestate æstimetur

LXVII. *Nimmia mulier maritata vouit in necessitate quadam quotidie in honorem B. V. MARIÆ recitare officium maius, & 150. Aue Maria, ac 15. Pater noster, si eius ope ex necessitate illa eriperetur. Sensit auxilium, ideóque votum suum confirmauit. Sed nunc non nisi valdè languidè & distractè debitum persoluit, & factæ promissionis omnino pertæsa rogat Confessarium, quem nouit*

habere

habere potestatem vota commutandi, vt votum illud in aliud commutet. Annuit iste, & loco omnium, quæ vouit, quotidie ipsam audire Sacrum, recitare vnum Rosarium, & singulis mensibus sacram Communionem sumere iubet, quæ omnia Nimmia ante votum editum sponte suâ facere solebat. Quæritur. Vtrum Confessarius rectè commutationem istam fecerit?

Videtur malè illam fecisse. Tum quia nulla iusta adest causa huius commutationis faciendæ, quam tamen requiri, quando non fit in rem manifestè meliorem docent Laym. *l. 4. Tr. 4. c. 8. n. 22.* & communiter alij. Tum quia eadé commutatio non est in rem æqualem, vt patet, sine qua & euidentia huius æqualitatis non fieri commutationem, communiter docent DD. Tum quia si etiam commutatio esset in rem euidenter æqualem, non tamen posset fieri à simplici Sacerdote, vt docent Suarez *Tom. 2. de Relig. l. 6. de voto. c. 19. n. 6.* Sanchez, Layman, alij. Sed necessariò prouenire debet à iurisdictione in foro externo, cùm sit diminuta quædam dispensatio, & debiti remissio nomine Dei facta.

Resp. Confessarium rectè commutationem illam fecisse in votis Nimmiæ. Ita Lessius *L. 2. de Iust. c. 40. dubit. 16. n. 105.* Sà, Henriquez, & alij. Probatur. Confessarius etiam simplex potest cuilibet votum mutare in rem euidenter meliorem, aut etiam æqualem, At-

qui res, in quã facta est commutatio, est euidenter melior, aut saltem æqualis priori. Ergo in hanc potuit Confessarius votum Nimmiæ mutare. Ma. de re euidenter meliore est certa apud omnes, cùm in omni voto intelligatur hæc conditio inclusa: *voueo hoc, nisi voluero promissionem hanc commutare in aliam DEO gratiorem.* Eandem Ma. de re euidenter æquali tenent citati Authores, cuius ratio est, quia Deus & Sancti non tantùm acceptant, gratumque habent, quod est melius, sed etiam quod est euidenter æquale. Ergo vtrumque ex illis duobus etiam post votum eligi potest, cùm ex neutro maior Dei vtilitas accidat, vti subinde fit apud homines. Nunc etiam probatur Min. ex eo, quod melioritas vel æqualitas materiæ commutandæ non debeat spectari physicè, sed moraliter, vt ex communi docet Palao *Tr. 15. de votis. D. 2 p. 16. num. 4.* Vnde etiam Barthol. Berteau *in Directore Confess. de 2. præcept. Decal. pun.* 4. ait, non requiri exactam aliquam determinationem pro materia commutationis; licet enim illa sit minor, quàm fuerit prior materia, si tamen sit gratior Deo, quia scilicet promptiùs & deuotiùs perficitur, pluris etiam æstimanda est. Sed res, in quam Confessarius votũ commutauit, promptiùs à Nimmia suscipitur, deuotiùs persoluitur, constantiùs peragitur, ideóque DEO gratior accidit. Ergo non tantùm

est

est euidenter æqualis priori, sed etiam meliore

Ad 1, In contrarium dicimus, non requiri causam pro commutatione in rem euidenter meliorem, vt docent communiter DD. imò etiam in euidenter æqualem, vt docet Villatobus apud Dian. *P. 3. Tr. 5. Resol. 25.* Sed esto requiratur, ea hîc non deest, nempe ardens petitio Nimmiæ, maius solatium, promptior & deuotior executio, quam sufficere, admittit ipse Lay: *loc. cit. num. 23.* *Ad 2.* patet ex dictis. *Ad 3.* Negamus, eam commutationem, quæ non est in rem minorem, sed euidenter meliorem, aut saltem æqualem, non posse fieri à simplici Sacerdote, cùm ad hoc non requiratur singularis potestas, hocipsò, quod non sit ablatio aut diminutio, sed tantùm translatio voti.

LXVIII. *Ordonius vir Catholicus & illustris in bello nupero Sueco - germanico sæpè audiuit Hattonem Colonellum Suecicum mentionem facere de munitione quadam Catholicorum Regi suo per proditionem breui aquirenda. Quod malum, vt certò sciret, & pro posse suo impediret Ordonius, familiariorem se exhibuit Hattoni, & in ædes suas inuitatum frequenti haustu ita vrsit, vt tandem ebrius secretum illud futuræ proditionis evomeret. Quæritur. Licitène id fecerit Ordonius?*

Videtur licitè fecisse. Ita *P. Lessius lib. 4. de virt. card. c. 3. dub. 4. n. 33.* Mouetur. Quia licitum est ex communi fere DD. inducere

ad minus malum, & istud suadere ei, qui est iam determinatus ad committendum multò grauius. Atqui in proposito Ordonius nihil facit aliud. Ergo &c. Lessio favet Diana P.6. Tr 7. Res 43. vbi sententiam hanc probabilem censet.

Resp. Ordonium illicitè fecisse vrgendo Hattonem ad voluntariam ebrietatem. Ita præter alios P. Layman. *lib* 3 *s.* 4. *n.* 6. Ratio desumitur ex regula hac communiter recepta. Nunquam licitum est, inducere aliquem ad actionem, quæ ita intrinsecè mala est, vt absque peccato fieri nequeat. Atqui voluntaria ebrietas voluptatis causâ facta, ita intrinsecè est mala, vt sine peccato fieri non possit. Ergo &c. Non refert, ebrietate hâc grauius impediri malum; quippe non sunt appetenda & facienda mala, vt eveniant bona; etsi permitti possint. Itaque in præsenti casu Ordonius propinare posset Hattoni fortissimum vinum, cuius ille virtutis ignarus esset, & ad hoc liberaliter bibendum inducere; quia tunc non induceret in formalem ebrietatem, sed materialem dũtaxat, qualem ebrietatem, quæ præter intentionem bibentis contingit, ideoque peccatum non est, causare in alio ob damnum Reipubl. aut etiam vni tertio impediendum, optimè honestatur, vt rectè cit. Author. Sed dices, secundum hunc ipsum Authorem, posse aliquem scienter se inebriare ad

mortem

mortem euitandam. Esto hoc. Quia iam nõ fit istud voluptatis causâ, sed ob alium honestum finem; quamuis illud contra Layman, Lessium & alios neget Wigger *c. 2. de Temp. dub. 5. n. 26.* de quo infra casu vlt.

Ad rationem in contrarium dicimus, tunc solùm licitum esse, consulere minus malum parato grauius committere, si consulas minus malum, quà formaliter minùs est, hoc est, si suadeas diminuere malum cogitatum, ne integrè & in totum cõmittatur; etenim sic rem honestam consulis, scil. à grauiore malo desistentiam: Secus verò, si suaderes directè fieri id, quod in se malum est, etsi alterius grauioris comparatione sit levius, quia consilium est de re iniquâ, ac proinde iniquum. vt latè probat Palao *tr. 6. D. 6. de scandalo. pun. 6. n. 12.*

LXIX. *Osvvaldus rusticus in oppido Laboft prope templum habitans subitâ tangitur appoplexiâ; & cum in mortis articulo constitutum se videat, mittit mox ad Parochum rogans, vt SS. Sacramentis munire se extremè decumbentem dignetur. Verùm Parochus tum temporis domi non erat, & nec ipse, nec vllus alius Sacerdos aut Clericus intra sex horas haberi poterat, ad quod spatium minimè æger victurus putabatur. Ne igitur Osvvaldus sine omni Sacramento moriatur, ædituus sciens pyxidem, & sacras aliquot hostias ibi clausas, clam eam ad ægrum defert, & acceptâ inde S. Hostiâ Osvvaldum communicat, iterumq; loco*

suo reponit. Quæritur. Rectène ædituus Laicus Osvvaldum in extrema hac necessitate communicauerit?

Videtur non rectè fecisse. Ita Sotus *in 4. Dist. 13. q. 1. art. 3. ad fin.* quem sequitur Lugo de Eucharist. *D. 18. n. 22.* quorum ille contrariam opinionem vocat intolerabilem: iste verò suam sententiam affirmat communem. Moventur. Tum Authoritate Conciliorum Niceni, Arelatensis, Carthaginensis & aliorũ, quæ soli Diacono, vrgente necessitate, hoc concedunt. Tum maximè vniversali consuetudine Ecclesiæ vim legis habente.

Resp. Probabile esse, ædituum, secluso scandalo, deferendo & ministrando Sac. Eucharistiam Osvvaldo in extremis constituto non peccâsse, adeoque licitè egisse. Ita Suarez, Vasquez, Valent. Heinriquez, Reginal. Filliucius, Coninck, Layman, Bonac. Sà, Lessius, Granadus, Præpositus, Tanner, Lezana, Leander, Escobar & alij, quos referunt & sequuntur Palao *Tom. 4. D. vnic. pun. 17. n. 8.* Diana *P. 9. Tr. 6. Resol. 39.* & Dicastillo *D. 11. de Euch. n. 92.* Probatur. Tum quia nullo iure diuino Laicis interdicta est Eucharistiæ ministratio: nec iure Ecclesiastico in extrema necessitate, qualis in casu ponitur. Tum quia olim moris erat, vt Laici in manus sumerent S. Eucharistiã, secumq; domum deferrẽt pro sua commoditate sumendam, testaturque

Euse-

Eusebius *l. 6. Hist. c. 16.* olim viros sanctos misisse viaticum per Laicos, vrgente necessitate. Tum quia etiamnum licet Laico tollere & tangere S. Hostiam, quæ in terram decidit, cur ergo non liceat æditui, eam deferre & ministrare moribundo? sicut sibimetipsi sanctè ministrauit Maria Regina Scotiæ, antequam in Anglia Martyrium subiret; nam hîc locum non habet *c. peruenit de Consecratione. Dist. 2.* vbi prohibetur Laico S. Hostiam attingere, cedit quippe in tali euentu jus istud humanum præcepto diuino, quo fideles in articulo mortis communicare iubentur.

Ad 1. in contrariũ dicimus, inde non inferri, Laicis denegatũ hoc esse, sed solùm, non esse illis expressè concessum: at bene tacitè & interpretatiuè spectatâ Ecclesiæ pietate. *Ad 2.* dicimus, de consuetudine non posse constare, quia hic casus rarissimus est, non occurrente autem casu, consuetudo contraria probari nõ potest. Adhæc argumentum hoc probat solùm, deesse aliquos viros doctos, qui nouerint opinionem hanc: & prudentes homines, qui in angustijs id vel aduertant, vel disponant in oppidis & pagis, vbi desunt Sacerdotes; aliàs dicam etiam, Diaconos licitè deferre & administrare S. Eucharistiam non posse moribundo in defectu Sacerdotis, quia ipsos ratò aut nunquam videmus istud factitare, vt bene notat Dicastillo *n. 93.*

LXX. *Philemon histrio comœdias exhibet variis modis sat lasciuas, & tamen permittit Magistratus, ac frequens accurrit populus ad spectandum. Quæritur. 1. Vtrum Magistratus peccet permittendo? 2. Vtrum peccent spectatores? 3. Si aliqui non peccent ratione periculi, vtrum saltem delinquant ratione scandali, quatenus Philemonem & cæteros histriones ad turpia exhibenda excitant?*

Videtur peccare mortaliter Magistratus permittendo. Ita Mendoza *de Spe & Charit. D. 173. §. 377.* Ratio est, quia malum publicum permitti non potest, nisi intuitu alicuius deterioris euitandi, quod in proposito non accidit. Ipsos etiam spectatores grauiter peccare, docet idem Auth. *D. cit.* §. 367. quia pretio suo histriones in malo suo statu fouent, alunt, conseruant; esto aliàs ex parte ipsorum spectatorum nullum adsit periculum.

Resp 1. Magistratum non peccare, si solùm permittat histriones ad aliquod tempus maioris alicuius mali euitandi gratiâ. Ita Baldellus *Tom. 1 l 3 D. 18. n. 13.* Ratio est, quia permissio hæc in finem licitum (euitandam scil: maiorem populi licentiam) est solùm tolerantia, qualis etiam habetur circa meretrices; nec enim approbatur, quod hoc modo toleratur. *cap. Meretr. 34. q 4.* Resp. 2. eos, qui intersunt comœdijs ob solã curiositatem vanam, non peccare mortaliter, etiam si repræsen-

præsententur res turpes. Ita Bonacina *de Matr. q.4. pun.9. n 21.* post Sanchez, Filliuc. & alios, vt ait, communiter. Ratio est, quia, vt supponitur, abest periculum lapsûs: & delectatio non transit in rem repræsentatam. Resp. 3. Eosdem spectatores nõ peccare ratione scandali. Ita Baldellus *loc. cit. n.* 11. Bardi *in select. l.9.q.2. s. 15. n.5.* Ferrandinus *de scandalo. D. 1. q.64. n.36.* & alij apud Dianam tum alibi, tũ *P.11. Tr.5. Resol.52.* Prob. hâc fundamentali ratione. Quicunque non influunt & nõ causant ruinam proximi, non committunt peccatum scandali actiui, vt consentiunt omnes, & patet ex definitione scandali actiui, quod ex S. Thoma 2.2. *q. 43. art. 1.* D. Hieron. & Glossa Matth. 18. definitur *opus minùs rectum præbens proximo occasionem ruinæ* scil: influendo in hanc & causando eam. Atqui spectatores soluendo pretium histrionibus non influunt in ipsorum actiones & verba turpia. Ergo &c. Prob. Min. Quandocunque malum aliquod ab altero iam omnino ad illud parato petitur, tunc nõ fit influxus, nec datur causa illius mali à petente, vt præter citatos docent Suarez *Tom. 4. in 3. part. D. 22. s. 4. n.18.* vbi ait, non adesse circumstantiam scandali, si petas ab omnino parato, & Palao *Tr. 6. D. 6. p.10. n.3.* Sed Philemon eiusque socij histriones sunt omnino parati ad exhibendas comœdias. Ergo auditores non influunt & non

causant actiones eorum malas, sed perinde se habent, ac si dicerent ad histriones illos: non cupimus, vt vestras exhibeatis comœdias sat obscœnas, si tamen ex hypothesi & vltraneâ mentis determinatione exhibituri sitis, siue hác stante conditione, quod exhibere illas intendatis omnino iam determinati, hanc offerimus pecuniam, vt locum ad videndum concedatis. *Atque sic* etiam patet ad rationes in contrarium.

LXXI. *Polychronius vir nobilis & pius legavit pijs locis omnes annuos reditus per decennium ex Iurisdictionibus A. & B cum obligatione Missæ perpetuæ. Istæ Iurisdictiones vindicantur alteri domino. Quæritur. Quid fiat hoc legato? An hæres alioquin diues ex alijs hæreditatis bonis satisfacere teneatur?*

Videtur hæres non teneri. Tum quia legatum rei alienæ, quam testator ignorabat esse alienam, non valet, vt vniversim docet Couarr. *in C. filius noster. n. 4.* aut saltem, nisi legatarius sit persona coniuncta v. g. Vxor vel Consanguineus, vt cum plerisque alijs docet Dicastillo de *Iust. L. 2. Tr. 19 D. 2. n. 118.* Atqui præsens legatum est rei alienæ ignoratæ, nec sit personæ coniunctæ. Ergo &c. Tum quia quandocunque res, vnde præstatio legati fieri debet, ponitur in eadem oratione, & non in diversa, tunc deficiente re illâ, deficit eiusdem dispositio per legatum, & demon-

stratio

stratio ipsius vitiat legatum, vt ex Bartolo, Decio, Castro, & alijs Iuris Consultis docet Sanchez *L. 4. moral. Concil. c. 2. Dubit. 18. n. 2.* Sed in Casu nostro res, (nimirum reditus annui ex Iurisdict. A. & B.) vnde præstatio legati fieri debet, ponitur in eadem oratione; dicit enim Polychronius: *Lego huic loco pio omnes annuos reditus per decennium ex Iurisdictionibus A. & B.* Ergo re illâ deficiente, aut intereunte per vindicationem alterius domini, deficit & interit dispositio de eâdem. Ergo hæres ad nihil vltra tenetur.

Resp. Polychronij hæredem obligari pro reditibus annuis alteri domino vindicatis ad satisfaciendum ex alijs hæreditatis bonis. Probatur 1. Si Polychronius testator cogitâsset, Iurisdictiones A. & B. alteri domino vindicandas, & reditus annuos ex eis impediendos, vero simillimum est, ipsum ex alijs suis bonis prouisurum fuisse. Ergo sicuti tunc aliunde fuisset prospectum, ita etiam nunc iudicandum, ex alijs hæreditatis relictæ bonis satisfieri debere. Argumentum hoc continet vniversalem regulam, quam plurimùm valere, & ex ea interpretationem à Iudice fieri debere, tum in alijs, tum maximè in dispositionibus ad pias causas, qualis est præsens, docet ex communi Authorum Aloysius Riccius *in praxi Tom. 2. P. 3. Resol. 364.* Confirmatur idem argumentum. Finis principalis in hoc casu est

refrige-

refrigerium animæ. Ergo cum anima cunctis bonis præferatur *L. Sancimus. C. de Sacrosanct. Eccles.* Omnia bona testatoris censentur obligata pro refrigerio illo animæ procurando. Ergo, pereunte vno partiali bono in hunc finem designato, non tollitur obligatio, sed tantùm tranfertur quasi, & inhæret reliquis bonis restantibus. Probatur 2. Polychronius testator prædictos reditus non reliquit pro mera Eleemosyna, sed pro onere missæ perpetuò dicendæ, quam veluti Beneficiũ quoddam erexit & dotavit. Ergo cùm talis dotatio habeat se ad instar dotis muliebris, & tacitam hypothecam inducat, vt præter alios docet Pax Iordanus *Volum. 2. Elucubrationum L. 10. tit. 7. n. 51.* obligatur hæres ex alijs Polychronij bonis, vtpote hypothecatis, satisfacere pro illis reditibus alteri domino vindicatis. Probatur 3. Si testator leget 100. aureos pro missis 300. in aliqua Ecclesia dicendis, & stipendium Sacerdotibus præstandum augeatur, obligatur hæres, supposità hæreditatis capacitate, ex alijs bonis augmentum superaddere, & defectum supplere, vt docent August. Barbosa *de Potest Episc. P. 2. Alleg. 29. n. 7.* Diana *P. 2. Tr. 14. Res. 17.* & plures apud hos. Ergo etiam in nostro casu tenetur hæres ex alijs hæreditatis bonis defectum seu interitum redituum assignatorum pro missa perpetua supplere. Consequentia patet à paritate

ratio-

rationum & circumstantiarum; nam 1. in vtroque casu non dantur 100. aurei & reditus annui pro mera Eleemosyna, sed pro sacris dicendis. 2. in vtroque casu hæreditas relicta est sufficiens ad defectũ istũ ex alijs bonis supplendum. 3. in vtroque casu rationabiliter & legitimè præsumitur mens testatoris, quod scilicet non voluerit, vnquam minui aut tolli missas, vel celebrari absque iusta recompensatione, sed potius statuerit, hunc defectum aut interitum suppleri ex alijs suis bonis, vt bene Riccius *loc. cit.* Ex quibus omnibus clarè habetur, designationem illam annuorum redituum ex his Iuris dictionibus non esse *Substantiam* Legati, sed merum *modum*, vnde recuperetur; modus autem etsi pereat, remanet tamen substantia, vt ad præsentem quæstionem ait Sanchez *loc. cit.*

Ad 1. in Contrarium dicimus ab hac doctrina, quam continet maior obiectionis, excipi legatum ad pias causas, vt docent Anton. Gomez *Tom. 1. Variarum Resol. c. 12.* Cardin. de Lugo *de Iustit. D. 24. n. 266.* & alij communiter. Atqui legatum in nostro casu est ad pias causas. Ergo excipitur.

Ad 2. Supponi in Minore, quod non probatur, scilicet in vna eademque oratione totum legatum contineri, de quo consulendæ sunt ipsæ litteræ. Interim dato hoc, non concesso. Distinguitur Mai: cũ Riccio & Sanchez

loc.

loc.cit. Si aliunde mens & intentio testatoris nõ legitimè & sufficienter cognoscatur, cõceditur: secus negatur. In proposito autẽ mentẽ & intentionem Testatoris in contrarium legitimè & sufficienter aliunde cognosci, ostendunt abundè allatæ rationes. Quare Molina *de Iustit. Tom.* 1. *Tr.* 2. *D.*196. ait, ex coniecturis & fundamentis allatis non tantùm in foro interno, sed etiã externo præsumendũ, & à Iudice decernendũ esse, testatoris volũtatẽ fuisse, vt, si præter opinionem res legata cognosceretur aliena, ideòque ab altero Domino vindicaretur, tantundem ex alijs suis relictis bonis substitueretur.

LXXII. *Popo vir quidam nobilis ac diues, dum nuper in syluis oberrat, manifesta indicia metalli deprehendit. Conuenit ergo mox Dominum fundi, nullaque eius, quod deprehenderat, mentione factâ ab eodẽ emit communi pretio fundum illum; in quo empto vix incipit fodere, statim diuitem venam metallicam inuenit, ac longè maximum inde lucrum eruit. Quæritur. Vtrum Popo communi pretio emere potuerit fundum, in quo solus nouit latere venam metalli?*

Videtur non posse. Ita Vasquez, Turrianus, & alij, quos refert & sequitur Diana *part.* 9. *Tr.* 5. *R.* 17. Tum quia non seruatur æqualitas inter rem venditam & pretium, cum illa non tantùm duplo (vbi tamen iam locũ habet *l.* 2. *C, de rescind. vend.*) sed centuplo, imò mille-

millecuplo huic præstat. Tum quia Dominus fundi ignorat hanc venam metallicam. Sicut ergo ab ignaro rustico non potest emi gemma vili pretio, ita nec in proposito vena metallica. Tum quia dolus suus nemini, adeòq; nec huic emptori debet prodesse. *l. 1. ff. de dol.* Tum quia venæ metallicæ per se sunt magnæ æstimationis. Ergo non cedunt vilissimo fundo, & in pretio huius comprehenduntur, sicut nec pictura Apellis aut Parrhasij venit in accessione & pretio vilissimæ tabulæ.

Resp. Poponem communi pretio emere potuisse fundum, in quo nouit latere venam metallicam. Ita apertè Cardin. de Lugo *de Iustit. D. 6. n.* 128. & hoc teste consequenter ij, qui hoc asserunt de thesauro latente in alieno fundo, quos in magna copia allegat *n.* 126. Ratio fundamentalis est, quod pretium illud commune sit iustum; nam pretium rei iustũ non sumitur præcisè ex maiori rei vtilitate, sed communi hominum æstimatione. Atqui fundus ille, in quo vena metallica latet, iuxta communẽ hominum æstimationem plus non valet. Ergo pretium est iustum, & hoc soluto Popo implet officium emptoris, non secus ac Pharmacopola, dum fascem herbarum communi pretio emit sciens aliquã ex illis magnæ esse vtilitatis, quæ venditorem latet.

Ad

Ad 1. argumentum in contrarium negamus, non seruari æqualitatem inter rem venditam & pretium, quia maior illa vtilitas fundi soli Poponi cognita non auget eius apud homines æstimationem, quæ est immediata regula & mensura pretij iusti & humani; vnde etiam hîc non habet locum *cit. l. 2. ff. de rescind. vend.* cum vena illa adhuc latens in hoc statu plus non valeat. *Ad 2.* distinguimus, Dominus fundi habet ignorantiam rei venditæ, negamus; scit quippe se vendere fundũ cum omnibus juribus ad venas metallicas, thesauros latentes &c. habet ignorantiam vtilitatis talis fundo de facto adhærentis, esto; hoc enim non impedit iustam emptionem communi pretio factã, vt patet in exemplo Pharmacopolæ supra adducto. Aliud est de gemma ignari rustici, siquidem vile pretium pro illa numeratum non est iuxta communem hominum æstimationé, ac proinde non iustum. *Ad 3.* Negamus, Poponem in proposito casu dolum commisisse, cum cuilibet jure concessum sit, vt fundum vtilitatis suæ, adeóque etiam thesauri & metalli eruendi gratiâ sibi comparare queat. Non obstat, quod deprehensam in fundo venam metalli non indicauerit Domino, siquidem ad hoc non tenebatur. *Ad 4.* dicimus, venas metallicas, dum patent, esse quidem magnæ æstimationis: at verò quamdiu latent, non augere æstimationem

nem fundi, quia eadem res adhuc latens multò inferioris est pretij, quàm iam patens. Cæterùm quantumuis venæ metallicæ iam patentes magnæ sint æstimationis, possunt tamẽ nihilominus esse partes fundi, & metalla fructus quidam, quod secus est de pictura, in qua nec colores, nec artificiũ sunt partes, aut fructus tabulæ, vt præter alios bene Lugo *Disp. 6. tit. num.* 107.

LXXIII. *Prilidianus Turca in nupero bello contra Imperatorem Rom. captus, diúq; inter catholicos detentus ex varijs colloquijs de fide Christiana valdè erga hanc afficiccepit, eam tamen nõ suscepit, sed liberatus mox in Turciam redijt; vbi post exiguum tempus extremè decumbens unum Christianum captivum clam alijs ad se vocat, ab eoque baptizari petit, probè iam se instructum affirmans; at iste Christianus nomine hoc indignus, & peruersæ mentis homo noluit, nisi pro baptismo collato certa pecuniæ summa penderetur. Prilidianus auaritiam hanc in Christiano obstupescens spõdet pecuniam istam, attamen solùm ad redimendam vexationem, aliàs fortè nec baptizandus, nec saluandus. Quæritur. Vtrum licitè fecerit hoc Prilidianus?*

Videtur illicitè fecisse, ita pleriq; TT. cũm S. Thoma 2.2. *q.* 100. *art.* 2. Ratio est. Tum quia cooperatus est Simoniaco animo baptizanti. Tum quia per pecuniam aperuit & præmuniuit viam ad spirituale, quod in re nihil

aliud videtur, quàm emere ſpirituale. Tum quia ſic etiam liceret redimere vexationem ab eo, qui beneficium Eccleſiaſticum non niſi animo Simoniaco dare vellet, quod cum S. Thoma *loc. cit. ad 5.* negant communiter DD.

Reſp. Prilidianum licitè feciſſe. Ita P. Greg. de Valentia. *Tom. 3. d. 6. tr. 16. p. 3.* Henriquez, Richardus, Maior, & præter alios Binsfeldius *in cap. 9. de Simonia q. 3. concluſ. 3.* Probatur. Tum quia Prilidianus non dat pecuniam tanquam pretium rei ſpiritualis, hoc eſt, tanquam id, quod tanti æſtimat, quanti ſpirituale: ſed dat ſolummodo tanquam motiuum quoddam ad remouendam iniuriã eam, quæ obſtat conſecutioni ſpiritualis. Tum quia, quando ſubeſt cauſa rationabilis, nihil aliud fit, quàm quod negligatur peccatum alterius propter vtilitatem, quæ exſpectatur ex ſpirituali, quod quis vel ſibi vel alteri procurat. Sed certum eſt, licitè negligi peccatum proximi, quando ſubeſt eiuſmodi cauſa rationabilis, vt oſtendunt TT. in eo, qui petit ab vſurario mutuum, & ſoluit ei vſuras. Clarũ quoque eſt, Prilidianum grauiſſimam habere cauſam negligendi tunc peccatum alterius, atque adeò procurandi per vexationis redemptionem baptiſmum ab illo, etiamſi in accipienda pro eo pecunia, & eodem conferendo Simoniacè ſit peccaturus; nam quis certus eſſe poteſt, an veram ac talem contritionẽ habeat,

quæ

quæ sine Sacramẽto ad salutem sufficiat? cùm nemo sciat, an odio vel amore dignus sit Eccles. 9. vt quiuis de sua dispositione timere meritò debeat.

Ad 1. in contrarium dicimus, Prilidianum nõ fuisse cooperatum Simoniaco animo baptizanti, sed huius peccatum propter vtilitatem, imò necessitatem iure neglexisse, mereque permisisse. *Ad 2.* obligationem pecuniæ fuisse merã redemptionem vexationis pro tuendo optimo ac necessario iure, quod Christus concessit omnibus ad Sacramentum saluti necessariũ, imò efficax tutissimumq; remediũ. *Ad 3.* negamus sequelã; quia tunc talis redemptio non esset vtilis, siquidẽ, vt ait Valentia, debet assignari beneficium. Non obstat S. Thom. allegatus; etenim loquitur solùm de casu, in quo pecunia datur tanquam pretium rei spiritualis: non tanquam merum motivum ad remouendam iniuriam, quæ obstat.

LXXIV. *Primitius Sacerdos ex sac. Ordine Carmelitarum legit in vita S. Theresiæ Virginis ac Matris suæ sæpe sæpius eam orasse pro infidelibus conuertendis, idque vehementer placuisse DEO; quod imitaturus non tantùm frequenter in eum finem preces fundit, sed insuper Sacra, quotquot à certa obligatione habet libera, pro ijsd. infidelibus conuertendis offert. Quæritur. An licitè, rectèq; faciat?*

Vide-

Videtur malè facere. Ita Gabriel, Sotus, Azor, Vasquez & alij, quos refert & sequitur Palao *Tr. 22 D. vnic. p. 5. n 4.* Prob. 1. Authoritate Concil. Bracharens. 1. *ca. 35.* expressè hoc tradentis. Chrysostomi *hom. 69. ad pop. Antioch.* D. Thomæ *3. part. q 70. art. 7 ad 2.* & aliorum Patrum, è quibus D. August. *L. de anima & eius origine: c. 9. quis enim,* inquit, *offerat Corpus Christi, nisi pro ijs, qui sunt membra Christi.* Prob. 2. ratione. Tum quia pro ijs solùm instituit Christus Eucharistiam in valorem sacrificij, pro quibus in ratione Sacramenti: item ijs solùm communicari potest effectus sacrificij, quibus ipsum Sacramentum. Atqui Christus Eucharistiam in ratione Sacramenti instituit solùm pro Fidelibus, & his solùm Sacramentũ Eucharistiæ communicari potest. Ergo Eucharistia in valorem sacrificij solùm est pro fidelibus: & istis solùm communicari potest effectus eiusdem sacrificij. Tum quia si sacrificium Missæ effectum ex opere operato habere potest in non baptizatis, cur Ecclesia Cathecumenos peractis precibus & finito Euangelio abesse iubet, ne oblationi, consecrationi, & sumptioni intersint? Interim concedunt isti Authores, indirectè infidelibus prodesse sacrificium, & sic pro ijs offerri in quantum directè offertur pro bono fidei & Ecclesiæ augmento, quod non nisi ex infidelium conuersione obtinetur:

tur: item quemlibet Sacerdotem proprio nomine sacrificium pro infidelibus offerre posse. Solùm ergo quæstio est, vtrum Sacerdos nomine Christi, & maximè Ecclesiæ sacrificium offerre possit pro infidelibus, vt illis prosit non immediatè & ex opere operato (sic enim ex communi DD. infideles non sunt capaces effectûs sacrificij) sed mediatè, dum Sacerdoti hæc fit gratia, vt aliquod etiam donũ spirituale infidelibus ex opere operato conferatur, pro quibus ille sacrificium obtulit. Iuxta hunc ergo sensum.

Resp. Rectè licitéque facere Primitium. Ita Card. Bellarm. *l. 2. de Missa c. 6.* Henriquez, Suarez, Saa, Coninck, Card de Lugo, & alij plures, quos sequitur nouissimè Arriaga *Tr. de Euch. D. 42. à num. 6.* Probatur. Tum ex Script. *1. Timoth. 2. v. 1.* vbi præcipit Apostolus, *orationes, & obsecrationes fieri pro omnibus,* specialiter *pro Regibus,* tunc temporis infidelibus; at vna ex præcipuis orationibus est deprecatio, quæ fit medio sacrificio oblato. Tũ quia plures Patres apud citatos relati testantur, orationes & oblationes pro infidelibus fieri. Idem expressè habet textus *in cap. Apostolicam Sedem de Presbytero non baptizato,* & liber, cui titulus est, *Ordo Romanus*; eoipsò autem, vt bene Arriaga *n. 9.* post Lugonem & alios notat, quod Ecclesia Romana eum ritum tam diu seruauerit, clarè euincitur, ni-

hil in eo falſitatis contineri, ac proinde illum etiamnum reuerâ vtilem eſſe. Tum quia ſacrificium Crucis pro ijs omnibus fuit directè oblatum; fuit quippe vniuerſaliter omnium redemptio & ſatisfactio. Ergo & ſacrificium Miſſæ, quod idem eſt, offerri pro omnibus poteſt, vt ſic vnũ ſacrificium cum altero conuenientiam habeat. Tum quia in lege antiqua offerebatur ſacrificium directè pro infidelium conuerſione, vt patet *ex 1. Machab. 12. & 2. Mach. 3.* Cur ergo & noſtrum multò illis præſtantius prodeſſe ijſd. infidelibus non poſſit? Tum quia infideles indigent ad fidem conuerti, quam conuerſionem tum orationibus tum ſacrificijs procurare non minus Deo gratum, quàm chriſtianæ pietati conforme eſſe videtur. Ergo non eſt illicitum. Tum quia in die Paraſceves Eccleſia ſpecialiter orat pro Cathecumenis & infidelibus: & in quotidianis Miſſis offert Calicem pro noſtra & totius mundi ſalute. Tum denique quia, dum Sacerdos offert ſacrificium pro infidelibus, & exauditur, inprimis fit ipſi gratia, qui vtique eſt immediatè capax fructûs ſacrificij: mediatè verò alteri, pro quo illud offert; ſi autem ita mediatè ſacrificium prodeſſe poteſt creaturis irrationalibus, vt frugibus terræ, pecoribus &c. cur non magis infidelibus? eſto iſti non ſint immediatè eius fructus capaces?

Ad 1. in contrarium dicimus, Concilium Bracha-

Bracharense prohibuisse pro infidelibus offerri sacrificium in pœnam, quod illi tam diu distulerint baptismum: vel certè vt terrerentur alij, ne tam diu differrent. In quem sensum intelligendus Chrysostom: & alij Patres, si quando contrarium sentire videntur. S. Augustinus loquitur de oblatione per modum suffragij, quo modo vtique non sunt capaces sacrificij, nisi qui sunt membra, hîc autem sermo est de impetratione. *Ad* 2. negando Maiorem; quia Eucharistia in ratione sacrificij vniuersalior est iuxta naturam sacrificij Crucis, vt dictum est. Cæterùm Cathecumeni exesse jubentur post Euangelium dictũ, quia offerre non possunt cum Sacerdote, siquidem soli baptizati huius sint capaces, vt rectè Lugo, Arriaga & alij.

LXXV. *Quirina vxor aperit viro suo Quirino, se fictè contraxisse matrimonium cum ipso, aut aliud impedimentum dirimens habuisse, ideoque discedere ab illo velle, quo audito, Quirinus valdè commouetur, & mox ad Confessarium accurrens scire ex ipso cupit, num credere vxori teneatur. Quæritur. Quid dicat Confessarius Quirino faciendum?*

Videtur dicendum, ipsum teneri credere vxori asserenti, si maximè iuramento id confirmet. Ita Tabiena *Matrimonium* 2. *q.* 7. *n.* 8. Nam mendax & periurus nemo præsumi debet. Ergo non poterit negare consensum

Quirinus vxori tam sincerè se statumque suum aperienti.

Resp. Confessarium dicere posse Quirino, ipsum non teneri fidem habere vxoris dicto, nisi aliæ circumstantiæ & coniecturæ id moraliter certò persuadeant. Ita Valent. Navarr. Rebellus & alij, quos referunt & sequuntur Sanchez *L. 2. de Matr. D. 41. n 52. & D. 45. n. 3.* Bonac. de Matr. *Q. 4. p. 4. n. 19.* & Dicast. *de Sacram. Tr. 10. de Matr. D. 9. n. 177.* Sumitur tum *ex Cap. per tuas, de probat.* Vbi dicitur, *nimis indignum est iuxta legitimas sanctiones, vt, quod quisque suâ voce dilucidè protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare.* Tum quia vero-similius est, Quirinam modò mentiri, quàm fuerit mentita in contractu principali, cùm verè consentire, & absque impedimento contrahere videri vellet. *Dixi nisi aliæ circumstantiæ &c.* his enim præsentibus tenetur credere, & abstinere se ab omni carnali contactu; quales autem illæ sint, explicant Sanchez & Dicast. *loc. cit.* Breuiter, debent esse tales, quæ virum prudentem moraliter certũ reddere possint de ficto consensu, alióue impedimento, in hac enim re certitudo metaphysica haberi nequit.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium, scilicet verum non est, Quirinum credere posse vxori, nisi aliæ circumstantiæ & coniecturæ accedant; illa enim simplex assertio non

non inducit virum prudentem, vt in re tam graui plenam fidem habeat, sibique persuadeat, coniugem grauiter quidem in contractu matrimoniali decepisse: in hac autem iurata assertione non decipere.

LXXVI. *Sigismundus subitò morbi impetu in eum statum conijcitur, vt nec signum doloris dare, nec Sacramentum vllum petere possit. Vocatur nihilominus Parochus loci à familiaribus, rogaturque, vt cum morte luctanti saltem Sacramento extremæ Vnctionis succurrat, qui negat fieri hoc posse, cùm Sigismundus vix amplius sit rationis capax, & priùs hoc Sacramentum nullo signo petiuerit, vtvt aliàs tanquam bonus Christianus vixerit. Quæritur. Vtrum Parochus rectè Sacramentum extremæ Vnctionis negauerit?*

Videtur rectè negâsse. Nam Sacramentum Pœnitentiæ non potuit Sigismundo in illo statu ministrari. Ergo nec extremæ Vnctionis.

Resp. Parochum malè & ignoranter Sigismundo moribundo negâsse Sacramentum extremæ Vnctionis. Ita ex communi DD. Barbosa *de Offic. Parochi. c. 22. num. 11. & seq.* Nam qui Christianus est, & vult in Ecclesia viuere & mori, vult etiam eius Sacramentis debito tempore iuuari; quam voluntatem Ecclesia præsumit de omnibus, qui signa pœnitentiæ suo tempore exhibuerunt; quippe qui non probatur malus, bonus præsumi debet.

Atqui Sigismundus fuit Christianus, & voluit in Ecclesia viuere & mori, cùm aliud de ipso probari non possit. Ergo voluit etiam eius Sacramentis in articulo mortis iuuari. Ergo Parochus malè & ignoranter ipsi negauit saltem Sacramentum extremæ Vnctionis, cùm nec actualis aduertentia, nec expressum signum doloris & deuotionis requiratur, vt rectè P. de Dicastillo *Tom. 1. de Sacram. Tr. 8. D. 1. n. 144.*

Ad rationem in contrarium negabunt multi Authores antecedens, quorum sententiam, quò minùs Parochus in praxi tutò sequeretur, nulla ipsi lex obstitit. Nos conformiter ijs, quæ diximus *cent. 1. casu 81.* negamus Consequentiam cum Card. de Lugo *de Sacram. in Gen. D. 9. n. 122.* quia Sacramentum pœnitentiæ ex speciali ratione continet iudicium, quod inchoari nequit, si non sit, qui causam deferat, vti fit in proposito, & pluribus ostendimus *loc. cit.* secus autem se res habet in extrema Vnctione, ad quam voluntas tam specialis & propinqua non requiritur, vt proinde sufficiat generalis illa, quâ quis ex vi professionis Christianæ Sacramenta recipere in tali statu velle censetur.

LXXVII. *Syluius homo rusticanus sæpe abit in syluas spectantes vel ad priuatos quosdam dominos, vel ad alienam communitatem, cuius ipse non est pars, & ex his ligna cedit, secumq; auecta vendit,*

dit, vt comparato inde pretio necessitatibus suis domesticis occurrat. Quæritur. Vtrum Syluius peccet, teneaturque ad restitutionem?

Videtur peccare & ad restitutionem obligari. Ita ex communi Bonacina *de Restitut. D. 1. q. 3. pun. 7. n. 27.* Ratio est est, quia Syluius sic lignans vsurpat sibi rem alienam. Ergo furtum committit. Ergo ad restitutionem tenetur.

Resp. Probabile esse, Syluium in alienis syluis non circumseptis absque deuastatione & immoderata strage ligna cedentem & avehentem non peccare, saltem mortaliter, nec teneri ad vllam restitutionem. Ita Bannez 2. 2. *Quæst. 62. art. 3. dub. 4. conclus. 2. & 3.* Salonius, Ledesma, & plures alij Dominicani, quos refert, & eorum opinionem probabilem censet Dedicastillo *de Iust. Tr. D. 9. n. 357.* Ratio est, quia eiusmodi syluæ ab initio non aliâ lege fuerunt concessæ communitatibus, aut priuatis dominis, quàm vt ipsis liceret in illis lignare impune, non item alijs, citra maiorem tamen obligationem vel peccati contrahendi, vel restitutionis faciendæ, nisi deuastationem aut stragem maiorem facerent, vt sic aliquod foret discrimen inter arbores frugiferas & syluestres, cum enim istæ singulari culturâ non indigeant, sicut illæ, sed eas humus suâ sponte procreet, non decuit, ita has Syluestres arbores appropriari vni, vt nullo mo-

do

do frui ijſdem poſſint cæteri. Secus ſe res habet, ſi prædictæ ſyluæ ſint circumſeptæ, vel proprio alicuius labore plantatæ, aut ſi ligna ab alio iam fuerint cæſa, & in ſtruē coniecta, quia hâc ratione tam ipſæ ſyluæ, quâm ligna in eis cæſa ſufficienter iam cenſentur alicui appropriata, vt abſque iniuria Domini auferri ex illis aliquid nequeat.

Ad rationem in contrarium diſtinguimus. Syluius vſurpat ſibi rem alienam, cuius nullum habeat vſum abſque iniuria alterius & obligatione reſtitutionis, negamus: abſque pœna, ſi in hoc vſu à domino deprehendatur, eſto; hoc enim non ſufficit, vt dici poſſit, grauiter peccare, & obligari ad reſtitutionem.

LXXVIII. *Simplicius vir ruſticanus in neceſſitate ita graui verſatur, vt pro ſe, familáque ſua congruam ſuſtentationem non habeat. Retinet ergo decimas, nec cauſam neceſſitatis ſuæ Parocho explicat. Quæritur. Vtrum in hac rerum penuria conſtitutus licitè ſolutionem decimarum omittat?*

Videtur non facere hoc licitè. Ita poſt Ioannem Andream, Abbatem, & alios Henricus Caniſius *de decimis c. 5.* Qui ſolùm extremam neceſſitatem excipiunt, quia extra hanc Simplicius nō habet ius ad eas decimas ſubtrahendas.

Reſp. Simplicium in graui neceſſitate & defectu

defectu congruæ sustentationis constitutum licitè retinere decimas, etiamsi necessitatem hanc suam parocho non aperiat. Ita Suarez *Tom. 1. de Religione Tr. 2. L. 1. c. 16. n. 16. & 18.* Lay. *L. 4. Tr. 6. c. 3. n 6.* Palao *Tom. 2. Tr. 10. Disp. vnic. pun. 11. n. 2.* & alij. Ratio est. Tum quia præceptum de solvendis decimis est merè Ecclesiasticum. Ergo credibile non est, piam Ecclesiam velle, vt à fidelibus tanto rigore decimæ exigantur. Tum quia vniversim solutio debiti differri potest ob grauem necessitatem debitoris, vt ex communi tenet Lessius *l. 2. de just. c. 16. n. 141.* imò Palao *Tom. 7. de just. Tr. 32. D. 1. pun. 17. §. 2. n. 2.* cum non paucis Theologis docet, in graui etiam necessitate debitum penitus extingui, & non minus in hac, quàm in extrema egestate omnia esse communia; quæ certè vero-similiora sunt in debito decimarum, cùm hoc, vt diximus, non ex jure naturæ, sed lege tantùm Ecclesiæ proficiscatur. *Atque ex his* patet ad argumentum in contrarium.

LXXIX. *Siridion Sacerdos & in arce quadam iunioribus Comitibus præfectus aduertit in prædicta arce fieri quædam ex ignorantia inculpabili tam contra jus naturale, quàm positiuum, quæ licet ad ipsum non spectent, neque in graue tertij detrimentum vergant, quia tamen admonitionem vtilem fore arbitratur, anxius hæret, num errorem detegat. Quæritur, Vtrum Siridion ea, quæ*

ex

ex errore inuincibili in arce illa contra diuersas leges committuntur, corrigere debeat?

Videtur non teneri. Ita Bonac *Tom. 2. D. 3. de Charit. Q. 4. pun. 7. n. 10.* Tanner *Tom. 3. D. 2. Q. 5. dub. 4. n. 77.* Ouiedo *in 2. P. D. Thom. Tr. 5. Controuers. 2. pun. 3. n. 29. & 30.* & alij, è quibus plerique tantùm de jure naturali & diuino loquuntur. Mouentur. Tum quia homines illi non sunt absolutè in statu spiritualis miseriæ, cum non peccent. Tum quia præceptum correctionis est de peccato proximi iuxta illud Lucæ 17. Si peccauerit in te &c. Ergo vbi non adest peccatum, non est obligatio.

Resp. Siridionem teneri homines in prædicta arce diuersas leges transgredientes monere, si ex monitione fructus speretur, siue ignorantia sit juris naturalis, siue positiui, etiamsi ex officio peculiariter non obligetur. Ita Thomas Sanchez *D. 38. L. 2. de Matr. n. 5.* & post alios Palao *Tr. 6. de Charit. D. 3. pun. 5. n. 3.* Ratio est. Tum ob reuerentiam ipsarum legum. Tum quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto nõ imputetur culpæ. Ergo est materia doctrinæ vel correctionis, & obiectum spiritualis eleemosynæ. Tum quia ex transgressione materiali facilis est transitus ad formalem. Ergo si potest Siridion hoc periculum auertere, cur non faciat? Tum quia si violatores legum non corrigit,

dum

dum potest, tacitè denotat, approbare se eam transgressionem, & sic scandalum præbet. *Atque ex his* patet, ad correctionem inuincibiliter errantis magis teneri Superiores, Parochos, Confessarios &c. vt communiter docent DD. quia ratione officij tenentur 1. subditos instruere in obseruatione præceptorum 2. procurare, ne alijs scandali occasionem præbeant. 3. Impedire, ne alij intelligant subditorum errores se approbare &c.

Ad 1. in contrarium dicimus, esto homines illi non sint absolutè in statu miseriæ spiritualis, sunt tamen in graui huius periculo. Adde alia esse capita, ex quibus obligatio surgat, vt ex dictis patet. *Ad 2.* distinguimus, est de peccato formali vel materiali proximi, item de peccato, vel proximo huius periculo, concedimus: de ipso peccato formali tantùm negamus.

LXXX. *Sueno insignis ac diues adolescens cogitat certum aliquod monasterium ingredi, iamque ab Abbate huius spem admissionis certam habet, quod aduertens Gerebernus eius Paterfamilias nihil non tentat, quibus eum ingredi volentem à proposito reuocet, & generum suũ faciat, ac tandem etiam istud assequitur; quo intellecto Abbas vehementer conqueritur, & Genebernũ tam peccati mortalis, quam restitutionis reum pronunciat. Quæritur. Vtrum Gerebernus impediendo Suenonem à Religionis ingressu peccatum mortale com-*

commiserit, & obligationem restitutionis monasterio faciendæ contraxerit?

Videtur Gerebernus mortaliter peccasse. Ita M. Nauarr. *in Man. c.12. n.44.* Diana *P.11. Tr.3. Res.22.* & hoc teste communis aliorum. Quia læsit charitatem erga proximum in re valde graui; & cum inde Monasterium non leue patiatur damnum, vtique etiam huic insuper compensationem facere tenebitur.

Resp. 1. Si Gerebernus ex justa causa dissuasit Suenoni Religionem, & ad matrimonium potius induxit, non peccauit vllo modo, nec ad vllam tenetur restitutionem. Ita ex communi omnium Wiggers de just. *Tr. 4. c.3. d.4. num. 9.* vbi plures tales justas causas recenset, nec de hoc est inter Catholicos dissensio. Itaque

Resp. 2. Si illud absque justa causa, attamen citra vim & fraudem fecit, proponendo v. g. honores, diuitias, voluptates in sæculo: & oppositam in Monasterio vilitatem, pauperiem, molestiam, difficultatem &c. nondum peccauit saltem mortaliter. Ita expressè Filliucius *Tom.2. Tr.32. c.6. n.* 171. & Constantinus à Castro Mortariano apud Dian. *loc. cit.* Ratio est. Tum quia per hæc Suenoni nulla vis aut fraus est facta, sed voluntariè seposito Religionis desiderio matrimonium iniuit. Ergo Gerebernus legem charitatis grauiter non læsit, sed citra venialem culpā ejus actio stetit.

stetit. Tum quia Monasterium nullum adhuc ius acquisiuit in Suenonem. Ergo nec iniuria ipsi est facta compensationi obnoxia.

Resp. 3. Si Gerebernus vi aut fraude Suenonem abstraxit ab ingressu ad Monasterium, peccauit mortaliter, & tenetur restituere Monasterio, quanti æstimabitur emolumentum temporale ex ipso prouenturum, consideratis tamen circumstantiis, per quas illud emolumentum poterat impediri. Ita comunis Authorum apud Dedicastillo *Tr. 2. de just. D. 7. dubit. 2.* Ratio est. Quia vis & dolus sunt contra iustitiam, siquidem quiuis habet ius, ne per vim & fraudem impediatur à consecutione bonorum. Cum ergo ius istud in re graui læserit Gerebernus, peccauit mortaliter, & tenetur illud resarcire Monasterio, eo, quo diximus modo: Suenoni verò vim ac fraudem auferre, si quæ adhuc lateret, & bono salutis, quod per propositum assumendæ Religionis intendit, obstare posset: item obligatur reparare damnum, si quod aliud ex iniusta illius suasione passus est, & reparari potest, vt rectè cum aliis Lugo *D. 9. de just. num. 28.*

Ad rationem in contrarium dicimus, Gerebernum læsisse quidem charitatem in re graui, sed non vltra culpam venialem, si vis & dolus abfuit, cùm Sueno liberè tunc consenserit. Vnde etiam ex isto nullum adhuc ius

aduenit Monasterio, ex cuius violatione compensatio eidem debeatur.

LXXXI. *Suibertus Sacerdos & Canonicus totum Officium diuinum orare solet manè vsque ad Completorium, quod dein nullâ iustâ causâ impeditus frequenter negligit. Quæritur. Vtrum hâc omissione duo peccata committat, & duplicem horarum dicendarum titulum aperire in Confessione debeat, de quo ipse dubitat?*

Videtur affirmandum. Ita Suarez *Tom. 2. de Relig. l. 4. c. 18. num. 5.* Fagundez *de præcept. Eccles. Tr. 2. l. 4 c. 5. n. 23.* Layman *l. 4. Tr. 1. c. 4. in fine.* vbi hanc sententiam vocat communem DD. & contrariam improbabilitatis arguit. Nam omnium vox & sensus est *Beneficium dari propter officium*, siue ex Iustitia recitandum esse Officium. Ergo Suibertus non tantùm tenetur ratione Ordinis sacri, adeóque ex Obedientiæ virtute, sed etiam ex virtute Iustitiæ, & consequenter omitttendo notabilem officij diuini partem (qualis est Completorium) duo peccata committit, atque ideò vtrumque obligationis titulum exprimere in Confessione tenetur.

Resp. Suibertum omissione Completorij vnum tantùm committere peccatum, nec teneri duplicem horarum dicendarum titulum in Confessione aperire. Ita Homobonus, Henriquez, Gartias, quos refert & sequitur Diana *P. 2. Tr. 12. Res. 22. & P. 4. tr. 4. Res. 219. in fin.*

in fin. Salas *Tom.* 2. *Tr.* 13. *D.* 3. *s.* 2. *n.* 17. Bonac. *Tom.* 1. *de Horis Can. D.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 27. Palao *Tom.* 2. *Tr.* 7. *D.* 2. *p.* 1. *pa.* 2. *n.* 29. & alij. Ratio est, quia multiplicantur hîc præcepta solùm materialiter; quippe non datur Beneficium Beneficiato titulo Iustitiæ, sed Religionis; præcipitur enim recitatio horarum Can. in laudem DEI, vt rectè Palao.

Atque ex his patet ad argumentum in contrarium; negatur enim dari Beneficium sub conditione officij: conceditur autem dari sub modo & onere. Patet quoque immeritò Laymanum hanc nostram sententiam communi Doctorum contrariam affirmâsse, atque improbabilitatis damnâsse, cùm tanto magnorum Doctorum numero, & rationis momentonitatur.

LXXXII. *Theonas operam suam locauit nobili cuidã ad arcem, quæ destructa erat, reparandam per integrum annum conuentione mercedis 100. florenorum. Nunc finito anno, & arce egregiè reparatâ deceptum se aduertit plus, quàm dimidio pretij, adeoque 150. florenos labore & arte suâ ad minimum se meruisse, quod sanctè affirmat Confessario petens ab ipso consilium. Quæritur. An iuvari possit?*

Videtur non posse. Ita nonnulli I. P. eò, quod contractus iam sit finitus, neque optio dari possit decepto vel rescindendi contractũ, vel mercedem supplendi.

Resp. Theonam iuvari posse. Ita Fachin, L. 2. *controuers. c.* 22. Molina, *de Iustit. Tr.* 2. D. 349. § *prædicta.* & alij. Nam finitâ locatione læsus remedium habet *ex L.* 2 *codic. de rescindend. vendit.* vt saltem contractus ad æquitatē redigatur. Ergo æquitas exigit, vt hâc viâ subsidium accipiat; imò etiamsi dispositio cit. legis in hoc casu locum non haberet, ex alijs tamen nim. *ex L. si superstite. Cod. de dolo, & L. siquis eum aliter. ff. de verb. oblig.* decepto subveniendum esset.

Ad rationem contrariam dicimus, esto contractus non possit rescindi, quia finitus est, posse tamen eundem reparari, & ad æquitatē reduci, quod sufficiens videtur.

LXXXIII. *Theon Sacerdos Vesperas Officij diuini vt alijs anni temporibus ita etiam in Quadragesima orat post meridiem circa tertiam, quod aduertens alius Presbyter eum huius admonet, aitque, absque peccato (nisi iusta aliqua causa subsit) fieri istud non posse, quam ille admonitionem non curat, sed pergit morem suum tenens. Quæritur. An Theon reipsâ peccet, Vesperas in Quadragesima absque alia causa post meridiem dicendo?*

Videtur peccare. Tum quia vniuersim peccat venialiter, qui horas Canonicas non legit temporibus determinatis, vt contra Caramuelem *in Theol. fundamentali fund.* 53. § 20 *n.* 11. *&* 17. docent Card. Bellarminus, Toletus, Valentia, Lessius, Sanchez, Layman & communiter

muniter DD apud Dianam *P. 11. Tr. 1. Res. 9.* Tum quia Rubrica expressè præscribit, vt vesperæ in Quadragesima ante comestionem dicantur. Tum quia idem Ecclesiæ consuetudo iam obtinuit, cui absque peccato controuenire nemo potest.

Resp. Theonem non peccare etiam venialiter, vesperas in quadragesima post meridiem circa tertiam recitando siue in choro, siue extra chorum. Ita Caietanus *in sum. V. Ieiunium. §. hora competens.* Nauarrus, Medina, Fagundez, & post plures alios Tamburinus *l. 4. in Decal. c. 5. § 4. n. 5.* Ratio est. Tum quia horæ canonicæ non habent vllam connexionem necessariam cum ieiunio. Tum quia rubrica Breuiarij feriâ quartâ Cinerum non imponit præceptum, vt docent citati & Trul. *d. 18. n. 6.* imò sunt, qui laudabilius hoc fieri putent, nixi authoritate Cardin. Bellarmini, quem refert Tamburinus *loc. cit.* dicere solitum fuisse, congruentius esse nostrâ hâc ætate, vesperas quadragesimales recitare post prandium, quàm ante; etenim apud Maiores nostros ideo vesperæ dicebantur ante refectionem, quia ista differebatur ad horas vespertinas: at nunc, si iam à stata hora cœna est deiecta, & in prandium mutata, cur per nouam licentiam deijciatur hora recitationis officij vespertini, & contra debitum ritum ad tempus antemeridianum transmittatur?

ſed pace tanti viri dixerim, laudabilius mihi nõ videri à directione Rom. Eccleſiæ, & conſuetudine huius paſſim à ſanctiſſimis etiam viris recepta recedere, quàm hiſce ſe conformare; eſto igitur abſque peccato faciat Theon veſperas poſt meridiem in quadrageſima dicendo, laudabilius tamen in hoc non facit.

Ad 1. in contrarium dicimus, veſperas non perinde eſſe determinatas in quadrageſima ad tempus ante prandium ac alias horas extra quadrageſimam ad ſuum quamlibet tempus; cùm recitationem illam veſperarum ante comeſtionem in quadrageſima nec rubrica ita abſolutè præſcribat, nec conſuetudo tam rigidè obliget, vtpote ſub peccato non introducta aut recepta, vt paſſim aduertunt DD.

Atque ex his patet etiam ad 2. & 3.

LXXXIV. *Thomas vir inter Catholicos doctus frequenter angitur circa animæ rationalis immortalitatem, quam haud ignorat ab vniverſa Eccleſia proponi credendam, ideoque frequenter hac de re mentionem facit, aliorum ſenſum explorans, ac tandem ſuum etiam promere rogatus ait, probabile ſe iudicare, animam rationalem eſſe immortalem. Quæritur. Vtrum Thomas ob hanc ſuam dubiam ſententiam de re fidei committat hæreſin?*

Videtur non committere. Ita Canus *L. 12. de locis c. 9.* Malderus 2.2. *Q. 11. art. 2. Memb. 2. §.*

2. §. *respondeo.* & nonnulli. Tum quia hoc dubium non est actus, sed suspensio actûs. Tum quia idem dubium nihil habet contrarium fidei propter dictam suspensionem.

Resp. Thomam ita dubitando incidere in hæresin. Ita Suarez *de fide* D. 19. *Sect.* 4. *n.* 10. Barbos: *de potest. Epis. Alleg.* 40. *n* 16. Arriaga *in primam secundæ Tract. de fide diu.* D. 19. *n.* 75. & communiter alij. Nam dubitans de fide fidem destruit; hæc enim in homine fideli firmitatem in credendo supponit iuxta illud Athanasij in symbolo: *hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non potest.* Sed fides non destruitur nisi per hæresin positiuam. Ergo dubitatio illa continet talem. Confirmatur. Dubitare propriè circa rem fidei est iudicare illam, etiam attentâ propositione Ecclesiæ, adhuc non esse certam, quod iudicium est formalissima hæresis; quippe directissimè opponitur Veracitati diuinæ.

Ad argumenta in contrarium dicimus, cum illa suspensione stare optimè, Thomam habere actum, quo iudicet, illud obiectum non esse certum; aliàs non verè & absolutè dubitaret, sed vel merè præscinderet, nullum omnino actum eliciendo, vel dubitaret solùm secundum quid, seu respectiuè ad rationem naturalem, quasi per hanc præcisè non certò constaret, animam rationalem esse immorta-

lem, esto in se & vi revelationis diuinæ certissimum foret, quorum neutro modo hæresin committeret, vt rectè notat Arriaga *Loc. cit. n.76.* addens, sic Catholicissmũ quemque sæpè de mysterijs fidei dubitare posse: atque in eundem sensum Scholasticos docere, scientiam & opinionem de eodem obiecto cohærere posse, quia vnam eandemque veritatem manifestè probari vno argumento; & altero non probari nisi probabiliter seu opinatiuè, nullo modo repugnat.

LXXXV. *Tornanus ait in Confessione, se cuidam ovem abegisse, & cum imponeretur ei restitutio, subdit, credere se, Dominum illius ovis non esse invitum, vtut aliàs materia sit gravis, certè libenter condonaturum, si rogaretur. Quæritur* 1. *Vtrum Tornanus ex præsumpta hac Domini voluntate excusetur à restitutione?* 2. *Quid si eandem ovem abigendo putasset, Dominum illius non denegaturum, si peteret, an idcirco furtum mortale non commisisset?*

Videtur Tornanus non excusari inde à restitutione, aut furtum minùs graue committere. Tum quia talis licentia conditionalis non sufficit ad valorem actuum, v.g. ad audiendam confessionem vt ex communi docet Suarez *Tom.3. de Relig. l.8. de statu Relig. cap.*11. Ergo nec sufficit ad accipiendam aut retinendam rem alterius, eo inscio. Tum quia aliàs Religiosus citra violationem paupertatis

pertatis accipiet aut retinebit rem aliquam sine præscitu Prælati, si putet hunc non negaturum licentiam aut restitutionem non postulaturum, si sciret, aut rogaretur, quod tamen absque dissolutione paupertatis religiosæ admitti nõ potest, quando enim aliquis talem facultatem sibi non finget?

Resp: 1. Tornanum in foro interno ob voluntatem Domini præsumptam excusari à restitutione, saltem statim facienda. Ita ex communi Lugo *de just. Disp. 21. n. 52.* Quia si remissio creditoris expressa sufficiat, cur non etiã rationabiliter præsumpta? Quodsi Dominus, qui præsumitur non inuitus, sit reuerâ inuitus, nõ ideò peccauit Tornanus differendo restitutionem, sed comperto errore ad eam faciendam obligatur, vt rectè Molina *Tom. 3. D. 68. num. 3. Dixi in foro interno*; nam in foro externo semper præsumitur Dominus inuitus, nisi adsint sufficientes coniecturæ, quæ id persuadent iuxta glossam *in l. inter omnes. §. rectè. V. verumtamen. ff de furtis.*

Resp. 2. Tornanum ex prædicta præsumptione non commisisse peccatum graue. Ita D. Antonin. Rosella, Angles, Sylvester, & teste Lugo *cit. n. 54.* satis communis sententia. Ratio est, quia sic res non est ablata inuito Domino, aut certè non quoad substantiam, sed tantùm quoad modum, vt præter alios tradit etiam Less. *l. 2. de just. cap. 12. n. 49.*

Ad 1. in contrarium negamus consequentiam; quia ad Sacramenta & eorum valorem ex communi Theolog. requiritur voluntas positiua antecedens, quæ causet illos effectus: ad excusandam autem malitiam furti non requiritur positiua Domini voluntas, sed solùm quod non sit positiuè inuitus, id quod accidit, quoties Dominus ita est affectus, vt si peteretur res, eam concederet.

Ad 2. Concedi sequelam à nonnullis apud Lugo *n 56.* quibus fauent Suarez *loc. cit. n. 11.* & Lessius *l.2. de just c. 41. in fine.* Verùm licet doctrina hæc absolutè etiam in Religioso locum habere possit, de facto tamen non tam facilè præsumitur Prælatus non inuitus, quàm Dominus sæcularis, eò quod iste solùm attendat ad suam vtilitatem, à qua si propter substantiam rei ablatæ non retardetur, displicentia modi parùm eundem moratur: ille verò insuper attendat ad bonum religiosi statûs, & obseruationem regularum, cui frequenter nõ tam substantia rei ablatæ, quàm modus aduersatur, vt pluribus explicat Lugo *Disp. 3. de Iust. sect. 7. à num. 123.*

LXXXVI. *Theopemptus Parochus in concubinatu vivit cum Theopempta fœmina Laica, idque ex certis testimonijs rescit Iudex sæcularis, qui mox in ædes parochiales Theopempti cum apparitoribus suis irruens & concubinã inde vi extrahens, ac suo eam sistens tribunali omnes expensas in captura*

turâ factas à Theopempto requirit. Quæritur. Ad quem Theopempta Laica Iudicem in hac causa spectet, an ad Ecclesiasticum, vel sæcularem?

Videtur spectare ad Iudicem Ecclesiasticum. Ita plerique D.D. Vti videre est apud Iacob. Menochium *de arbitr Iudicum Quæstionib. L. 2. c. 371. n. 13.* Ratio est. Quia vnica & indiuidua causa ab vno Iudice est iudicanda *ex text. in L. nulli. c. de Iudicijs.* Ergo ab Ecclesiastico digniore iuxta *L. communem ff. quemadmodum seruitutes amittantur,* vbi ratione sanctitatis potest quis viam & vsum retinere, quem alius per se non poterat.

Resp. Theopemptam Laicam fœminam ream concubinatûs cum Clerico spectare ad sæcularem Iudicem. Ita Covar. *practic. qq. c. 34. n. 1. circa finem.* Iulius Clarus *pract. quæstion. c. 6. n. 6.* & plures apud hos. Probatur. Tum *ex L. si quis vxori ff. de furtis in princ.* vbi Socius criminis non gaudet priuilegio Socij. Tum quia delictum, etsi physicè sit vnum & indiuiduum, moraliter tamen est duplex. Ergo ratione huius duplicitatis quilibet delinquens suo subditur Iudici. Tum quia si pluribus fratribus, è quibus vnus est Clericus, obueniat hæreditas, solus Clericus pro parte sua non alij fratres exempti sunt à solutione tributorum. Ergo etiam delictū Theopemptæ Laicæ non debet esse exemptum à Iuris dictione Laicali, eò quod commune sit cū delicto Clerici.

Atque

Atque ex his patet ad rationem in contrarium. Ad *L. communem* dicimus, eam intelligendam in causa, quæ nullam, vel saltem non commodam patitur diuisionem. Cæterùm quod Iudex Sæcularis in ædes Theopempti Clerici cum apparitoribus ita involet, & expensas in captura concubinæ factas ab eodem exigat, meritò tanquam malè factum damnat Lay *L. 4. Tr. 9. c. 4. n. 10. & 11.* Illud quidem quia est violentia vsurpata contra ipsos Ecclesiasticos: hoc verò, quia Theopemptus harum expensarum causa non extitit, sed solùm per accidens suo delicto occasionem præbuit.

LXXXVII. *Turson in Gothia Iudex capite quemdam plecti iusserat. Is genibus innixus: en morior, inquit ad Iudicem, teque voco hâc horâ ad DEI tribunal, quo dicto caput ferro subiecit, & simul ex equo judex mortuus decidit, vt refert Olaus l. 14. Histor. Aquilon. c. 20. Similes prouocationes non rarò contingunt. Quæritur. An licitè?*

Videtur, quod non. Ita Iulius Clarus *in l. 3. §. fin. q. 85. num. 7.* cum nonnullis Iuristis. Tum quia est contra charitatem, & patientiam Christianã. Tũ quia vana est innocentiæ gloriatio & propriæ vindictæ appetitio. Tum quia iniusta fit perturbatio Iudicum, cùm nulli tribunal DEI non sit formidabile.

Resp. Prouocationem ad DEI tribunal per se esse licitam. Ita Martinus Delrius *de Magicis*

cis Disquisitionibus Tom. 2. l. 4. c. 4. q. 4. s. 1. & ex hoc plures alij. Probatur. Tum exemplis Virorum sanctitate & doctrinâ præstantium, quæ tam ex S. Scriptura, quàm Historia Ecclesiastica adducit citatus Author. Tum quia cuilibet ob grauamen appellare licet ad Iudicem superiorem, qualis respectu cuiuscunque inferioris est Deus, à quo est omnis potestas in cœlo & in terra. *ad Rom. 13.*

Ad 1. in contrarium negamus esse contra charitatem aut patientiam, vocare alterum ad Dei Tribunal, eo animo, vt innocentia pateat, aut familia ab infamia liberetur &c. esto ex altiori motiuo siue charitatis, siue alterius virtutis, iactura famæ aliorumque bonorum laudabiliter sufferri possit. *Ad 2.* Negamus quoque, prouocationem talem per se esse vanam innocentiæ gloriationem, aut propriæ vindictæ appetitionem, cùm bono fine fiat, & perinde, ac iuramentum iustum, laudé mereatur; quia tamen facilè latens aliqua gloriolæ vel vindictæ vel alia perturbati animi nebula se immiscet, vt veritatem ac justitiam non videamus, idcirco fatemur, periculosum esse hoc genus defensionis, ac nec vnquam ferè vsurpandum. Quod si quis scienter iniustè alium citet, peccat etiam mortaliter ob graue nocumentum alteri inde oriri solitum. *Ad 3.* Dicimus, ex hac citatione nullam sequi Iudicum perturbationem; nam vel iustam

tulerunt

tulerunt sententiam, & tunc contemnere debent citationem illam, & præmium potiùs quàm pœnam iusti Iudicij à DEO exspectare: vel de vero Iudicio dubitant, & tunc illâ excitari eos oportet ad exactiorem rei discussionem, vt lata sententia aut retractetur, aut maturiori consilio confirmetur, quæ omnia absque noxia animi perturbatione fieri queunt.

LXXXVIII. *Turonius pro Iubilæo lucrando sedulò confessus est, & Sacram Eucharistiam sumpsit, ieiunium tamen vsque adultimum diem distulit, & antequam hoc parageret, relapsus est in peccatum mortale. Quæritur. Vtrum Turonius ad lucrandum Iubilæum denuo confiteri debeat?*

Videtur teneri ad Confessionem iterandam? Ita Suarez *To. 4. in 3. Part. D. 52. s. 3. n. 7.* Dicastillo *de Pœnit. Tr. 9. D. 22. n. 161.* Palao *Tr. 24. Disp. vnica. pun. 9. n. 24.* Ratio est, quia iuxta verba Bullæ lucraturus Indulgentias præter cætera requisita debet esse de omnibus suis mortalibus contritus & confessus. Atqui Turonius absque nova confessione non est de omnibus contritus & confessus, sed tantùm de aliquibus. Ergo non lucrabitur indulgentias. Ergo vt has consequatur, confessionem repetere tenetur.

Resp. Turonium non teneri confessionem repetere. Ita Nugnus in addit. & *3. part. 9. 27. à 3. dub 4.* Bonacina *To. 1. fol. 295. n. 9.* & teste Dedicastillo *l. cit.* multi alij. Ratio est. Tum quia

quia ille lucratur indulgentias, qui opera requisita ritè ponit. Atqui Turonius si absque nova confessione contritionem de peccato eliciat, omnia requisita ritè ponit, cùm Summus Pontifex tantùm vnam Confessionem requirat, ergo &c. Tum quia oblitus invincibiliter peccati mortalis in Confessione non tenetur iterum confiteri ante vltimum opus peragendum, sed sufficienter disponitur per contritionem ad lucrandas Indulgentias, vt pleriq; ex Aduersarijs concedunt. Cur ergo in nostro casu noua Confessio requiratur? Tum quia ex communi Theologorum ad lucrandas Indulgentias plus non requiritur, quàm vt aliquis, dum vltimũ opus ex requisitis peragit, existat in gratia. Atqui Turonius, si ante vltimum opus de commisso peccato conteratur, existit in gratia. Ergo non tenetur Confessionem repetere.

Ad rationem in contrarium distinguitur Maior; debet esse contritus & confessus de omnibus mortalibus ante hanc Confessionem patratis conceditur; de omnibus simpliciter etiam ijs, quæ post hanc Confessionem ritè peractam ante vltimum opus ex requisitis denuo committuntur, negatur; cùm Pontifex nullibi Confessionem repetitam, adeóque duplicem imperet, sed vnam. Sufficit ergo, si aliquis vnam Confessionem ritè peragat: de peccatis autem post hanc patratis saltem conteratur,

teratur, cùm pro legitima dispositione talis contritio sufficiat. Ad hæc in verbis illis *contritus & confessus*, quæ apponi solent, particula *Et* sumi potest distributiuè, vt sensus sit, concedi Indulgentias tum omnibus confessis, etiamsi non fuerint fortè contriti sed sufficienter attriti, tum omnibus contritis, quales esse possunt, qui post Confessionem iterum in mortale lapsi sunt. Vt bene notat Lugo *Tom. de pœn. D. 27. n. 94.*

LXXXIX. *Valentioni Subdiacono & Canonico Cantuariensi moritur vnicus frater absque relicto hærede, vt igitur tum amici, tum alij viri magnæ authoritatis illustri familiæ consulant, suadent ei, vt Canonicatũ resignare, & matrimonium inire velit, securus de dispensatione per ipsos impetranda, & quia de hac petenda & breui assutura minimè dubitatur, nuptiæ interea celebrantur, & triduo post eas adest dispensatio à Summo Pontifice obtenta. Quæritur 1. Vtrum matrimonium Valentionis ante acceptam dispensationem fuerit validum? 2. Si non sit validum, vtrum Valentio illud ineundo & cohabitando peccârit?*

Videtur matrimonium fuisse validum, & consequẽter Valentionem non peccâsse, illud ineundo & cohabitando. Tũ quia ante illud initũ iam fuit concessa dispensatio, cùm intra triduum Româ Cantuariam peruenire non potuerit. Tum quia valor dispensationis non pendet à dispensando, sed à dispensante, qui

etiam

etiam inuito & renuenti obtrudere eam potest, vt docetur *de LL.*

Resp. 1. Matrimonium Valentionis fuisse nullum. Ita Sanchez *l. 8. de Matr. D. 26. n. 5.* Amicus *Tom. 5. cursûs Theologici. D. 6. sect. 1. n. 11. & seq.* Palao *Tom. 1. Tr. 3. D. 6. pun. 11. n. 3.* & communiter alij. Prob. Tum *ex l. qui absenti. ff. de acquirenda possessione, & c. Si tibi absenti, de præbend. in 6.* vbi dicitur: *jus in beneficio, quod absenti confertur, non acquiri, donec absens ratam habuerit collationem,* quod proportionaliter de dispensatione sentiendum, vt rectè notat Sanchez *loc. cit.* Tum quia dispensatio per se est relaxatio à lege adhuc vigente & obligante. Ergo vt licitè suum effectum operari valeat, debet esse nota ipsi dispensando; quamdiu enim ei dispensatio Superioris non innotescit, non est ei licitum contra legem agere, vt proinde dispensatio ante sui notitiam nequeat ponere effectum suum. Tum quia dispensatio absq; tuo mandato impetrata, vel à Principe concessa semper secum trahit hanc imbibitam conditionē: si tibi placita sit, & grata existat, vt cū Suarez, Salas, Sanchez & alijs tradit Palao *loc. cit.* Vnde differt hic casus à XXXVIII. supra allato.

Resp. 2. Valentionem, per se loquendo, peccâsse celebrando nuptias, & cohabitando ante notitiam dispensationis. Ita *cit.* Authores. Ratio est, quia ante dispensationis noti-

tiam non potuit tutâ conſcientiâ & abſque peccato contra legem agere, cùm ante talem notitiam adhuc in conſcientia ipſius vim ſuam obligandi obtinuerit. *Dixi per ſe*, quia ſi Valentio ob ignorantiam inuincibilem bonâ fide proceſſit, tunc per accidens ratione huius à peccato liberatur, vt docetur de conſcientia.

Ad 1. in contrarium dicimus, fuiſſe quidem diſpenſationem Romæ iam conceſſam ante matrimonium Cantuariæ initum, non tamen illam habuiſſe vim & effectum, donec cognita aut acceptata fuerit à Valentione; quia eſt quædam donatio, quæ per acceptationem completur. *Ad 2.* Diſpenſationem habere quidem valorem à diſpenſante, non tamen effectum ante notitiam diſpenſandi; & licet alicui inuito & renuenti concedi poſſit, hoc tamen nunquam debet præſumi, niſi id manifeſtè conſtet, ne gratiæ Principum vilipendantur.

XC. *Vindonius vir nobilis ex mera liberalitate Roſimundæ coniugi ſuæ gemmam centum imperialiū dono concedit, quam ipſa ſtatim diuendit, & pecuniam in pauperes, amicos, aliosq; profundit. Quæritur. Vtrum maritus has vxoris ſuæ elargitiones ad ſe retrahere, & gemmam repetere poſſit?*

Videtur poſſe. Nam ex communi Authorum donatio ex mera liberalitate vxori ſimpliciter

pliciter facta est ad arbitrium donantis reuocabilis *iuxta l. 3. ff. de donationibus inter virum & vxorem.* vbi Antoninus Augustus ait: Maiores nostri inter virum & vxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes: famæ etiã coniunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur. Ergo si vir donationem vxori factam reuocet, & nullam constituat, amici omnesque alij reddere tenentur accepta.

Resp. Probabile esse, primam Vindonij donationem, etsi simplex & merè liberalis fuerit, firmam tamen & irreuocabilem fuisse, ac proinde eum prædictas vxoris elargitiones ad se retrahere, & gemmam repetere non posse. Ita Caramuel *in Theolog. Moral. l. 2. n. 51.* quem sequitur Diana *P. 8. Tr. 6. Resol. 19.* Ratio est, quia in his circumstantijs per epijkiam tam *legem cit.* quàm alias prudenter sic interpretamur, cùm vtique bonum, non perniciem publicam intendant; quæ enim aliàs sequeretur rerum confusio? quæ amicorum dissensio & iurgia? quæ famæ, authoritatisque imminutio?

Atq; ex hoc patet ad rationem in contrarium.

XCI. *Vitellius Religiosus & Sacerdos valde pius visitat Anchisen ægrum senem, & dum piè tum isto colloquitur, rogat æger, vt absentibus alijs vertere ipsum in alterum latus velit, quò melius cubet. Obsequitur Vitellius tam amicè rogan-*

ti; at dum omnibus adhibitis viribus quàm suavissimè versare eum conatur, ecce senex mortem obit. Vnde vehementer angitur Vitellius, ne accelerando seni mortē irregularitatem incurrerit. Quæritur. Quid hac de re sentiendum.

Videtur incurrisse irregularitatem. Tum quia ad hoc, vt incurratur irregularitas etiam ex homicidio non requiritur culpa. Tum quia chirurgus, Medicus, vel quiuis alius, si secando infirmum, medicinam præbendo, illum in lecto versando occidunt, aut mortem accelerant, fiunt irregulares. Tum quia *c. Tua nos de homicidio.* Clericis prohibitum est, ne artem chirurgicam exerceant propter periculum, ne alicui causa mortis existant; ex quo Suarez *D. 47. sect. 7.* docet, Clericum irregularitatem contrahere, si contra huiusmodi prohibitionem ægrum secando, vertendo &c. mortem ipsi etiam præter intentionem & sine notabili negligentia acceleret: Cur ergo Vitellius eandē irregularitatem non incurrat, cum idem incautâ actione suâ quasi medendo præstet?

Respon. Vitellium irregularitatem nullam incurrisse: nec esse, cur aliqui Religiosi tam sollicitè se abstineant ab hisce actionibus metu irregularitatis Ita Auila *de Censuris Par. D. 6. s. 1. dub. 8.* & plures alij. Ratio est 7 uia Vitellius bonâ fide ex vno in alterum latus vertit Anchisen, & sic præter opinionē accele-

accelerando mortem non admisit vllam culpam. Cur ergo sustineat pœnam? imò etiamsi veniale commisisset peccatum, ex sententia Suarez *de censuris D. 47. cit. sect. 3. n. 21.* Navarri, Soti, & aliorum nondum incurreret irregularitatem, quæ ex culpa oritur. Nam gravis pœna, qualis est irregularitas, ob peccatum imposita requirit grauem culpam, siquidem pœna debet esse proportionata culpæ. Ergo Vitellius irregularitatem tanquam gravem pœnam non contraxit, quia peccando gravem culpam non commisit.

Ad 1. in contrarium dicimus, ex homicidio publicâ authoritate facto incurri quidem irregularitatem etiam absque culpâ omni ob defectum lenitatis: non autem ex homicidio priuato. Nam omne homicidium, quod alicui imputetur, & ob quod puniri aliquis possit, est peccatum, idque mortale; iura autem imponunt irregularitatem illam, quæ dicitur ex homicidio voluntario aut causali, tanquã pœnam ob peccatum homicidij commissum. *Ad 2.* Chirurgos etiam & Medicos irregularitatem non incurrere, si citra mortalem culpam & negligentiam ægrum secando, vertendo &c. mortem eidem accelerent, vt tenent citati. *Ad 3.* Vitellium non exercere Chirurgiæ artem; unde etiamsi culpam aliquam contraxisset, vertendo ægrum, nullam inde irregularitatem incurrisset.

XCII. *Vißia pia famula ex bonis Domini sui clam hactenus fecit eleemosynas; nunc audiens in concione non licere ancillis facere eleemosynas ex bonis Dominorũ suorum, vehementer angitur. Quæritur. Vtrum Vißia eleemosynis factis peccârit, & an deinceps omittere debeat?*

Videtur peccâsse, & deinceps abstinere ab his debere. Nam ex communi Theolog. eleemosyna facienda est ex propriis, nõ alienis bonis, cùm iniustitia committenda non sit, vt charitati subuenias, vti docuit Augustin *l. 50. Homiliarum. Hom. 7. relatus in cap. fortè. 14. quæst. 5.*

Resp. Cum S. Thom. *in 4. dist. 16. q. 2. art. 5.* Azor *part. 2. l. 12. c. 10. q. 2.* Filliuc, Coninck, Turriano & alijs, famulos è bonis Domini licitè aliquid pauperibus elargiri. 1. In extrema necessitate. 2. De rebus sibi ad victum concessis, si paucioribus contenti, & nihilominus laboribus suis fungi possint. 3. Si detur modicum quid, nõ admodum frequenter, quia tunc præsumitur probabiliter cõsensus Domini. 4. Quoties adest eiusdem consensus, saltem interpretatiuus. 5. Quando probabiliter speratur ratihabitio, quæ tunc maximè est, quando famuli habent administrationem bonorum. 6. Quando Dominus rationabiliter nõ potest esse inuitus, quia v. g. aliàs res malè perirent &c. Si ergo Vissia faciendo eleemosynas prædictis modis se gessit,

sit, non peccauit, & pergere potest: secus, deliquit, & abstinere deinceps debet.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum, in qua supponitur nullus adesse consensus Domini siue expressus, siue tacitus, siue rationabiliter præsumptus, quod in enumeratis casibus non contingit.

XCIII. *Viterbius filiolum habet, qui septennio vix egressus in grauem incidit morbum. Parens de salutè filij sollicitus, cum iste antè iam confiteri fuerit solitus, in hoc etiam statu confessionem ab illo peragi cupit, sed ad hanc vi morbi & instantis mortis non amplius eum invenit aptum; igitur extremâ saltem vnctione eundē inungi petit à Parocho, sed intelligit ex isto, non solere pueris dari extremam vnctionem, antequam ijsdem Sacramētum Eucharistiæ administretur. Quæritur. Vtrum pueris vsum rationis habentibus ante sacramentum Eucharistiæ aliquando sumptum Extrema Vnctio administrari possit?*

Videtur non posse. Ita Sotus *in* 4. D. 23. *q.* 2. *art.* 3. *art.* 2. Vivaldus *de Extrema Vnctione c. de suscipientibus n.* 7. & alij nonnulli haud infimæ notæ Theologi Moventur. Tum receptâ & vbique vigente consuetudine, quæ hoc sacramentum impuberibus negat. Tum quia extrema Vnctio Pœnitentiæ & Eucharistiæ succedit illorumque vices supplet. Ergo inepti ad hæc Sacramenta censeri non debent apti ad illud accipiendum.

Resp. omnibus pueris septennio egressis & vsum rationis habentibus danda est Extrema Vnctio, etiamsi nec recipiant, nec apti sint recipere sacramentum Eucharistiæ. Ita Zamtranus *de Extr. Vnct. dub.* 1. Sà *V. Extr. Vnct.* Layman *l.* 6. *Tr.* 7. *c.* 4. *n.* 2. & communiter alij. Ratio est, quia pueri hoc sacramẽto indigere possunt tum ad concipiendam spem diuinæ misericordiæ, tum ad infirmitatem æquo animo sustinendam, tum ad tentationes dœmonis superandas, tum ad peccatorum remissionem, tum denique ad sanitatem corporalem consequendam.

Ad 1. *in contrarium* dicimus, cum pueris subinde salus æterna hinc dependere possit, consuetudinem negandæ ipsis Extremæ Vnctionis tolerandam à Prælatis non esse, his tamen tacentibus, Parochos excusari à peccato, si iuxta illam procedant.

Ad 2. cum pueri post septennium capaces sint Pœnitentiæ, etiam extremæ Vnctionis esse capaces, cum hoc Sacramentum sit illius consummatiuum; Imò etiamsi Parochus in confessione cognoverit, puerum nunquam peccasse actualiter, debere tamen illum inungere contra Ioannem Sanchez *in select. D.* 27. *n.* 18. docet post Suarez *Tom.* 4. *in* 3. *part. D.* 42. *sect.* 2. *n.* 10. Conink Filliucium & alios Diana *P.* 3 *Tr.* 4. *Res.* 181. Eisdem pueris Sacramenti Pœnitentiæ capacibus etiam sacramentum Eucha-

Eucharistiæ in articulo mortis dari posse, docent Tanner *3. p. D. 5. q. 6. dub 5. n. 116.* & post alios non paucos Diana *3. part. cit. Tr. 6. Resol. 89.* vtut aliàs Extrema Vnctio in pueris aptitudinem ad Eucharistiam sumendam nõ supponat.

XCIV. *Vrsatius Sacerdos ex beneficio suo pro annuis redditibus facilè mille habet florenos; è quibus, etsi vix mediam partem pro congrua sustentatione requirat, omnes tamen annuatim expendit in amicos non indigos, aliosque vsus profanos, ratus se æquè de illis, ac alium quemuis de bonis suis disponere posse. Quæritur. 1. Vtrum Vrsatius suorum redituum perinde omnium sit dominus? 2. si est, an idcirco de illis omnibus etiam superfluis pro libitu disponere possit? 3. Si nõ possit, vtrũ teneatur ad restitutionẽ tũ ipse, si quid profanè elargiatur: tũ alij, siquid ab eodem sic accipiant?*

Videtur Vrsatius minimè esse dominus omnium redituum etiam superfluorum. Ita Alexander, Antoninus, Richardus, Hericus, Maior, Waldensis, quos affert Vasquez *opusc. de reditib. c. 1. §. 3. d. 1. n. 24.* Item Panormitanus, Hostiensis, Nauarrus *toto tract. & apolog. de Ecclesiast. reditib.* ac communis Canonist. apud Couarr. *c. cùm in officijs de testament.* qui omnes consequenter negant, Vrsatium pro libitu disponere de illis posse, adeò vt si superflua ex beneficio suo in profanos vsus expendat, tum ipse, tum is, qui accipit, teneatur ad re-

ſtitutionem. Mouentur 1. quod hæc bona ſæpe vocentur patrimonium Chriſti. 2. quod ſacri canones iubeant, reditus eccleſiaſticos diuidi in 4. partes, & vnam tribui Epiſcopo, alteram Clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus; Vnde etiam ab ijſdem canonibus Clerici dicuntur ſolùm diſpenſatores. 3. quod *c. quoniam. 16. q. 1.* apertè dicatur: *quidquid habent Clerici, pauperum eſt*; quod ipſum nonnulli PP. grauiſſimis verbis atteſtantur. 4. quod hæc bona à fidelibus data & donata ſint ipſi DEO, vt conſtat ex quibuſdã formulis antiquis donationum.

Reſp. 1. Vrſatium verum eſſe dominum ſuorum ex beneficio redituum etiam ſuperfluorum. Ita Molina *de juſtit. Tom. 2. D. 143.* Sanchez *l. 2. Conſil. c 2. dub. 37.* Valent. *To. 3. D. 10. q. 3. pun. 7.* Vaſquez *loc. cit. n. 28.* Leſſius *l. 2. de juſtit. c. 4. dubit. 6.* Layman *l. 4. Tr. 2. c. 3. n. 3.* Becanus *de juſt. c. 3. q. 6. n. 8.* Wiggers *Tr. 1. de juſt. c. 3. n. 28.* Card. de Lugo *de juſt. D. 4. n. 2.* & RR. communiter. Prob. 1. ex Trident. *ſeß. 23. de Reform. c. 1* vbi decernitur, Epiſcopos, ſi vltra 3. menſes à ſuis Eccleſijs abſint, non facere fructus ſuos; Et *ſeß. 24. c. 12.* ſtatuitur, Prouiſos de Canonicatibus non facere fructus ſuos, niſi fidei profeſſionem ſuo tempore ac loco faciant. Similia habentur in Bulla Pij V. quæ incipit *Ex primo*, alijſque Eccleſiæ ſtatutis. Ex quibus à contrario ſen-

ſu

su concluditur. Ergo qui faciunt professionem fidei: qui non absunt à suis Ecclesijs &c. lucrantur fructus, eosque faciunt suos, vt bene inferunt Becan. & alij. Prob. 2. Beneficiati omnes reditus suorum beneficiorũ promiscuè percipiunt. Ergo dici non potest, eos aliquorum dominium acquirere, aliquorum verò non; cum enim paupertatem non vouerint, capaces sunt dominij rerum: & Ecclesia, quæ reditus annuos ob spirituale officium largitur, non reddit eosdem incapaces, sed potius significat, comparari ab illis dominium, vt ex recèns dictis patet. Prob. 3. Clerici non Religiosi, qualis est Vrsatius, si non habent dominium fructuum superfluorum, sed tantùm administrationem in pias causas. Ergo rescindi debent donationes eorũ & contractus omnes profani, idque maximè ex debita cura & prouidentia Ecclesiæ erga pauperes; quod tamen nõ fit, nec vlli vnquam hoc prætextu lis intentatur, sed supponitur, quod donatio sit valida, in quemcunque vsum fiat.

Resp. 2. Quamuis Vrsatius habeat dominium redituum etiam superfluorum ex beneficio, tamen grauiter obligatur, illos erogare aut de ijs disponere in vsum pauperum, vel alterius piæ causæ. Ita communis, & omnino certa sententia, ita vt opposita, inquit Wiggers, ne quidem reputetur vllo modo probabilis. Sed vnde prouenit tam grauis obliga-

tio?

tio? Omissis varijs DD. opinionibus existimamus, prouenire tum ex præcepto humano siue Ecclesiastico, tum maximè ex iure naturæ, siue ipsa natura virtutis Religionis; nam indecens videtur, vt ea bona, quæ ad Dei cultum instituendum ac conseruandum eiusque gloriam propagandam data sunt Ecclesiasticis, ad profanos vsus applicentur. Insinuat hoc non obscurè Tridentinum *sessione 25. de Reform: c. 1.* vbi inter alia, quibus Clericos à profano vsu absterret, reditus illos ecclesiasticos vocat *Res DEI. q.d.* ea bona non aliter esse expendenda, quàm si verè ac propriè essent solius DEI. Eandem doctrinam præter alios tradit Card. de Lugo *loc. cit. n. 16.* & inde meritò reprehendit sententiam quandam Dianæ *P. 5. Tr. 8. R. 27.* iustô laxiorem, nempe Ecclesiasticum quemlibet etiam ditissimum satisfacere suæ obligationi, si in communes necessitates eroget quartã parte redituũ ecclesiasticorũ, vel dimidium illius, quod post cõgruam sustentationem remanet. Nam cum omnes reditus illi ecclesiastici superflui sint *res DEI*, cur non æquè omnes in pios vsus erogari oporteat?

Resp. 3. Vrsatium peccare quidem grauiter, si reditus superfluos in diuites transferat donatione, legatione &c. alienationem tamen absolutè & sine vllo restitutionis onere validam esse, perinde fere ac si Laicus diuiti donet,

donet, quod ex lege misericordiæ pauperibus elargiri obligatus est, vt ex communi aliorum Becan. *loc. cit.* allegans D. Thom. & Clarum. Imò accipientes absolutè neque peccare, vult Less. *l. 2. de Iustit. c. 20. dubit. 19. n.169:* Nam si peccarent, id ex eo contingeret, quod cooperarentur alterius peccato. Atqui hoc non fit; tota quippe malitia iam perfecta est in voluntate efficaci dantis, siue in actiua translatione dominij, non in passiua, quæ in acceptatione consistit, cum hæc acceptatio non tam sit translatio dominij, quàm effectus translationis. Ergo tota essentia peccati iam est posita in actiua voluntate dantis, vt pluribus declarat Card. de Lugo *de just. D.4. n.5. & Disp. 8. de Sacram. in Gen. n.*180.

Ad 1. in contrarium dicimus cum cit. Authorib. vocari isthæc bona patrimoniũ Christi, quia propter Christum & ad eius cultum instituendum ac conseruandum sunt donata. *Ad 2.* hinc tantùm haberi, Episcopos aliosque Clericos Beneficiatos ex bonis antiquitus fundatis teneri ad quartã partem pauperibus assignandam, vbi ea assignata nondum fuit, eam scil. quæ superest ex reditibus assignatis pro mensa Episcopali, pro Clericali, pro fabrica templi, non quidem ex Iustitia, sed quia hoc canones iubent, adeóq; ex præcepto Ecclesiæ. Ex quo solùm habetur, Episcopũ fuisse metũ Administratorem & Dispensatorem bonorum

bonorum Ecclesiasticorum ante eorum diuisionem, quod nobis non officit, qui loquimur in præsenti casu de tempore post diuisionem illam. Sed *inquiunt*, pars illa olim pauperibus assignata, cum modò non appareat, probabiliter lapsu temporis confusa fuit cũ parte Episcopis & Clericis debita, vt proinde dominiũ illius adhuc maneat penes pauperes. Verùm hæc merissima est coniectura, ex qua nihil solidi statui potest; quid enim si non fuit ista confusio facta, sed ex illa parte noua beneficia, ac seminaria fuerint erecta, templa ædificata? quid si Summus Pontifex eandem partem grauioribus ex causis adiecerit Clericis aduertens pauperũ necessitati aliunde satis à fidelibus subueniri? *Ad 3.* hoc dici nõ quoad dominium aut debitum iustitiæ, sed charitatis, eleemosynæ &c. vt pluribus explicat Wiggers *loc. cit. n. 30.* in quem sensum intelligẽdi sunt tũ alij Patres, tũ nominatim S. Bernardus Epist. 2. sic scribens: *Quidquid præter victum & vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, Sacrilegium est*; nempe latiore loquendi modo; cum enim bona Ecclesiastica pro cultu DEI data sint, profani eorum vsus non malè sic Sacrilegium dici possunt. *Ad 4.* denique Fideles dici bona sua donasse DEO, quia voluerunt ea inseruire ad cultum & gloriam DEI; aliàs si voluissent, penes solum Deum esse dominium, Beneficiarij ne partis quidem

dem necessariæ ad congruam sustentationem essent domini, quod nec Aduersarij volunt.

XCV. *Wendelinus Studiosus in campis inter alios se recreans habet secum sclopetũ solo tamen nitrato puluere onustum, quod cum ioco in faciem vnius ex socijs exploderet, iste non tam vi explosionis, quàm terrore ita perculsus est, vt humi procumbens ægrè surgere, & ad Chirurgum perreptare potuerit, qui periculum agnoscens, licet spem vitæ exiguam dederit, id tamen effecit, vt læsus 14. adhuc dies supervixerit, & scholas etiam repetiuerit, diutius, vt videbatur, victurus, si debitam ipse sui curam habuisset. Quæritur. An Wendelinus ex hoc homicidio irregularitatem incurrerit?*

Videtur incurrisse. Tum *ex cap. Continebatur de homicidio*, vbi Diaconus quidam irregularis declaratur propter homicidium in lusu cum socijs præter opinionem factum. Tum *ex cap. Clerico iaciente. cap. eos verò qui. dist. 50.* vbi exprimitur, irregularitatem incurri propter homicidium casuale. Tum quia Wendelinus mediâ illâ læsione occasionem præbuit morti alterius, vt argumentatur Layman *l. 3. sect. 5. Tr. 3. c. 3 n 10.* & alij.

Resp. Wendelinum non incurrisse irregularitatem propter homicidium illud. Probatur 1. *Ex cap. lator. de homicidio.* vbi excusatur ab irregularitate Clericus cum alio ludens, etiamsi alius casu occubuerit cultello, quo ille erat præcinctus. Ergo etiam Wendelinus

linus excusari potest, licet alius occubuerit ex sclopeti explosione, quam ille iocando fecerat. Probatur 2. Si Wendelinus incurrit irregularitatē, vel incurrit istam homicidio voluntario, vel casuali. Neutrum dici potest. Ergo nullo modo incurrit. Non 1. quia ad voluntarium homicidium requiritur intentio expressa occidendi, seu apponendi causam de se illativā mortis, & vt talem cognitam, vt ex Concil. Trident. *Sess. 14. c. 7.* & communi DD. docet Palao *de censuris. d. 6. pu. 15. §. 1. n. 1.* Atqui Wendelinus non habuit talem intentionem, nec apposuit causam de se illatiuam mortis, & vt talem cognitā. Tū quia nulla ipsi vel suspicio mortis inferendæ in mentem venit. Tum quia explosio talis sclopeti nullo plumbo onerati per se à nemine iudicatur illatiua mortis. Ergo non incurrit irregularitatem ex homicidio voluntario. Non 2. Quia vbicunque non adest culpa grauis, ibi ex homicidio casuali non incurritur irregularitas. Atqui in proposito non adest culpa grauis. Ergo &c. Maiorem tradunt Navarrus vterque, Valent, Henriquez, Aulla 7. *Part. D. 6. Sect. 1. dub. 11. Conclus. 3.* Suarez *Tom. 5. in tertiam partem. D. 45 sect. 5. n. 8.* & alij, hâc maximè ratione moti, quod irregularitas, cùm in pœnam delicti sit grauissima, culpam grauem supponer debeat, vt sic pœna culpæ proportionetur. Minor ex recèns dictis patet, quod homici-

homicidium istud Wendelino nullo modo fuerit cognitum & volitum. Ergo non potuit inde esse peccaminosum. Probatur 3. Tunc non incurritur irregularitas ex homicidio etiam casuali, quando læsio non fuit lethalis. Atqui in proposito casu læsio non fuit lethalis, sed mors ex quauis alia causa contigit. Ergo &c. Maiorem docent Sylvester, Caiet. Sotus, Lessius, Suarez, Caspar Hurtado *de irregul. diffic. 8. n. 31.* & communiter alij. Tum *ex cap. studeat. dist. 50.* Tum quod ad incurrendam irregularitatem occasio debeat esse proxima, ex qua mors sequatur. Minorem præter alios docet Steph. Auila *part. 7. D. 6. Sect. 1. cit. dub. 5. conclus. 3.* vbi ait, non esse censendum vulnus lethale, si vulneratus finito triduo post vulnus acceptum pedibus ambulauit. Quantô ergo minus in casu nostro læsio fuit lethalis, cùm læsus post factam læsionem non tantùm pedibus ambulare, sed scholas etiam frequentare potuerit?

Ad 1. & 2. argumentum in contrarium dicimus, in illis juribus præsumi & supponi grauem culpam & negligentiam commissam, quam non agnoscimus in casu nostro, vt patet ex dictis. *Ad 3.* quoq; ex allatis iam constat, scilicet ad incurrendam irregularitatem nō sufficere mediante læsione quomodocunque præbere occasionem mortis, sed præbere occasionem mortaliter peccaminosam, qua-

lem minimè dedit Wendelinus; hocipsò quod nihil prorsus de morte alteri inferenda in mentem occurrerit, vt ipse sanctè affirmat: nec talis actio per se illicita & mortis causatiua sit.

XCVI. *Wigbertus presbyter frequenter hæret, num ieiunus sit ad celebrandum propterea, quod noctu plerumque, antequam it cubitum, aliquid saccari sumere, vel ori paulatim liquandũ imponere soleat; & quidem subinde dubitat, an aliquid comederit, vel non comederit: subinde an comederit ante vel post medium noctis. Quæritur. Vtrum stante hoc dubio celebrare possit?*

Videtur non posse: Ita Sanchez *de Matr. L. 2. D. 4. n. 4.* Facundez *de præcepto 3. Eccles. l. 3. c. 5. n. 18.* Palao *Tom. 1. Tr. 1. D. 3. pun. 8. n. 9. & 10.* Vbi plures refert, cui accedit Card. Lug. *D. 15. de Euch. n. 42.* saltem quoad dubium de tempore comestionis, non verò de ipsa comestione. Mouentur. Tum quia possessio est pro præcepto: nulla verò pro celebraturo. Tum quia vnusquisque probare debet fundamentum suæ exigentiæ, aliàs succumbet *L. ei qui dicit. ff. de probat.* At fundamentum exigentis celebrationem est ieiunium. Ergo, dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit celebrationem. Tum quia sic etiam dubius de peccato mortali posset communicare, non præmissâ confessione, quod est contra communem,

Resp.

Resp. Wigbertum celebrare in vtroque dubio posse. Ita Layman. *L. 1. Theolog. Moral. Tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.* Ioan. Sancius *in Selectis D. 42. n. 1. & 9.* Bardi *de Conscientia Discept. 6. c. 11. part. 3. § 2.* Dicastillo *Tom. 1. de Sacr. Tr. 4. à n. 284.* Dian. *P. 3. Tr. 4. Res. 29. & P. 10. tr. Res. 54.* plures referēs. Ratio fundamētalis est, quia in præsenti casu ex parte celebraturi supponitur ius multò antè acquisitum celebrādi singulis diebus, quibus nō est impedimētū; quod ius hodie possidetur pro omnibus sequentibus diebus, duratque totâ vitâ. Hoc igitur iure possesso vt Wigbertus non possit vti, superueniat necesse est aliquod impedimentum certum, cùm dubium nequaquam sufficiat. Atqui in nostro casu siue sit dubium de comestione, siue de hora comestionis, est impedimentum dubium: possessio verò iuris ad celebrandū præsupponitur certa. Ergo nō potest illi obstare impedimentum illud dubium. Confirmabitur hæc responsio ex solutione argumentorum in contrarium. Itaque

Ad 1. In contrarium negamus, nullam esse possessionem ex parte celebraturi antecedentem; quippe antecedit possessio libertatis propriæ, quam Wigbertus habet, antequam eum apprehendat, & obstringat præceptum; nam istud præceptum (loquendo de actuali obligatione) non prius obligat, quàm moraliter adsint omnia requisita, adeoque in proposito

comestio. Quare si quis existimet, aut saltem putet, se non comedisse, libertatem habet ex eo capite celebrandi, & non obligatur præcepto abstinendi. Ergo si deinde superveniat dubiũ, iam istud reperit præuiã libertatis possessionem ante præcepti obligationem, vt bene Dicastillo *n.* 306. *Ad* 2. Distinguimus Maiorem; si probatio est de qualitate positiua, concedimus; si de negatiua, nempe quod nõ adsit impedimentum, negamus; talis enim venit solùm paratus ad sui defensionem, ita vt nemo tale in ipso impedimentum probare queat, tunc enim immeritò arcebitur ab executione sui iuris & potestatis. Adhæc esto totus discursus. Dicimus sufficere probationem negatiuam, scilicet post diligentem inquisitionem & examen non constare, nec probabiliter quidem de comestione, sed manere rem intra terminos puri dubij, vt Wigbertus tunc pro ieiuno gerere se possit. *Ad* 3. Negamus sequel. cùm ex recepta consuetudine & communi sensu DD. peccata mortalia dubia teneamur sic sub dubio cõfiteri; quia vel Christus sic præcepit, sicut potuit præcepisse; vel Ecclesia sive lege siue consuetudine ita statuit, vt videre est apud AA. passim. Quid autem nos de hoc sentiamus, diximus Cent. I. cas. 38.

XCVII. *Wilibaldus Episcopus Eistadianus enuntiari curat in ciuitate Ingolstadiensi, collaturum se Sacramentũ Confirmationis post octiduum in*

in inferiore Parochia S. Mauritij, quo intellecto, accurrunt plurimi ex varijs locis aliarum etiam Diœcesium absq; speciali licentia suorum Ordinariorum, quod ipsum minimè latet, quibus tamen omnibus prædictum Confirmationis Sacramentum confert. Quæritur. Vtrum licitè hoc faciat?

Negant P. Dicastillo *Tom.1. de Sacram. Tr. 3. D. vnica. num.128.* Bonacin. *de Sacram. D.3. quæst. vnic. pun.2. num.10.* & alij. Tum quia mittit falcem in alienam messem, perinde ac Parochus infantem alienæ Parochiæ baptizans. Tum quia non habet iurisdictionem in extraneos respectu talis actûs erga ipsos exercendi.

Resp. Wilibaldum licitè id fecisse Ita August. Barbosa *de Potestate Episc. P.2. allegat.30. n.14.* Adamus Tanner *Tom.3. D.4. p.4. dub.3. n.56.* Ludouicus Caspensis *Tom.2. Tr.27. D.3. s.3. n.11.* Sa. *V.Confirmatio. n.2.* & plures alij, quos in diuersis locis suarum practicarũ Resolut. citat & sequitur Diana. Ratio est, quia credendum, hoc esse ratum & gratum Episcopis, quod sufficit in præsenti; nam cùm iurisdictio non sit de necessitate huius Sacramenti, vt docet Ochogauia apud Dianam *P. 4.Tr.4: Resol.50.* facilius præsumi potest ratihabitio, quàm in Sacramento Pœnitentiæ, vbi requiritur iurisdictio de præsenti.

Atque ex his patet ad argumenta in contrarium, quibus solùm addo, disparitatem esse

inter Episcopum confirmantem aliquem ex aliena Diœcesi; & Parochum baptizantem infantem ex alia Parochia, cùm huic Parocho aliquod etiam stipendium subtrahatur, atque ideo, sicut & ob plura alia incommoda, istius rati-habitio non tam facilè præsumi possit.

XCVIII. *Winualocus Capellanus ad S. Praxedem tenetur vi Fundationis quotidie in Sacello & Altari huius Sanctæ Praxedis celebrare, & tamen frequenter alibi celebrat: aut, quando in hoc loco propter exortum impedimentum non potest celebrare, omnino Sacrum illo die omittit. Quæritur 1. An alibi celebrando, cùm hic posset, non tantùm peccet mortaliter, sed etiam teneatur ad compensationem? 2. An illo die, quo propter impedimentum in hoc loco celebrare nequit, similiter peccet, teneaturque ad compensationem, si Sacrum omittat?*

Videtur Winualocus in vtroque casu peccare grauiter, tenerique ad compensationem. Ita Azor *part. 2. instit. Moral. l. 6. c 24. q 7.* & non pauci alij; imò plerique quoad alteram quæstionem casûs. Ratio est, quia in re graui non facit, quod ex obligatione faciendum, etiam tunc, quando celebrare non potest in loco designato, cùm melius sit, alibi Sacrum fieri, quàm nusquam, quod Fundator intendisse præsumitur. Ergo nõ tantùm peccatum, sed obligationem quoque compensationis contrahit

Resp.

Resp. 1. Si Winualocus absque iusta causa sæpius (nam bis vel ter in Anno exiguum habetur) alibi celebrat, peccare ipsum mortaliter. Ita communis DD. Ratio fuit iam indicata, quia non implet voluntatem Fūdatoris, nec præstat id, ad quod fuit assumptus, seque obligauit præstandum. Resp. 2. Eundem non teneri ad compensationem, si alibi celebret, etiamsi absque iusta causa id faciat. Ita cum alijs Barbosa *de Episc. Potest. P. 2. alleg. 24 n. 36.* & alij ab hoc relati. Ratio est, quia tunc non priuat Fundatorem fructu sacrificij. Adhæc ex compensatione alterius Sacri faciendi nullus specialis honor accrescit Fundatori, cùm adstantes ignorent, Missam hanc à tali Fundatore prouenire: cultus autem Sacello & Altari S. Praxedis non exhibitus satis alio in loco compensatur. Resp. 3. Si Winualocus propter impedimentum in hoc loco v. g violationis, inundationis &c. celebrare nequeat, nō teneri ipsum alibi celebrare, saltem si Fundator solùm intenderit venerationem S. Praxedis, & talis loci, & non specialiter fructum sacrificij. Ita Barbosa *loc. cit. n. 35.* Ratio desumitur à pari; nam qui vouit ieiunare in Vigilia S. Praxedis, si eo die non possit, non tenetur alio die ieiunare. Ergo etiam, qui debet celebrare in Altari eiusdem Sanctæ, si nō possit ibi celebrare, non tenetur alibi; nam licet melius sit alibi, quàm nullibi celebrare,

illa tamē obligatio est affixa huic loco, adeóque extra hunc non subsistit: nec illud melius Fundator intendisse præsumitur, si nō rationabile huius dubium ostenditur. *Atque ex his* patet ad rationem in contrarium.

XCIX. *Zambdas vir nobilis ac diues frequenter Iouinum amicum suum adhibet mensæ suæ, & haustu vsque ad ebrietatem vel periculum huius vrget: Subinde etiam adeò fit efferus, vt Iouinus vel repetitis æqualibus haustibus cum ipso inebriari, vel periculum grauis percussionis aut duelli subire debeat? Quæritur. 1. Vtrum Zambdas peccet mortaliter cum tali periculo vrgendo ad potum? 2. Vtrum Iovinus inebriare se possit, vt grauem percussionem, aut duellum euitet?*

Videtur, Zambdam non peccare mortaliter ita vrgendo, quia ex bono id affectu, & iuxta morem patriæ facit: Iouinum verò grauiter delinquere se inebriando, vt malum aliquod euadat; *melius quippe erat*, inquit S. Augustinus *serm. 232. vt Caro tua sobria occideretur, quàm vt per ebrietatem anima moreretur.* Adhæc non sunt facienda mala, vt eueniant bona, quo argumento vtitur Azor *Tom. 1. L. 7. c. 33. q. 5. post Caiet.* Et Wiggers *c. 2. de Temper. dub. 5.* inde apertè docet, inebriare se scienter sic intrinsecè esse malum, vt nec ex metu mortis licitum fiat.

Resp. 1. Zambdam peccare mortaliter vrgendo conuiuam suum vsque ad periculum ebrieta-

brietatis. Ita ex communi Dicastillo *de virt. Cardin. L. 1. D. 3. n. 148.* Nam si inebriare se siue directâ siue indirectâ voluntate est ex omnium sententia peccatum mortale, cur non etiam sit mortale, inebriare alterum? Nec excusat affectus bonus, aut mos patriæ tantam immoderationem, quo minùs sit lethalis, sed solùm, quando vrbanitatis & amicitiæ gratiâ aliquid fit in ea quantitate, & moderatione, vt spectatis omnibus circumstantijs non sit periculum ebrietatis, aut grauis alterius nocumenti. Resp. 2. Iouinum bibere ad ebrietatem vsque posse, si aliter vel grauem sui percussionem, vel prouocationem ad duellum euitare nequeat. Ita cit. Author *n. 154.* post Lessium *L. 4. c. 3. n. 37.* Vbi testatur, hoc sentire plures viros doctos, quod etiam probabile agnoscit Layman *L. 3. Sect. 4. n. 5.* Nam licitum est, inebriare se causâ medicinæ ad pellendum, vel arcendum morbum, vt ex communi aliorum tradit Pax Iordanus *L. 1. suarum Elucubrationum tit. 7. n. 23.* Cur ergo non etiam ad euitandam grauem percussionem, aut duellum, quæ haud vanè ab altero timentur; esto enim non sit medium per se ordinatum ad hoc, sicut ad illud, constat tamen ad vitandum graue incommodum aut periculum multa licere, quæ per se ad hoc ordinata non sunt, sed solùm ex malitia alterius, quâ ratione aiunt communiter Doctores, li-

cere alicui, amputare sibi membrum, manum, vel digitum ad conseruandam vitam, & tamen illa amputatio non est per se idoneum & ordinatum medium ad hanc conseruationem. Adhæc priuatio rationis hîc non intenditur, sed solùm permittitur, quam nemo tenetur cum tanto malo impedire; vnde etiam Iouinus non facit in hoc casu malum, vt eveniat bonum.

Atque ex his patet ad rationes in contrarium; nam S. Augustinus loquitur solùm de ijs, quæ per accidens coniuncta esse solent, v. g. contemptus, aut odium virtutis &c. vt interpretatur Lessius.

C. *Zoticus rem olim habens cum Verena nunc in vxorem ducere vult Verianam, de qua tamen dubitat, num in prohibito consanguinitatis gradu coniuncta sit Verenæ. Quæritur. Vtrum Zoticus stante hoc dubio contrahere cum Veriana possit?*

Videtur non posse. Ita Palao *Tr.* 1. *D.* 3. *pun.* 8. *n.* 10; Layman *l.* 1. *Tr.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 25. & alij. Mouentur. Tum quia fauendum Sacramento Matrimonij, ne inualidè administretur. Tum quia nemo habet ius se matrimonio iungendi, nisi probando, impedimentum non adesse. Tum quia iuxta receptum principium: contractus malâ fide initur, possessioque inchoatur ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionemque capiendi ius habeat.

Resp.

Resp. Zoticum prædicto modo dubium, postquam adhibuit sufficientem veritatis indagationem, posse bonâ fide contrahere, & reddere ac petere debitum. Ita Thomas Sanchez de Matr. *l.8. D. 6. n.* 18. Ioan Sanchez *D. 43 selectar. n.* 44. Arriaga *Tom. 1. in primam secundæ. D.* 25. *n.* 33. & alij. Ratio desumitur ex receptissima illa regula juris 65. in 6. *quod melior sit conditio possidentis*, & tali possessione dubitans priuari non debeat, quamdiu contrarium non probatur; nemo quippe absque certo iure spoliandus est possessione suâ. Confirmatur *ex cap. laudabili. & cap. fin. de frigidis.* vbi statuitur, dubium de potentia naturali ad actum coniugalem non teneri ad tutiorem partem, seu abstinentiam à Matrimonio; quia scilicet habet ius ad contrahendum, & in dubio stat pro ipso possessio. Ergo similiter Zoticus stante dubio potest contrahere, cùm itidem habeat ius ad contrahendum, & possessio eidem faueat.

Ad 1. in contrarium negamus, aliquid fieri contra reuerentiam Sacramenti, quia in hoc casu Zoticus prudenter operatur. *Ad 2.* Dicimus, Zoticum habere ius ad contrahendum resultans in ipso ratione dubij & libertatis possessæ, ita vt probare amplius non teneatur, impedimentũ non adesse. *Ad 3.* Distinguimus, qui dubitat dubio practico, quando nulla est adhibita veritatis indagatio, nullumque

formatum prudens iudicium, concedimus: secus negamus; in proposito autem Zoticus sufficientem veritatis indagationem adhibet, postquam ratione possessionis ac libertatis suæ iudicat, se stante hoc dubio posse contrahere cum Veriana. Ergo bonâ fide init contractum, ac Matrimonium inchoat.

Collegii Societat. Jesu Paderborne

Omnia ad Maiorem Dei Gloriam.

1668.

IN-

INDEX RERVM.

A.

ABsolutio ob peccata, quæ non pendent ex occasione extrinseca, sed intrinseca hominis fragilitate, an sit neganda, vel differenda. fol. 14.
Absoluere sacramentaliter an possit Sacerdos è Societate IESV Religiosum alterius Ordinis absq; consensu D. Prælati. 187.
Absolui an possit etiam sub conditione, qui nullum Confessionis dedit signum. 131.
Absolui sacramentaliter an possit, qui ait, se dolere de peccatis, & emendare velle, interim nullum exprimit veniale in specie, nec exprimere ex eo potest Confessarius. 503.
Absolui an possit aliquis tam à peccatis, quàm censuris in articulo mortis à Sacerdote, qui ex Religioso factus est Apostata & Hæreticus. 244.
Actus indifferentes an dari possint, qui non sunt materia Confessionis sufficiens. 71.
Adultera an Spurio suo inter alios legitimos educato aperire teneatur facinus suum. 139.
An adulterium: & quot peccata commiserit, qui accessit ad suam vxorem putans accedere se ad alienam. 116.
Aduocatus an patrocinari possit alicui contra illũ, cuius causam certò nouit probabiliorem. 556.
Æquiuocatione an vti aliquis possit, si ab eo iuramentum poscitur ex præsumptione delicti & ignorantia veritatis. 156.
Ægro assistens an peccet mortaliter, si rem à Medi-

co

eo prohibitam v. g. vinum ei porrigat, & ex hoc ille moriatur. fol. 275.
Altaria per solam fractionem aut amotionem sigilli an sint necessariò reconcilianda. 269.
In Altari priuilegiato an opus sit, vt dicatur Missa de Requiem siue de Mortuis. 180.
Altare portatile in cella erigendi an Superiores Ord. Mend. Subditis suis facultatem concedere possint. 84.
Ex Astris an euentus futuri à libero arbitrio dependentes, & res occultæ saltem probabiliter prædici possint. 464.

B.

Baptismus an valeat, si in verborum formula præter SS. Trinitatem mentio fiat Beatissimæ Virginis Mariæ. 302.
Baptismus an validus & licitus sit, si puer agonizans ex defectu aquæ inter verba legitima in flumen abijciatur. 147.
Baptismus an sit validus, in quo hæc verba (ego baptizo te in nomine) ad singulas sacras Personas repetuntur. 331.
Baptizari an possit infans licitè & validè in solâ manu porrecta. 333.
In Baptismo an idem licitè & validè possit esse Patrinus & Baptizans. 318.
An licitè baptizetur iterum sub cõditione puer expositus, si adiuncta scheda receptionem baptismi de eo testetur. 151.
Vt Baptismum aliquis recipiat, an licitè ad redimendam

mendam vexationem porrigat pecuniam ei, quì aliàs illum conferre non vult. fol. 577.
Beneficiatus omittens Breuiarium an teneatur restituere fructus, si illam omissionem vnius diei suppleat alio. 75.
Beneficium simplex Ecclesiæ penitus dirutæ an validè transferatur, si reclamet Patronus. 65.
Beneficium vnà cum fructibus perceptis vtrum retinere possit Clericus, si id tribus annis pacificè possederit, esto, irregularitate notatus illud acquisiuerit. 185.
Blasphemia alijq; motus an sint peccaminosi, si rationis advertentiam ita præueniant, vt aliquis præcognitæ malitiæ recordari non possit. 522.
Vtrum blasphemia & peccatū sit vi præcisè verborū & comparationis, si dicas, hoc tam verum esse, quàm verum est, DEVM esse &c. 460.
Bona, quæ iniquâ hostium irruptione nobis auferuntur, si eisdem iterum eripiantur, ad quem pertineant. 183.

C.

In calice nondum consecrato celebrans an peccet, incurratq; censuram: item an idem calix maneat consecratus. 335.
Campsarius, an soluere teneatur quod præter consuetam provisionem in pactum fuit deductum, v. g. si solutio tres menses vltra annum differatur. 246.
Capellanus vi fundationis in certa capella celebrare

brare obligatus an peccet mortaliter, & restituere debeat, si hoc omittat: item si ob impedimentum in eodem sacello celebrare nequeat, an alibi facere teneatur. fol. 630.

Censuales litteræ seu chirographa apud Principes an possint minoris emi etiam ab Officialibus & Quæstore huius. 85.

A Censura Papæ reseruata an absoluere possit Parochus in necessitate & periculo infamiæ. 431.

Clerici in Minoribus an gaudeant priuilegio fori. 373.

Clerici Beneficiati an sint veri Domini suorum ex beneficio redituum etiam superfluorum: item an & ex quo capite obligentur de ijsdem disponere in pios vsus: & vtrum alienatio illorum profana sit valida absque restitutionis onere. 617.

Clericus beneficiatus an teneatur sorori ex eodem patre sed ex alia matre constituere dotem. 447.

Clericus preces & sacra in ordinatione ab Episcopo iniuncta omittens an peccet grauiter. 150.

Clericum percutiens an incurrerit excommunicationem, si hunc Clericum putauerit esse alium Clericum. 310.

Clericus laruatus per ciuitatem in Bacchanalibus incedens an peccet mortaliter. 306.

Clericũ laruatũ percutiens an incurrat excommunicationem, si ignorauerit, esse Clericũ. 307.

Clericis quænam negotiatio sit interdicta. 290.

Clerici an & quomodo obligentur lege Principis sæcularis. 289.

Cle-

Clericum in turpi facinore cum fœmina deprehensum ex indignitate rei & subito motu percutiens an incurrerit excommunicationē. fol. 220.
Comœdiæ varijs modis lasciuæ an permitti à Magistratu possint: & an peccent spectatores. 568.
Communio sacra an quotidie, vel quoties permitti Laicis possit. 190.
An Communionis Paschalis præcepto satisfaciat, qui in alia Ecclesia quàm Parochiali Sac. Eucharistiam sumit absq; consensu Parochi. 200.
A Communione Sacra an repellendus sit, qui in Confessione ait, priore nocte pollutionem se habuisse vel voluntariam vel præter voluntatem, aut actum coniugalem voluptatis causâ exercuisse. 203.
Communionis Paschalis præuidens impedimentū an præuenire debeat: & si præuenit, postea autem præter opinionem offerat se occasio, an iterum in Paschate ad Sac. Communionem teneatur. 342.
Complex quando in Confessione reuelari possit, aut etiam debeat. [illegible].
Contionator pro solo actu cōcionandi aliquid exigens an simoniam simul & iniustitiam committat. 455.
Confessarius quid agat, si aduertit, bonâ fide grauia peccata confitentē inualidè se absoluisse. 308.
Confessarius an teneatur ad restitutionem, si ad hanc faciendam Pœnitentem nō hortetur, aut cogat. 118.

Confessarius quid faciat, si deprehendat ægrum pro Confessione indigere longiore tempore, hoc autem non permittere præsens iam Sacrum Viaticum pro eodem. fol. 267.

Confessarius an ex duobus filijs Confessionis saluo sigillo vnũ possit commendare, nõ alterum. 354.

Confessio an possit esse valida & informis per ignorantiam mortaliter peccaminosam. 468.

In Confessione an teneatur Confessarius examinare Pœnitentem: & iste de consuetudine peccandi interrogatus respondere. 210.

Confessio, in qua leuia peccata aperiuntur Confessario ordinario, grauia autem alteri, an sit valida. 351.

In Confessione si homo rusticanus intelligatur numerum hactenus non addidisse, vtrum compelli debeat ad repetitionem Confessionum. 339.

In Confessione an licitè taceri possit peccatũ graue, nullam mentionem faciendo, nec contritionem eliciendo. 250.

Post Confessionem si pœnitens recordetur peccati ex obliuione præteriti, quid faciat. 276.

Confitẽs an satis se explicet dicendo: lethale alicui vulnus inflixi, etiamsi non addat, quod iste ex dicto vulnere fuerit mortuus. 35.

Confessus aliquando inualidè & post multos annos id emendaturus quam peccatorum & Confessionum faciat repetitionem. 395.

Confirmationis Sacramenti an breuior forma, quàm communis, dari possit. 450.

Con-

Consanguinei in casu necessitatis etsi minùs sanctè an præferri debeant extraneis sanctioribus tum in spiritualibus, tum in temporalibus fol. 37.
Conscientia errans quotuplex sit, & quænam obliget. 24.
Quid censendum de Conscientia ita perturbata, vt ex vna parte nolit cogitationes v g. blasphemiæ, ex altera verò putet non posse se eas repellere, & verò admittere. 81.
Consuetudo praua nō retractata an peccaminosum faciat actum v. g. juramenti etiam inaduertenter prolati. 14.
Copula coniugalis absq; peccato veniali exercetur propter solam delectationem. 71.
Contractus v g. circa hordeum in vere factus, vt istud eodem pretio in autumno tradatur, quo in vere vendebatur, an sit licitus. 335.
Vtrum ex contractu Conductor equi ad compensationem teneatur, si iste absque illius culpa mortuus concidat. 391.
Vtrum in contractu locationis iuvari possit locans operam suam, si vltra dimidiū lædatur 596.

D.

Damnationem suam ex diuina reuelatione resciens an sperare adhuc possit, aut etiā debeat. 379.
Debiti solutio an ob solum lucrum faciendum differri possit. 447.
Debitorum solutionem an vir nobilis & equestris ordinis differre possit ad iacturam statûs sui euitandam. 413.

Debitum, quod quis reverâ soluit, apochâ autem destitutus si illud iterum postuletur, & â Iudice ad solutionem condemnetur, an huius sententiâ stare teneatur: aut clancularia dein compensatione vti possit. fol. 205.

Vtrum eidem debito satisfieri sæpius possit. 242.

Vtrum debitum centum aureorum per monetam argenteam, quæ tamẽ illos in numero florenorum æquet, expungi possit. 559.

Vtrum debita maiora & plura facere aliquis possit, quàm solvendo se fore putet. 509.

Debiti siue ex contractu siue ex delicto solutionem iustè differens an teneatur creditori ad damnum interea eueniens, aut ad lucrum cessans. 22.

Debitum coniugale an absque peccato reddere possit vxor marito, qui cum culpa venialiid exigit. 459.

Decimarum solutionem an omittere possit, qui congruam aliàs sustentationem non habet. 588.

Denunciare vtrum hero statim possit vnus famulus alterius famuli delictum. 157.

Dispensatus ieiunio ad initium quadragesimæ ob morbũ an totâ deinde quadragesima à lege ieiunij exemptus sit, etiamsi morbus brevi cesset. 46.

Dispensatus in esu carnium an licitè bis vno die bis vescatur. 110. ~~100.~~

Dispensare potis cum alijs v. g. in ieiunio an possit etiam secum. 477.

Vtrum in graui necessitate dispensare possit in absoluto

absoluto castitatis voto is, qui habet potestatem quasi Episcopalem. fol. 481.

Vtrum dispensare possit Episcopus, si inter contrahentes illustres Personas deprehendatur impedimentũ dirimens, & nuptiæ differri nequeant. 497.

Distributione iniquâ alicuius pecuniæ inter plures personas quale peccatum committatur, & contra quam justitiam. 362.

Diuortium vtrum facere possit maritus ob adulterium vxoris, si hanc prius malè tractârit, domo ejecerit, quoad vitæ sustentationem eidem non prospexerit. 466.

Vtrum dolor sit sufficiens ad Confessionem, si quis dicat, dolere se, quod non doleat. 355.

Vtrum, si doleat mercator, emptores paucos esse apud se, multos apud suum vicinum, sit inuidia & peccatum. 143.

Vtrum dominium in res mendicatò acquisitas habeat homo sæcularis, qui vouit DEO eandem paupertatem, quam profitentur Fratres Minoritæ. 357.

Detractionibus leuioribus sæpe iteratis v. g. apud Principem alicui Aulico factis an quis mortaliter peccare possit. 367.

Dubium peccatum quotuplex sit: & vtrum sit materia necessaria Confessionis. 67.

Dubitans de re aliqua Fidei, v. g. animæ immortalitate vtrum incidat in hæresin. 599.

Dubitans Sacerdos de comestione vel hora comestionis an celebrare possit. fol. 627.
Dubitans de impedimento matrimonij an post sufficientem veritatis indagationem bonâ fide contrahere possit. 635.

E.

Ebrietas quid sit, & quando aliquis theologicè ebrius esse, & mortaliter peccare censeatur. 11.
Ad ebrietatem voluntariam vtrum aliquis mali impediendi causâ iteratis haustibus vrgeri possit. 564.
Ad periculum ebrietatis vrgens aliquis conuiuam suum an peccet mortaliter. 632.
Vtrum ad ebrietatem vsque bibere aliquis possit, qui alio modo percussionem sui ab altero, aut prouocationem ad duellum euitare nequit. 633.
Electionem iniquam in Capitulo fieri aduertens & tacens vtrum consentire censeatur. 64.
Vtrum Emptor vel venditor ferat damnum, si equus vel dolium vini simul empta infortunio quodam pereant ante traditionem. 501.
Emphyteuta si elapso triennio canonem non soluit, vtrum Dominus proprietarius rem emphyteuticam ingredi possit. 324.
Episcopus an licitè confirmare possit puerum agonizantem. 96.

Epi-

Episcopus dum in sua Diœcesi Sacramentum Confirmationis confert, vtrum istud ex alio etiam Episcopatu accurrentibus conferre licitè possit. fol. 629.

Episcopus an quatuor Minores Ordines & Subdiaconatum eodem die ijsdem ordinandis dare simul possit. 371.

Episcopus vtrum beneficium curatum licitè conferre possit digno, etiamsi adsit competitor dignior. 32.

Eucharistiam sacram vtrum probabiliter in absentia Clericorum deferre ad moribundum & huic administrare possit ædituus. 566.

Excessus in cibo, potu, vestibus, vsu matrimonij, appetitu pecuniæ, laudis, excellentiæ &c. an sit, per se loquendo, mortalis. 15.

Excommunicatus publicè in vno loco an sit censendus talis in alio, ad quem deuenire non potest denunciatio. 27.

Excommunicatus ex allegatis & probatis propter crimen, quod planè non commisit, an reipsâ sit excommunicatus. 124.

F.

Facultatē habens Religiosus accipiendi aliquid, non tamen vltra medium florenum, vtrum hâc facultate vno die vti sæpius possit. 541.

Famuli an teneãtur ad reparationem damni, quod ex culpa eorum leui accidit. fol. 13.
Famula si laboribus suis plus, quàm in pactum fuerit deductum, mereatur, quid agat, vt auctarium mercedis obtineat. 345.
Famulus an pecuniam extraordinario labore partam reddere Domino suo teneatur. 281.
Famula curam penûs habens an teneatur ad restitutionem damni, quod ipsâ non impediente alius consamulus in eodem fecit. 507.
Famula vtrum ex bonis Dominorum eleemosynas facere possit. 614.
Fera ab vno grauiter vulnerata, ab altero omnino occisa ad quemnam horum pertineat. 486.
Festis diebus laborantes otij vitandi causâ an peccent mortaliter. 125.
Filius an peccet, si absque consensu Patris matrimonium se dignum ineat. 533.
Filius ex bonis Paternis industriâ suâ lucrans an aliquid mercedis exigere à Patre possit. 352.
Fœmina an peccet, si iacturam suæ virginitatis vbique tegat, & quasi virgo etiam nubat. 218.
Fœmina an retinere possit pretium pro vsu corporis sui blanditijs extortum. 483.
Fornicatio an ex se & intrinsecè sit mala: & vtrum contraria opinio aliquid habeat probabilitatis. 531.
Furta parua & plura faciens an & quando peccet mortaliter. 56.

Furtum

Furtum ex qua rei ablatæ quantitate censeatur mortale. fol. 338.

Furtim surripiens equum si mox in extrema necessitate hunc vendere cogatur, an postea ad meliorem fortunam rediens aliquid pro ipso restituere teneatur. 262.

Furtiuam rem emens, vt suæ consulat indemnitati, vtrum licitè contractum rescindere, & rem illam recepto suo pretio reddere furi possit, etiamsi iste cum eodē elapsurus prævideatur. 441.

An furtum à peccato mortali & restitutione excusari possit ex præsumpta Domini voluntate. 601.

H.

Hæreticorum Calendaria, Prognostica, noua impressa & similia an legi à Catholicis possint. 20.

Hæreticis in locis vtrum Catholicus comedere carnes, adire templa, abscondere Rosarium &c. possit, ne agnoscatur, & periclitetur. 27.

Hæreticus Fidem Catholicam probabiliorem putans, quàm suam, an teneatur hac desertâ amplecti illam, antequam euidenter credibilitas ejusdē Fidei Catholicæ ipsi appareat. 102.

Hæretici libri an retineri ac legi à Catholico possint absq; peccato mortali & incursione censuræ, si nullum ipsi videatur adesse peruersionis periculum. 529.

Hæres an pro reditibus annuis Ecclesiæ cum onere legatis & alteri vindicatis obligetur ad satisfaciendum ex alijs hæreditatis bonis. 571.

Horæ Canonicæ intra quod tempus sub peccato, & sub quali obligent. fol. 69.
Horas Can. ex obligatione recitans sine vlla interna devotione an peccet mortaliter. 39.
Ad Horas Can. vtrum obligetur Monialis, dum extra Monasteriũ expulsa versari cogitur. 457.
Vtrum Horæ Can. siue Officium de Resurrectione loco aliorum occurrentiũ licitè recitari quotidie possit. 47.
Ex Horis Can. omittens Completorium Sacerdos & Canonicus an duplicem recitandi titulum aperire in Confessione teneatur. 594.
Ex Horis Can. in Quadragesima recitans Vesperas post meridiem an venialiter peccet. 597.
Ad Horas Can. vtrum obligetur, qui tenue valde habet beneficium, & in Minoribus adhuc est constitutus. 435.
Vtrum Horarum Canonicarum 2. die Nouembr. sit pars Officium Defunctorum. 517.
Horas Can. recitans cum socio, si nihil fere de pronunciatione huius intelligat, an satisfaciat præcepto. 272.
Inter Horas Can. sæpe anceps an Psalmũ aut Horã istam dixerit, vtrum repetere teneatur. 533.
Hostiã sacrã aduertẽs Sacerdos ab aliquo post communionẽ ex ore in strophiolum emitti ad hanc, vt videtur, postea inhonorandã, quid agat. 62.
Cum particulis Sac. Hostiæ in Patena relictis quid Sacerdos faciat. 493.

I.

Ad Iejunium quando senes mares, quando fœminæ tenean-

teneantur: & an officium scribæ ab eodem excuset. fol. 419.
Iejunij die an sumere aliquid liceat ex offa, pisciculis, lacticinijs, acetarijs, oleribus &c. & quantum. 122.
Iejunij diebus an pinguedo ex lardo & adipe adhiberi, & famulis à Cōfeßario permitti poßit. 439.
Ignorans inculpabiliter Mysteria SS. Trinitatis, Incarn. &c. an peccet: & quid cum tali agat Confessarius. 104.
Ignorans pœnam incestui annexam an istam incurrat. 554.
Ex Ignorantia invincibili alios contra leges agere aduertens an corrigere hos teneatur. 590.
Ignorans v. g. sortilegium esse casum reseruatum an absolui poßit à Parocho. 479.
Impedimentum matrimonij occultum inter contrahentes deprehendens quid agat. 349.
Impedimentū matrimonij in cōfeßione deprehendēs Parochus quid faciat, si maximè contrahentes desistere nolint, sed publicè S. Eucharistiam, & illius aßistentiam requirant. 397.
Imprecans sibi mortem ex impatientia & indignatione an peccet mortaliter. 15:
Incendium ædium an conductori imputari à locatore, & compensatio exigi ab eo poßit. 508.
Indulgentiæ viuis concessæ an applicari poßint defunctis. 119.
Indulgentiæ in duabus Ecclesijs si vno tantùm die distent, an poßit aliquis vnâ confeßione & communione lucrari vtrasque. 232.

Indui-

Indulgentias an retineat v. g. crux, si fracta ab Aurifabro redintegretur. fol. 280.
Inimico vt quis verè ignouisse dicatur, qualia ei signa exhibere teneatur. 322.
Infamis ob publicum crimen in vno regno, an infametur, si idem crimen de illo narretur in alio regno, vbi hactenus fuit ignoratum. 92.
Intentio ad valorem sufficiens an sit voluntas, quâ Sacerdos more aliorũ sacris se vestibus induit, locũ designatũ adit, & cætera consueta facit. 112.
Inuasorem injustũ an vir honoratus licitè statim insequatur, & vulneret. 321.
Inventa bona an retineri possint ab inuentore, si dominus quæsitus non compareat. 113.
Irati, dum enunciant Christi vulnera, Sanguinem, multa millia Sacramentorum &c. quomodo peccent. 76.
Irregularitatem quando incurrat Parochus aut Confessarius ratione actionum circa reum. 90.
Irregularitatem an incurrat is, qui ægrum ex vno in alterum latus vertit, si iste inter vertendum moriatur. 612.
Irregularitatem an quis contrahat ex homicidio casuali. 623.
Iudex partibus æqualis prorsus juris an rem ex æquo diuidere debeat, aut cui parti vult, addicere illam possit. 128.
Iudex an possit causam decidere ex sententia solùm probabili relictâ probabiliore. 514.
Iudex, an eum, quem priuatim scit innocentem, reum

um autem secundum allegata & probata, morti adiudicare possit. fol. 196.

Iudex an peccet, si ex priuata notitia moneat vnam partem ex litigantibus, vnde causam suam firmare, & aduersario præualere possit. 383.

Ad Iudicem sæcularem an spectet fœmina laica concubinatûs rea cum Clerico. 603.

Iuramentum non communicandi alijs artem, quâ proximus iuvari possit, an obliget. 123.

Iuramentum an quis ex justa causa v. g. recuperandi debitum suum, exigere possit ab eo, quem nouit peieraturum. 247.

Ius præsentandi beneficiatum, quod haredes ex ignorantia diu neglexerunt, an ijdem vendicare sibi possint ab eo, qui id interea vsurpauit. 208.

Ad Iubilæum lucrandũ semel confessus, & iterum relapsus, an denuo confiteri teneatur. 607.

Ad Iubilæum lucrandum an valeat jeiunium, si intra id tempus fuerit quidem peractum, attamen sine vlla cogitatione de illo Iubilæo. 375.

L.

Lex an violetur, antequam sit promulgata. 18.

Legem legitimè promulgatam si absque iusta causa subditi non acceptent, an peccent. ibidem.

Lex particularis v. g. jeiunium præscribens tam proprij, quàm alieni loci, an obliget absentẽ in illo, & existentem in hoc. 28.

Lex Magistratûs civilis prohibens sub pœna duorum imperialium, ne quis civium vnam mensuram vini ex cella priuilegiata emat, an obliget in conscientia. 82.

Lex Ecclesiastica an vllâ consuetudine in terris Hæreticorum abrogari poßit. fol. 270.
Lot Genesis 19. an malè fecerit & mortaliter peccauerit offerendo filias suas Sodomitis ad abusum. 535.

M.

Magũ vtrũ licitè quis inquirere, ab eoq; requirere poßit, vt remotis signis maleficiũ destruat & pactũ cũ dæmone de damno inferendo soluat. 235.
Magistratus an cogere poßit ciuem, vt ædes suas iusto pretio Religiosis vendat. 152.
Maritus vtrum omnia vxoris vota stante matrimonio edita irritare poßit. 488.
Matrimonium contracturus cum Anna si rem prius habuit cum Barbara huius sorore, invincibiliter ignorans ex copula fornicaria oriri impedimentum, an indigeat dispensatione Papæ. 293.
Matrimonium si contrahatur sub conditione, vtrũ hâc impletâ denuo vocandi Parochus & testes, vt istis de illa constet. 177.
Matrimonium an inire poßit mulier cum viro, cui consensit in adulterium ob promißum matrimonium, ipsa autẽ eidẽ non repromisit. 179.
Matrimonium in peccato mortali contrahentes quot peccata committant. 385.
Matrimonij effectus an & quomodo recipi ab ijs poßit, qui in peccato contraxerunt. 187.
Matrimonium an validum sit coram Parocho & testibus in loco, ad quem contrahentes venerunt animo habitandi ibi per maiorem anni partem, esto deinde non contingat. 499.
Matrimoniũ indigens dispensatione vtrũ ante hãc acceptam

acceptam sit nullum, & peccet illud celebrans, ac cohabitans ante notitiā dispensationis. 609.
Medicus an desperato ægro applicare possit Medicinam incertam. 25.
Medicus an circa Ieiunium in dubia causa dispensare possit. 222.
Monopolium an iustum exerceat, qui in abundantia alicuius rei viliori hanc pretio coëmit, vt postea maiore vendat. 215.
Miles ad iniustum bellum profectus quid faciat, & quomodo se porro contra hostem gerat. 369.
Motuū inordinatorū aut etiam pollutionis actiones præuiæ & peccaminosæ, an ex illis contrahant malitiam mortalem. 417.
Mulier ex metu intentatæ mortis in turpe facinus consentiens an peccet mortaliter. 54
Munera an retinere fœmina possit, quæ à viro sub spe vsûs corporis impetrandi accepit. 136.

N.

In naufragio acquirens tabulam vtrum possit ex virtute, aut etiā teneatur cōcedere hanc mulieri prægnanti & in certo periculo cōstitutæ. 49.
Necessitatē extremā patiēti numeratâ pecuniâ succurrens an & quando illam repetere possit. 144.
Nuptiæ an validè sint celebratæ ante responsū Româ allatum de dispensatione, si hæc ante illas danda sciebatur, & reipsa data fuit. 497.

O.

Obedire vtrum Catholici possint Regi Acatholico mandanti, vt adeant sua templa, audiant conciones Prædicantium. 415.

In

In occasione proxima peccati positus vtrum absolui possit toties, quoties cum relapsu redit, si illam absque grauiore suo incommodo vitare non possit. fol. 315.

Oracula viuæ vocis vtrum adhuc valeant. 298.

Orare omittēs ad pulsū angelicæ salutationis, agoniæ & mortis Christi &c. an peccet. 146.

In Ordinatione Clericorum vtrum contactus materiæ physicus saltem mediatus de necessitate & substantia sit. 250.

Otiosa verba & actiones quæ dicantur. 71.

P.

Parochus vtrum peccet, si repentè ægro Sacramenta administrare debeat, & ob angustias temporis de peccato mortali conteri nequeat. 138.

Parochus vtrum teneatur fructum Sacrificij applicare Parochianis, ideòq; accipere nequeat aliquid ab ijs, qui Sacrificium pro se fieri postulant. 51.

Particulæ istæ plus, minus, circiter &c. *numero peccatorum in Confessione additæ quantum excessum importent de nouo non aperiendū.* 296.

Pater naturalis in pari necessitate an præferendus sit spirituali. 72.

Peccatum in communi solum apprehendens sicq; operans quomodo peccet. 37.

Peccatum perpetrans, quia simile jam ante admisit eâdē nunc operâ confitendū, an committat præsumptionem vel circumstantiam peculiariter in Confessione aperiendam. 55.

Peccatum

Peccatum quotuplex committat, qui facinus vnũ v. g fornicationis intendens varias circa illud actiones prauas exercet. fol. 60.
Vtrum Pictor, si ob solam picturã non necessariam omittat Sacrum, sufficienter se explicet in Confessione dicendo: neglexi Sacrũ die festo. 426.
Pœnitentiam diu v. g. per annum differens aut alio modo, situ, loco, ac imposita erat, peragens quomodo peccet. 21.
Pœnitentiam á primo Confessario impositam an, quomodo & quãdo mutare possit secũdus. 422.
Pœnitentiam perpetuam an pœnitens acceptare & acceptam exequi teneatur. 347.
Pollutio occulta in Ecclesia facta an habeat rationẽ sacrilegij specialiter in cõfessione explicandã. 559.
Præscribere an aliquis possit rem, quam diu habitam iam magis ad alium quàm ad se spectare putat. 360.
Præscriptionẽ alicuius rei an incheare possit is, quẽ eam dono accepit ab alio, eandẽ bona fide possidente, etsi ipse nunc dubitet, num aliena sit. 87.
Pretio communi an emi possit fundus ab eo, qui scit latére in eo venam metallicam. 575.
Priuilegium sæculari concessum, vt æger in domo sua singulis 14. diebus vnum sibi Sacrum procurare possit: nullus autem alius huic assistendo præcepto Ecclesiæ satisfacere qneat, quomodo intelligendum. 545.
Proxeneta multo maiore pretio, quàm Dominus determinauerit, rem vendens, vtrum excessum huius reseruare sibi possit. 115.

Puer an teneatur ante septennium completum ad annuam confessionem, si rationis vsu excellat. 228.
E purgatorio si Filius Patrem nõ liberet, cum sciat eum ibi pati, & absq; grauiore incommodo succurrere ipsi possit, an peccet mortaliter. 230.

R.

Recambium (quod aliqui recursæ vocant) an sit licitum. 489.
Religiosus ad curandã rupturã an teneatur sectionem admittere, si præsertim Prælatus iubeat. 261.
Ab ingressu Religionis seu Monasterij alium impediens ad quid teneatur. 591.
Restituere an aliquid teneatur, qui emit v. g. equũ, & hunc bonâ fide mox cariùs vendidit, si postea innotescat, fuisse alienum. 142.
Restituere an loco Furis teneatur, qui huic tantùm causa fuit, vt citiùs & animosiùs furaretur. 328.
Restitui an debeat sacris locis, vel pauperibus res injustè acquisita, si Domino suo restitui nequeat. 338.
Restituere sub cuius peccati obligatione & quantum teneatur, qui suâ actione damnum alteri dedit. 112.
Reus præuiâ infamiâ ex semiplena probatione legitimè interrogatus vtrum tamen negare possit crimen reuera patratum, quamdiu spes affulget effugiendi. 94.
Reus an crimen reipsâ commissum negare possit, etiamsi accusatori in probatione succumbenti infamiâ indè aspergatur. 433.
Reum se fassus ex vi tormentorũ, cùm planè innocens

cens sit, vtrũ peccet, & revocare teneatur. fol. 158.
Reos duos mortis vtrum Princeps duello committere possit, vt alter in altero exequantur mortis sententiam, & spectaculum alijs faciant. 201.

S.

Sacerdos an nomine Christi & maximè Ecclesiæ Sacrum pro Infidelibus offerre possit. 581.
Sacerdos an Sacrum illi applicare possit, qui id proximè est conducturus. 392.
Sacerdotij ordinem ante legitimam ætatem ex ignorantia crassa suscipiens an peccet mortaliter, & censurã incurrat: & aneodem ordine post completã ætatẽ absq; alia dispensatione vti possit. 175.
Sacerdos in Sacrificio Missæ vtrum ex sua Hostia communicare Laicum possit. 121.
Sacerdos mercede constitutus vt Sacrificia de Beata Virg. aut pro defunctis dicat, an satisfaciat, si Missas iuxta ordinem Ecclesiæ legat, & intentionẽ ad voluntatem stipendium concedentis formet. 140.
Sacerdos vtrũ ex eo solùm peccet mortaliter, quòd post celebrationem in peccato mortali non fuerit quamprimum confessus. 265.
Sacerdos vtrum in Sacrificio Missæ cum maiore Hostia consecrare possit parvas, etiamsi istæ post canonem iam cœptum afferantur. 258.
A Sacro audiendo quodnam viæ spatiũ excuset. 410.
Sacri qualẽ partem absentiâ suâ negligendo peccet quis contra præceptum de Sacro audiendo. 365.
An vno Sacro satisfieri possit pro pluribus Sacris, quæ quis diuersis promisit. 471.
Sacrum an & quomodo perinde singulis, quibus in

specie applicatur, ac vni prodesse possit. fol. 472.
Sacri audiēdi præcepto an satisfaciat, qui eodē tempore duobus Sacerdotibus assistit, & vnum ab introitu ad canonem, alterum verò à canone ad finem audit. 153.
In Sacro quid faciat Sacerdos, si aduertat infusum Calici vinum congelasse. 256.
An Sacrum absque peccato omittat, qui errore vincibili diem alicuius Sancti nō esse festū putat, si de illo audiendo nihil amplius cogitauerit. 506.
Sacramentales actiones exercere in peccato mortali an sit mortale. 159.
Secreta bonū publicum cōcernentia vtrū reuelare quis possit ad mortem euitandam. 548.
Sententias placitas ad sua negotia vtrū quis indagare possit apud diuersos DD. 526.
Sepeliri in loco sacro an possit is, qui diu quæsitus tādem ex fonte publico mortuus extrahitur. 454.
Seruiens Deo propter mercedem & sine hac pia opera nō facturus an idcirco sit reprehendendus. 44.
Sigillum confessionis an violet cōfessarius, qui de pœnitente ait, eum esse scrupulosum. 58.
Sigillo confessionis saluo, vtrum Confessarius ad defensionē vitæ suæ dicere possit, alicui se absolutionem sacramentalē negasse. 214.
Sub sigillo Confessionis si Laico est aliquid commissum, an iste sub illo ad silentium teneatur. 428.
Simonia an cōmittatur à senatu Laico, dū pro præsentatione ad beneficia Ecclesiastica aliquid pecuniæ à designato exigitur singulis senatoribus pendendum. 134.

An

An simoniacum sit circa sacra omne pactum, aut solùm animo pretij initum. fol. 99.
An simoniam committat, qui pro honoratiore sepulturæ loco pretium dat. 437.
Soc. IESV PP. an in compensationem sacrorum ab ipsis dicendorum accipere aliquid possint. 462.
In Societatis contractu si sola remaneat sors, an in communionem huius admittendus sit, qui meram operam suam collocauit. 389.
Sponsa an possit resilire ex eo, quod frequenter videat sponsum cum alia, hanc osculari, amplexari &c. 52.
Sponsalia duabus promittens & posterioribus iuramentum & copulam addes, quibus stare teneatur. 97.
Spei vtrum contrarium faciat peccatum mortale, qui carere ait se velle cœlo, si terra frui æternùm possit. 26.
Superstitionem an committat Mater, dum, vt filij rupturam curet, nomen huius schedæ inscriptum per quercum ruptam ab aliquo suorum transmitti mandat, ipsa verò domi interim orat. 79.
Studiosus ex bonis Patris sui singulis annis per quinquennium in Academia insumes trecentos florenos prorsus inutiliter, an peccet mortaliter, teneaturq; ad restitutionem aliquam fratribus faciendam. 254.
In syluis alienis non circumseptis vtrum ligna absq; immoderata strage cædens peccet. 587.

T.

Tabachi consuetus vsus an violet jeiunium naturale, ideóq; à sacra Communione impediat. 512.
Tactus (sicuti & oscula) tam præcedentes quàm

sequentes actum fornicationis, an vnum cum hoc vel plura faciant peccata. fol. 60.
Thesaurus quid sit: & an talis sit pecunia quomodocunque in terram defossa & inde eruta. 172.
Testamentum vxoris importunis Mariti precibus extortum an valeat in vtroq; foro, aut recissioni sit obnoxium. 527.
Testamenti sui reuocationem contra iuratam promissionem an facere aliquis licitè possit: & si non licitè, an validè saltem id præstet. 283.
Ad Dei Tribunal prouocatio an per se sit licita. 604.

V.

Vectigalia defraudans an peccet mortaliter teneaturque ad restitutionem. 239.
Venando egrediens Dominus limitibus suis, & in vicinis locis capiens feras nulla sepe clausas an peccet mortaliter, teneaturq; ad restitutionē. 89.
Vendere an quis res peregrinas queat, quocunque potest pretio. 304.
Vestium noua forma cum denudatione pectoris ac mamillarum an indui, & induci in prouinciam aliquam possit absq; peccato mortali. 41.
Vexatione acerbâ incitans aliquem vt damnū inferat tertio graue, an teneatur ad huius cōpensationem, si inferens damnum illud aufugerit. 520.
Vnctio extrema an puerperæ dari possit. 53.
Vnctio extrema an neganda sit pueris septennio egressis, & vsum rationis habentibus, si nec recipiāt, nec recipere apti sint sacrā Eucharistiā. 616.
Vnctio extrema an neganda sit moribundo si iste nullum doloris signum dare, nec Sacramentum vllum petere possit. 585.

Vnguen-

Vnguentum sympathicũ vulneratos etiam distantes sanans an adhiberi licitè possit. fol. 453.
Ad vomitum vsq; vorans ac potans, vt iterum vorare ac potare possit, an peccet mortaliter. 109.
Voto Religionis ingrediendæ an satisfaciat, qui syncero animo ingreditur, & postea ex libitu egreditur. 377.
Votum ingrediendi hanc determinatè Relgionem & non aliam, an valeat. 444.
Votum multarum precum & operum spiritualium an mutari possit in alia faciliora & pauciora, si illa tepidè, hæc autem feruidè peraguntur. 561.
Votum non ducendi vxorem, an Papæ dispensatione indigeat, 74.
Vouens virginitatem an teneatur ad perpetuam castitatem, vel solùm ad continentiam à primo actu venereo. 100.
Votum castitatis an valeat, si respectu vouentis non esse de meliore bono censeatur. 111.
Vouens v. g. aureũ calicem Ecclesiæ diuiti an post acceptatam promissionẽ commutare votũ, & calicem dare Ecclesiæ pauperi possit. 252.
Vsuraria solutio an sit, si hodie numeres florenos 900. pro mille post annum soluendis. 77.
Vxorem durè verbis & verberibus tractans maritus an grauiter peccet. 15.
Vxor an ex bonis mariti defunctis absque iniuria creditorum sublegere possit necessaria ad competentem sustentationem. 16.
Vxor an post actum coniugalem aliquando semen conceptum effundere possit. 525.

Vxor

Vxor intra primum bimestre post nuptias contractas an licitè neget marito suo debitum coniugale, etiamsi nihil de religione cogitauerit. fol. 29

Vxor an peccet faciendo de bonis communibus eleemosynas? 148.

Vxori an credere teneatur maritus dicenti aut iuranti, cũ impedimento dirimẽte se cõtraxisse. 583.

Vxoris elargitiones ex rebus à marito donatis virum iste retrahere possit. 611.

Vxor metu in constantem feminam cadente ad incestum permota an possit marito suo debitum reddere, & ab eo petere. 286.

Vxor sciens virum suum alibi cum alia nuptias celebrasse, an tacere hoc possit. 224.

Vxor an ob adulterium mariti occultum licitè ab hoc discedere eiam ante Iudicis sententiam possit. 258.

Vxor an post actum coniugalem viro recedente seminationem seipsâ procurare sibi possit nondum cum viro habitam. 274.

Errata corrige

Fol. 381. pro consequenti. lege. antecedenti. Cætera leuiora sunt, quàm quæ hîc exprimantur.

FINIS.

Collegij Paderbon.

Suc. 1650 1668

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2226

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN